

THE  
WORKS  
OF  
FRANCIS BACON,  
BARON OF VERULAM,  
VISCOUNT ST. ALBANS,  
AND LORD HIGH CHANCELLOR OF ENGLAND.

---

IN TEN VOLUMES.  
VOL. X.

---

LONDON:  
PRINTED FOR W. BAYNES AND SON, PATERNOSTER ROW;  
H. S. BAYNES, EDINBURGH; M. KEENE, AND R. M. TIMS, DUBLIN.

1824.



IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

OPERA CIVILIA ET MORALIA.

---

SERMONES FIDELES, SIVE INTERIORA RERUM.

	PAGE
1 <i>De veritate,</i>	5
2 <i>De morte,</i>	7
3 <i>De unitate ecclesiæ,</i>	9
4 <i>De vindicta,</i>	13
5 <i>De rebus adversis,</i>	14
6 <i>De dissimulatione et simulatione,</i>	15
7 <i>De parentibus et liberis,</i>	19
8 <i>De nuptiis et cœlibatu,</i>	20
9 <i>De invidia,</i>	22
10 <i>De amore,</i>	26
11 <i>De magistratibus et dignitatibus,</i>	28
12 <i>De audacia,</i>	32
13 <i>De bonitate, et bonitate nativa,</i>	33
14 <i>De nobilitate,</i>	36
15 <i>De seditionibus et turbis,</i>	37
16 <i>De atheismo,</i>	44
17 <i>De superstitione,</i>	47
18 <i>De peregrinatione in partes externas,</i>	48
19 <i>De imperio,</i>	51
20 <i>De consilio</i>	55
21 <i>De mora,</i>	60
22 <i>De astutia,</i>	ibid.
23 <i>De prudentia quæ sibi sapit,</i>	64
24 <i>De innovationibus,</i>	66
25 <i>De expediendis negotiis,</i>	67
26 <i>De prudentia apparente,</i>	69
27 <i>De amicitia,</i>	70
28 <i>De sumptibus</i>	77
29 <i>De proferendis finibus imperii,</i>	78
30 <i>De regimine valetudinis,</i>	88
31 <i>De suspicione,</i>	90

	PAGE
32 <i>De discursu sermonum,</i>	91
33 <i>De plantationibus populorum,</i>	93
34 <i>De divitiis,</i>	96
35 <i>De ambitione,</i>	99
36 <i>De natura, et indole naturali in hominibus,</i>	101
37 <i>De consuetudine et educatione,</i>	103
38 <i>De fortuna,</i>	105
39 <i>De usura sive fœnore,</i>	107
40 <i>De juventute et senectute,</i>	110
41 <i>De pulchritudine,</i>	112
42 <i>De deformitate,</i>	113
43 <i>De ædificiis,</i>	114
44 <i>De hortis</i>	119
45 <i>De negotiatione,</i>	126
46 <i>De clientibus, famulis, et amicis,</i>	127
47 <i>De supplicantibus,</i>	129
48 <i>De studiis, et lectione librorum,</i>	131
49 <i>De factionibus,</i>	133
50 <i>De cæremoniis civilibus, et decoro,</i>	135
51 <i>De laude,</i>	136
52 <i>De vana gloria,</i>	138
53 <i>De honore et existimatione,</i>	140
54 <i>De officio judicis,</i>	142
55 <i>De ira,</i>	146
56 <i>De vicissitudine rerum,</i>	148

## DE SAPIENTIA VETERUM.

1 <i>Cassandra, sive parrhesia,</i>	163
2 <i>Typhon, sive rebellis,</i>	164
3 <i>Cyclopes, sive ministri terroris,</i>	165
4 <i>Narcissus, sive philautia,</i>	166
5 <i>Styx, sive fœdera,</i>	167
6 <i>Pan, sive natura,</i>	169
7 <i>Perseus, sive bellum,</i>	176
8 <i>Endymion, sive gratiosus,</i>	178
9 <i>Soror gigantum, sive fama,</i>	180
10 <i>Actæon et Pentheus, sive curiosus,</i>	ibid.
11 <i>Orpheus, sive philosophia,</i>	181
12 <i>Cœlum, sive origines,</i>	184

	PAGE
13 <i>Proteus, sive materia,</i>	186
14 <i>Memnon, sive præmaturus,</i>	187
15 <i>Tithonus, sive satias,</i>	188
16 <i>Procus Junonis, sive dedecus,</i>	189
17 <i>Cupido, sive atomus,</i>	ibid.
18 <i>Diomedes, sive zelus,</i>	192
19 <i>Dædalus, sive mechanicus,</i>	194
20 <i>Erichthonius, sive impostura,</i>	196
21 <i>Deucalion, sive restitutio,</i>	197
22 <i>Nemesis, sive vices rerum,</i>	ibid.
23 <i>Achelous, sive prælium,</i>	199
24 <i>Dionysus, sive cupiditas,</i>	200
25 <i>Atalanta, sive lucrum,</i>	203
26 <i>Prometheus, sive status hominis,</i>	204
27 <i>Icarus volans; item Scylla et Charybdis, sive via media,</i>	213
28 <i>Sphinx, sive scientia,</i>	214
29 <i>Proserpina, sive spiritus,</i>	217
30 <i>Metis, sive consilium,</i>	220
31 <i>Sirenes, sive voluptas,</i>	ibid.
Nova Atlantis,	224
Imago civilis Julii Cæsaris,	270
Imago civilis Augusti Cæsaris,	274
In felicem memoriam Elizabethæ Angliæ reginæ,	276
In Henricum Walliæ Principem Elogium,	289
Dialogus de bello sacro,	292

## MEDITATIONES SACRÆ.

1 <i>De operibus Dei et hominis,</i>	319
2 <i>De miraculis Servatoris,</i>	ibid.
3 <i>De columbina innocentia et serpentina prudentia,</i>	320
4 <i>De exaltatione charitatis,</i>	321
5 <i>De mensura curarum,</i>	322
6 <i>De spe terrestri,</i>	ibid.
7 <i>De hypocritis,</i>	324
8 <i>De impostoribus,</i>	325
9 <i>De generibus imposturæ,</i>	326
10 <i>De atheismo,</i>	ibid.
11 <i>De hæresibus,</i>	328
12 <i>De Ecclesia et Scripturis,</i>	329

## EPISTOLÆ.

	PAGE
1 <i>Epistola ad Fulgentium,</i>	330
2 <i>Rescriptum procuratoris primarii ad Academiam Cantabrigiensem, quando in sanctius regis concilium cooptatus fuit,</i>	331
3 <i>Franciscus baro de Verulamio, almæ matri inçlytæ Academicæ Cantabrigiensi salutem,</i>	332
4 <i>Inçlytæ Academicæ Oxoniensi salutem,</i>	333
5 <i>Rescriptum Academicæ Oxoniensis Francisco Bacono,</i>	ibid.
6 <i>Franciscus baro de Verulamio percelebri collegio sanctæ et individue Trinitatis in Cantabrigia salutem,</i>	334
7 <i>Almæ matri Academicæ Cantabrigiensi,</i>	ibid.

SERMONES FIDELES,  
SIVE  
INTERIORA RERUM.





ILLUSTRI ET EXCELLENTI DOMINO  
GEORGIO,  
DUCI BUCKINGHAMIÆ,  
SUMMO ANGLIÆ ADMIRALLIO.

---

*Honoratissime Domine,*

SALOMON inquit, *Nomen bonum est instar unguenti fragrantis et pretiosi*; neque dubito quin tale futurum sit nomen tuum apud posteros. Etenim et fortuna, et merita tua, præcelluerunt. Et videris ea plantasse quæ sint duratura. In lucem jam edere mihi visum est delibationes meas, quæ ex omnibus meis operibus fuerunt acceptissimæ: quia forsitan videntur præ cæteris hominum negotia stringere, et in sinus fluere. Eas autem auxi et numero, et pondere, in tantum, ut plane opus novum sint. Consentaneum igitur duxi affectui et obligationi meæ erga illustrissimam dominationem tuam, ut nomen tuum illis præfigam, tam in editione Anglica, quam Latina. Etenim in bona spe sum, volumen earum, in Latinam, linguam scilicet universalem, versum, posse durare quandiu libri et literæ durent. *Instauracionem* meam Regi dicavi: *Historiam regni Henrici septimi* (quam etiam in Latinum verti) et portiones meas *Naturalis historiæ*, Principi: has autem *Delibationes* illustrissimæ dominationi tuæ dico; cum sint ex fructibus optimis, quos, gratia divina calami mei laboribus indulgente, exhibere potui. Deus illustrissimam dominationem tuam manu ducat.

*Illustrissimæ dominationis tuæ*

*Servus devinctissimus et fidelis,*

FR. S. ALBAN.



## SERMONES FIDELES.

---

### I. DE VERITATE.

*Quid est veritas?* inquit Pilatus derisor; nec præstolari voluit responsum. Certe sunt, qui cogitationum vertigine delectantur; ac pro servitute habent, fide fixa aut axiomatis constantibus constringi; liberi arbitrii usum in cogitando non minus, quam in agendo, affectantes. Cujusmodi quidem sectæ philosophorum licet defecerint; supersunt tamen ingenia quædam, ventosa et discursantia, quibus eædem omnino venæ, licet non pari, cum antiquis, copia sanguinis repletæ. Verum nec difficultas sola, laborque, quem homines subeunt in veritate invenienda; nec quæ ex ea inventa cogitationibus imponitur captivitas, mendaciis favorem conciliat; sed ipsius mendacii naturalis (utcunque corruptus) amor. E recentiore Græcorum schola quidam, rem ad examen vocans, hæret attonitus; dum excogitare nequit, quorsum mortales amarent mendacium, ipsius mendacii causa; cum nec voluptati sit, ut mendacia poëtarum; nec utilitati, ut illa mercatorum. Sed nescio quomodo, veritas ista (utpote nuda et manifesta lux diurna) personatas hujus mundi fabulas, ineptiasque, non tam magnifice et eleganter ostendit, quam tædæ, lucernæque nocturnæ. Ad unionis forsàn valorem pervenire poterit veritas, quæ per diem speciosissima apparet; sed ad pretium adamantis, aut carbunculi, qui lumine vario pulcherrime splendent, nunquam ascendet. Mixtura mendacii voluptatem semper auget. Ecquis dubitat, si e mentibus hominum tollerentur opiniones vanæ, spes blandæ, æstimationes rerum falsæ, imaginationes ad libitum, et id genus alia, quin multorum animi relinquerentur dejecti, et marcidi, atræ bilis et languoris pleni, ac sibimet ipsis ingrati ac displicentes.

tes? Patrum unus, magna cum severitate, poësin appellat *vinum dæmonum*; eo quod phantasiam vanis impleat; licet poësis mendacii tantum umbra sit. Verumtamen non est mendacium, mentem pertransiens, quod officit; sed mendacium, quod a mente imbibitur, nempe ejus generis, de quo ante diximus. Verum utcunque depravatis hominum judiciis et affectibus hæc ita se habeant; veritas tamen (quæ sola se judicat) docet; veritatis inquisitionem, quæ eam, proci instar, demeretur; veritatis cognitionem, quæ præsentem eam sistit; et veritatis receptionem cum assensu, quæ est ipsius fruitio et amplexus; summum esse humanæ naturæ bonum.

Prima in operibus sex dierum creatura Dei, fuit lux sensus; postrema, lux rationis; quin et opus ejus sabbatho, quod deinceps perpetuo exercet, est Spiritus sui illuminatio. Primo inspiravit lumen in faciem materiæ, vel molis indigestæ, postea in faciem hominis; quin et usque semper lucem inspirat in faciem electorum. Poëta, qui sectam, alioqui cæteris inferiorem, ornavit, elegantissime dixit: *Suave est in litore stanti videre naves fluctibus exagitatas; suave ad arcis fenestram stanti, prælium commissum, ejusque varios eventus, inferius spectare; sed nulla voluptas æquiparari potest huic ipsi, nempe ut quis stet super clivum excelsum veritatis* (collem certe inaccessibilem, ubi aër semper liquidus est, et serenus) *atque inde errores, homines palantes, caligines, et tempestates, in convalle subjacente, despiciat*: modo prospectus iste cum misericordia conjunctus sit, non cum tumore, aut superbia. Et hoc ipsum est cælo in terris frui, quando mens humana in charitate movetur, in providentia quiescit, et supra polos veritatis circumfertur.

Jam vero, ut a theologica et philosophica veritate, ad veritatem, aut potius veracitatem in civilibus negotiis, transeamus; agnoscent vel ipsi, qui eam non exercent, apertam, et minime fucatam in negotiis gerendis rationem præcipuum esse humanæ naturæ decus: mixturam autem falsi similem esse plumbeæ materiæ, quæ efficit sane ut facilius cudi possit metallum, sed ita ut interim vilius fiat. Nam flexuosi isti, et obliqui motus,

serpentum sunt: qui super ventrem suum gradiuntur, non pedibus incedunt. Non est vitium, quod tanto hominem pudore obruit, quam si falsus vel perfidus inveniatur. Itaque acutissime Montanens, rationem scrutatus, cur mendacii vocabulum pro tanto haberetur opprobrio, et contumelia: *Si res recte perpendatur* (inquit) *qui dicit hominem mentiri, eadem opera dicit, eum adversus Deum audacem esse, adversus homines timidum.* Mendax enim Deo insultat, homini se incurvat. Certe, quam flagitiosa res sit falsitas, et perfidia, nullo modo exprimi potest melius, quam quod istis (quasi ultimis clamoribus) devocabuntur judicia Dei in genus humanum. Prædictum enim est, Christum in adventu suo secundo *non reperturum fidem super terram.*

## II. DE MORTE.

METUUNT homines mortem, ut pueri tenebras. Quemadmodum autem metus iste naturalis in pueris augeatur fabulosis quibusdam terriculamentis, ita et ille alter. Sane mortis meditatio, prout mors stipendium est peccati, et ad aliam vitam transitus, pia est et salubris; metus vero ejus, ut est naturæ debitum, res est infirma, et inanis. Inest tamen nonnunquam piis meditationibus fermentum aliquo vanitatis, nec non superstitionis. Præcipitur in libris nonnullis religiosorum, qui tractant de mortificatione, ut recogitet secum homo, quantus sit dolor, cum vel minimus digiti articulus torqueatur; atque inde æstimet, quantus sit in morte cruciatus, ubi totum corpus corrumpitur, et dissolvitur. Cum tamen mors sæpenumero transeat minore cum dolore, quam sentitur in tortura membri. Partes enim maxime vitales non sunt maxime sensitivæ. Nec abs re dictum fuit ab illo, qui locutus est ut philosophus tantummodo, et homo animalis: *Pompa mortis magis terret, quam mors ipsa*: gemitus et singultus, membrorum convulsiones, oris pallor, amici flentes, et atrata funera, cum similibus, hæc sunt quæ mortem ostendant terribilem. Observatione plane dignum est, nullam esse animi passionem tam debilem, quin superet, et in

ordinem redigat timorem mortis. Ideoque mors, non est hostis adeo formidabilis, cum tam multos habeat homo circa se athletas, qui in certamine illam vincant. Ultio de morte triumphat; amor eam parvi facit; honor ambit; metus ignominia eligit; mœror ad eam confugit; metus anticipat. Imo legimus, quod postquam Otho imperator se ipsum interfecisset, ipsa misericordia (quæ affectus est omnium tenerrimus) multos provocarit ad commoriendum, ex mera animi compassione erga dominum suum, ut fidissimos assecclas. Quin et addit Seneca fastidium, et satietatem: *Cogita quam diu eadem feceris; mori velle non tantum fortis, aut miser, sed etiam fastidiosus potest.* Nec minus observatu dignum est, quantillam mutationem in animo generoso et forti appropinquans mors efficere valeat; eosdem enim gerunt homines illi spiritus usque ad extremum momentum. Mortuus est Augustus Cæsar voce certe urbana: *Livia, conjugii nostri memor vive, et vale.* Tiberius inter dissimulandum; ita enim de illo Tacitus, *Jam Tiberium vires et corpus, non dissimulatio, deserebant.* Vespasianus cum scommate; exonerans enim se super sella: *Ut puto, Deus fio.* Galba cum gnoma: *Feri, si ex re sit populi Romani:* protendens simul colulum. Septimius Severus, inter expedienda negotia: *Adeste, si quid mihi restat agendum.* Pariter et alii. Certe Stoici nimium insumpserunt operæ in solatia mortis: etenim grandi suo contra eam apparatu effecerunt, ut terribilior videretur. Rectius ille, qui finem vitæ extremum inter munera ponit naturæ. Æque enim est naturale hominibus mori, ac nasci; atque infans forsitan non minorem sentit dolorem ex hoc, quam ex illo. Qui moritur inter prosequendum magnum aliquod desiderium, ita se habet, ut vulneratus, sanguine adhuc fervente, qui plagam vix sentit. Itaque mens, in aliquod bonum fixa et intenta, a doloribus mortis se subducit. Verum enimvero super omnia suavissimum canticorum est illud, *Nunc dimittis;* cum quis fines suos, et exspectationes honestas assecutus fuerit. Hoc item in se habet mors, ut bonæ famæ januam aperiatur, et livorem exstinguat:

*Exstinctus amabitur idem.*

## III. DE UNITATE ECCLESIAE.

CUM religio sit præcipuum humanæ societatis vinculum, par est, ut et ipsa debitis veræ unitatis et charitatis vinculis astringatur. Dissidia circa religionem mala erant ethnicis incognita. Nec mirum, cum religio ethnicorum posita esset potius in ritibus, et cultu Deorum externo, quam in constanti aliqua confessione, et fide. Facile enim est conjicere, cujus modi fuerit illorum fides, cum præcipui ecclesiæ ipsorum doctores et patres fuerint poëtæ. Inter attributa autem veri Dei ponitur, quod sit Deus zelotypus: itaque cultus ejus non fert mixturam, nec consortium. Quamobrem pauca quædam de unitate in ecclesia dicemus. Scilicet, qui sint ejus fructus, qui limites, quibus denique modis concilietur.

Unitatis fructus præcipui (præterquam quod Deo summe placeat, id quod ante omnia poni debet) sunt duo. Alter respicit eos, qui extra ecclesiam sunt; alter eos, qui intra. Quod ad priorem attinet, certum est, longe maxima in ecclesia scandala esse hæreses, et schismata; ut quæ etiam corruptelas morum superent. Quemadmodum enim in corpore naturali vulnera et solutio continuitatis, genere pejora sunt, quam humores putridi; similis est corporis spiritualis ratio. Adeo ut nihil reperiatur, quod æque homines ab ingressu in ecclesiam absterreat, aut jam receptos expellat, ac unitatis violatio. Itaque temporibus, quibus illud increbrescit, ut alii dicant, *Ecce in deserto*: alii, *Ecce in penetralibus*; hoc est, dum quidam Christum quærunt in hæreticorum conciliabulis, quidam in facie ecclesiæ externa; opus est prorsus, ut illa vox aures hominum quasi perpetuo feriat: *Nolite exire*. Doctor ille gentium, cujus vocatio et missio, propria et demandata, ei imposuit, ut eorum, qui extra ecclesiam fuerant, curam gereret, inquit, *Si ingrediatur cætus vestros infidelis quispiam, aut idiota, et vos variis loquentes linguis audiat, annon vos insanire prædicabit?* Neque sane multo melius se habet, cum athei, et homines profani, tantas, in religione, lites,

et opinionum dimicationes, intueantur. Siquidem hæc res ab ecclesia illos avertit, et in cathedra derisorum sedere facit. Levius quiddam videatur, quam ut in tractatu tam serio citetur, deformitatem tamen rei egregie depingit. Insignis quidam jocandi artifex, in catalogo librorum bibliothecæ cujusdam fabulosæ, inter cæteros, cum hac inscriptione, librum ponit: *Saltationes florales, et gesticulationes hæreticorum.* Nemo enim est ex iis, qui non peculiarem quandam motum corporis ridiculum, et gestus deformitatem, exhibeat: unde fieri non potest, quin homines carnales, et politici degeneres, subsannent, qui facile in contemptum rerum sacrarum feruntur. Quantum ad fructus unitatis, qui ad eos, qui intra sunt, redundat, is, uno verbo, pax est, quæ innumeras benedictiones complectitur. Etenim fidem stabilit, charitatem accendit; quin et externa ecclesiæ pax in pacem internam conscientiæ sensim distillat; laboresque scribentium, et legentium controversias, vertit in tractatus pietatis et mortificationis.

Quantum ad terminos et limites unitatis, vera proculdubio et justa eorum collocatio magni prorsus est ad omnia in religione momenti. Duo autem in iis statuendis videntur fieri excessus. Hominibus enim zelo fervidis omnis pacificationis mentio est odiosa: *Numnam pax, Jehu? Quid tibi cum pace? Vade post me.* Quasi pax nihil esset ad rem, sed sectæ et partes. Contra, quidam, tanquam Laodicenses, in caussis religionis tepidi, putant, capita religionis nexu se commodo colligare posse, per vias medias, et opiniones utrinque participantes, et reconciliationes ingeniosas; ac si pro arbitris se gerere vellent inter Deum et homines. Uterque excessus vitandus; quod fiet, si fædus inter Christianos, ab ipso Servatore nostro descriptum, in clausulis illis, quæ primo intuitu inter se opponi videntur, perspicuam et planam interpretationem sortiatur. *Qui non nobiscum est, contra nos est;* et rursus, *Qui contra nos non est, nobiscum est.* Hoc est, si capita religionis, plane essentialia et fundamentalia, rite discernantur et distinguantur a capitibus, quæ non sunt ex fide, sed ex opinione



probabili, et intentione sancta, propter ordinem, et ecclesiæ politiam, sancitæ. Hoc vero plurimis videri possit triviale quiddam, in quo quis actum agat : verum si hoc ipsum minore partium studio fieret, majore etiam consensu reciperetur. In hac re consilii non-nihil impertiri visum est, pro captus nostri tenuitate. Videndum est, ne homines ecclesiam Dei lacerent, per duo controversiarum genera. Primum est, cum controversiæ materia levior est, nec tanta contentione, quanta circa eam excitatur, digna; contradictione sola inflammata. Quemadmodum enim acute et eleganter notatum est ab uno ex patribus: *Tunica Christi inconsutilis fuit, at vestis ecclesiæ versicolor.* Unde præcipit: *In veste varietas sit, scissura non sit.* Differunt enim haud parum inter se unitas, et uniformitas. Secundum est, cum materia quidem controversiæ pondus habet, sed ad nimiam subtilitatem ac obscuritatem redacta est: adeo ut ingeniosa quædam res esse videatur potius, quam solida. Videmus quandoque fieri, ut quis doctus, et intelligens, homines imperitos, de aliqua quæstione inter se litigantes, audiat; atque perspicue advertat, eos idem re ipsa sentire, et in unum convenire, quibus tamen ipsis nunquam fuisset aliquis dissidendi finis. Quod si hoc nonnunquam eveniat in exigua illa judicii disparitate, quæ inter homines esse potest; annon credere par est, Deum in cælis, qui corda scrutaret et novit, satis perspicere, nos homines fragiles, in aliquibus, de quibus controversiam movemus, idem revera sentire, et in ambobus benigne complacere? Hujusmodi controversiarum natura, et character, optime a D. Paulo exprimitur, in monito illo ac præcepto, quod circa illud adhibet: *Devita profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ.* Creant sibi homines oppositiones, quæ revera nullæ sunt, easque in nova vocabula effingunt, et cudunt; quæ tam fixa sunt et invariabilia, ut ubi sensus vocabulum regere debeat, vocabulum imperet sensui. Sunt etiam, ut controversiarum, ita unitatis, species duæ; quæ adulterinæ censi possunt. Altera, cum pax ignorantiae tantum implicitæ innitur. Coloribus enim omnibus in tenebris bene convenit:

Altera, quæ consuta est et sarcita ex positionibus ex diametro inter se contrariis, in capitibus nimirum fundamentalibus. Veritas enim et falsitas similes sunt ferro et luto in digitis pedum imaginis, quam in somnis vidit Nebuchadnezzar; adhærere sane possunt, incorporari non possunt.

Jam quatenus ad modos, per quos conciliatur unitas, cavendum est hominibus, ne dum unitatem religionis procurent et muniant, leges charitatis et societatis solvant, et demoliantur. Inter Christianos duo tantum recipiuntur gladii, spiritualis nempe, et temporalis. Uterque autem habet locum suum, et suo perfungitur munere, in religione Christiana propugnanda et protegenda. Sed neutiquam arripiendus est gladius tertius, qui est Mahumetis, aut illi similis; hoc est, ut religionem bello propagemus, aut cruentis persecutionibus vim conscientiarum inferamus; exceptis casibus scandali aperti et insolentis, blasphemiarum, aut machinationis adversus statum civilem: nedum ut foveantur seditiones, animentur conjurationes, et rebelliones, gladius in manus populi transferatur, et similia; quæ omnia manifesto tendunt ad majestatem imperii minuendam, et auctoritatem magistratuum labefactandam; cum tamen omnis *legitima potestas sit a Deo ordinata*. Hoc enim nihil aliud est, quam alteram ex tabulis legis in alteram allidere; et in tantum homines ut Christianos intueri, ut interim oblitum videamur, quod sint homines. Lucretius poëta, cum sibi ante oculos poneret Agamemnonem, filiam propriam immolantem, exclamat:

*Tantum religio potuit suadere malorum.*

Quid tandem dixisset, si ei laniena Parisiensis, aut conjuratio pulveraria in Anglia, innotuisset? Certe septies factus esset magis Epicureus, et atheus, quam fuit. Nam quemadmodum gladius temporalis, non temere, sed magno cum judicio, in casu religionis stringendus est; ita monstri simile est, eum in manus populi tradi. Sibi habeant hoc anabaptistæ, et hujusmodi furiarum. Certe insignis fuit illa blasphemiam, cum diceret diabolus, *Ascendam, et ero similis Altissimo*; sed adhuc major blasphemiam fuerit, si quis Deum introducat dicentem: “Descendam, et ero similis principi tenebrarum.”

Quid autem hoc ab illo differt, si caussa religionis descendat, et præcipitetur, ad crudelia et execrabilia scelera, principes trucidandi, in populorum vitas grassandi, et imperia funditus evertendi? Videtur quidem hoc perinde esse, ac si quis descendentem faciat Spiritum sanctum, in specie, non columbæ, sed vulturis, aut corvi; aut ex navi ecclesiæ erigeret vexillum piratarum et assassinatorum: quocirca justum est, et id ipsum necessitas temporum flagitat, ut ecclesia doctrina sua et decretis suis; principes gladio; omnesque literæ, seu religiosæ sint, seu morales, caduceo suo; in barathrum inferni damnent, et detrudant in secula, hujusmodi facta, et doctrinas, iis auctoritatem aliquam tribuentes; ut magna ex parte jam pridem factum est. Certe optandum esset, ut in omnibus circa religionem consiliis ante oculos hominum præfigeretur monitum illud apostoli: *Ira hominis non implet justitiam Dei.* Atque, ut verum dicamus, optime et prudentissime observatum est ab uno ex patribus, profundæ sapientiæ viro; nec minus ingenue, et sincere, ab eodem prolatum, et evulgatum: *Eos, qui conscientias premi, iisque vim inferri suadent, sub illo dogmate cupiditates suas subtexere, illamque rem sua interesse, putare.*

#### IV DE VINDICTA.

VINDICTA agrestis quædam justitia est; quæ, quo magis in humana natura serpit, eo fortius legibus severis est evellenda. Etenim injuria illata legem tantummodo violat; at reposita, legem auctoritate sua plane spoliat. Certe, in vindicanda injuria, æqualem se quis inimico suo sistit; in remittenda vero, superiorem: regium enim est, ignoscere. Equidem memini dixisse Salomonem, *Honori est homini, offensas præterire.* Quod jam præterit, in integrum restitui non potest; at prudentes sat habent præsentia et futura curare. Nugantur igitur, et se frustra conturbant, qui præteritarum rerum satagunt. Injuriam nemo, injuriæ ipsius causa, infert; verum ut ex ea lucri aliquid, aut voluptatis, aut honoris, sibi conciliet: cur igitur cuiquam succenseam, quod se potius quam me diligit? Quod si quis ex malignitate mera fit

injuriosus; quid tum? etiam spina et rubus pungunt et lacerant, quia natura sua utuntur. Vindictæ præcipue excusationem merentur in iis injuriis, de quibus lege cautum non est. At simul prospiciat quis, ut genus vindictæ ejusmodi sit, quod non sit legi obnoxium. Alias ipse sibi pœnam conduplicat, inimicus vero lucrum facit. Sunt qui, inter sumendam vindictam, cupiunt ut læsi intelligant unde malum illud sibi ingruerit. Nempe generosior est iste affectus: siquidem videntur illi non tam ipsa ultione delectari, quam ut læsum facti sui pœniteat. At vili ingenio præditi, et malitiosi, instar sagittarum sunt, quæ per tenebras volant. Magnus dux Florentiæ Cosmus acutissimum telum vibravit in amicos perfidos, aut incuriosos. *Legimus* (inquit) *et mandatum habemus, ut inimicis nostris ignoscamus; at nuspiam legitur, astringi nos ad ignoscendum amicis: verum Spiritus Job loquitur meliora: Numnam* (inquit) *de manu Dei bona accipiemus, neque mala itidem quandoque sustinebimus?* Quod etiam, aliquo modo, de amicis dici par est. Hoc certissimum est, hominem, qui vindictæ studet, sua vulnera refricare, quæ alias, sibi relicta, sanari et consolidari potuissent. Ultiones publicæ, maxima ex parte, prospere cedunt: quales erant, propter cædem Cæsaris, cædem Pertinacis, cædem Henrici quarti magni illius Galliæ regis, et aliorum complurium. At in vindictis privatis hoc minime tenet. Quin potius, homines vindicativi vitam fere agunt veneficarum, quæ ut aliis sunt exitiabiles, ita ipsæ plerunque exitum infaustum sortiuntur.

## V. DE REBUS ADVERSIS.

GRANDE prosus sonabat Seneca, more Stoicorum, cum diceret: *Bona rerum secundarum optabilia, adversarum mirabilia.* Certe si miraculum recte ponatur illud, quod naturam superat, cernuntur miracula maxime in calamitatibus. At priorem illam sententiam magniloquentia superat alterum ex ejus dictis; et excelsius quiddam est, quam ethnico conveniat: *Vere magnum, habere fragilitatem hominis, securitatem Dei.* Sane hoc dictum in poësi fuisset tolerabilius, ubi transcendentia

ista magis probantur. Ac, ut verum dicamus, poëtæ hoc intactum non reliquerunt. Eadem enim fere res est, quæ adumbratur in portentoso illo poëtarum antiquorum commento; quod mysterio videtur non carere; imo et statum Christianum non obscure referre; nimirum de Hercule; qui cum ad solvenda Promethei vincula proficisceretur (in Prometheo autem figura naturæ humanæ repræsentatur) oceani longitudinem in poculo figulino emensus est; ubi ad vivum Christiana constantia depingitur, quæ in fragili carnis testa per mundi fluctus, undique circumfusos, navigat. Verum ut a granditate verborum ad mediocritatem descendamus; rerum secundarum præcipua virtus est temperantia, adversarum fortitudo; quæ in moralibus reputatur pro virtute maxime heroica. Quin et res prosperæ, ad Veteris Testamenti benedictiones; adversæ, ad Novi beatitudines pertinent: quæ et re ipsa majores sunt, et clariorem divini favoris revelationem exhibent. Attamen etiam in Veteri Testamento si lyræ Davidis aures præbeas, plures invenias threnos, quam exultationes; Spiritus autem sancti calamus diffusius tractavit Jobi afflictiones, quam felicitatem Salomonis. Res prosperæ non sine plurimis timoribus et molestiis transeunt; adversæ itidem suis solatiis et spem non vacant. Videmus certe in acupictis, melius placere, cum imagines coloris lucidioris sunt, stamen autem telæ, coloris magis opaci, quam cum stamen ipsum splendidius est, imagines autem tenebrosiores. Judicium igitur capi potest, quid cordi magis volupe sit, ex eo, quod oculos magis delectat. Habet certe virtus simile quiddam odoramentis quibusdam pretiosis, quæ fragrantissima sunt, aut incensa, aut tusa. Nam fortuna prospera potissimum vitia hominum indicat, adversa virtutes.

## VI. DE DISSIMULATIONE ET SIMULATIONE.

DISSIMULATIO est artium civilium compendium quoddam, et pars infirmior: etenim, et ingenium aere, et robur animi constans, ad hoc requiritur, ut quis sciat, quando verum proferendum sit, atque id facere

audeat. Itaque inter inferiores politicos reponuntur, qui magni sunt simulatores.

Quod discrimen bene apud Tacitum, Cæsarem Augustum inter, et Tiberium, adnotatum est. Etenim de Livia sic ait: quod esset *cum artibus mariti, et simulatione filii, bene composita*. Artes imperii Augusto, simulationem Tiberio attribuens. Idem alibi hisce verbis Mucianum inducit, Vespasianum ad arma contra Vitellium sumenda hortantem: *Non adversus Augusti acerrimam mentem, nec adversus Tiberii cautissimam senectutem insurgimus*. Quare hæ facultates, artium civilium, et simulationum, sunt prorsus distinguendæ. Esto igitur, ut sit felix ita quisquam acuminis, tantæque perspicaciæ, ut distinguere queat, quæ palam facienda, quæ occultanda, quæ tanquam in crepusculo producenda, temporum etiam et personarum ratione pensitata (quæ revera artes sunt politicæ et civiles, ut Tacitus eas recte appellat) huic dissimulatio impedimento erit. Quod si quis ad hunc iudicii et discretionis gradum ascendere non valeat, ei relinquitur tanquam tutissimum, ut sit tectus et dissimulator. Ubi enim in singulis non datur eligere, ibi in omnibus caute insistere tutissimum est; cæcutientibus enim lente movendum. Sane ubique reperias homines rerum tractandarum peritissimos, omnes fere candorem, ingenuitatem, et veracitatem, in negotiis præ se tulisse: verum simul erant, tanquam equi, bene docti et domiti, qui subito se sistere, et se vertere, norant. Quod si necessitas quædam ingruat, dissimulationem profundam postulans, tunc quidem opinio et fama, de bona fide et veracitate eorum præconcepta, eos reddit prorsus invisibiles.

Consilia et mentem tegendi, aut velandi, gradus sunt tres. Primus est, taciturnitas, cum quis sensus animi sui premit, adeoque relinquit in æquilibrio, ut, in quam partem propendeat, nemo facile conjecerit. Secundus dissimulatio in negativa, cum quis ex composito signa quædam et indicia jactat, se non eum esse, qui revera est. Tertius simulatio in affirmativa, cum quis aperte fingit et prætexit, se eum esse, qui revera non est.

Quantum ad primum horum, taciturnitatem scilicet; ea est certe virtus confessoris. Atque profecto, vir taciturnus multas audit confessiones; quis enim garulo, et loquaci, pectus suum recludet? Quod si quis famam habeat viri taciturni, facile aliorum animos reserabit; sicut aër clausus opertum sugit: atque veluti delicta confiteri, non ad aliquem finem collimat, qui ad res civiles tendit, sed ad conscientiam sublevandam; ita certe homines taciturni ad multarum rerum notitiam, simili de causa, perveniunt; dum homines, non tam impertire, quam exonerare animum suum cupiant. Ut paucis dicamus, mysteria silentibus debentur. Præterea, si verum loquamur, etiam in animo, æque ac in corpore, deformis et invenusta est nuditas: neque parvam addit reverentiam consiliis et factis hominum, si minus pateant. At loquaces et futiles, etiam plerumque leves sunt, et creduli. Qui enim eloquitur quæ scit, effutiet etiam quæ nescit. Ponatur igitur pro certo, habitum taciturnitatis virtutem esse politicam et moralem. Sed et illud addendum est, bonum esse homini, ut vultus suus linguæ officium non præripiat. Nam, revelatio animi ex vultu, aut gestu, magnus est defectus, et quædam quasi proditio: eo magis, quod sæpenumero plus notatur, et fidem facit, quam verba.

Quantum ad secundum, dissimulationem scilicet: ex necessitate quadam illa taciturnitatem sequitur. Adeo ut qui tectus esse vult, dissimulator aliquatenus vel nolens evadat. Etenim astutiores sunt homines, quam ut patiantur aliquem in æquilibrio se continere absque aliqua in alteram partem inclinationis suæ declaratione. Ita quæstionibus subtilibus eum obsidebunt, et allicient, et excutient, ut, nisi obfirmato et absurdo silentio se quis muniat, necesse ei fuerit se nonnihil prodere: quinetiam si hoc non fecerit, ex silentio ipso aliquid conjecturæ capient non minus, quam ex verbis. Quod vero ad æquivocationes, et oracula verborum attinet, non poterunt illa diu valere. Ita ut nemo tectus esse queat, nisi aliquem dissimulationis gradum sibi indulgeat: quæ nihil aliud est, quam silentii quædam appendix, aut limbus.

Quantum vero ad tertium gradum; nimirum simulationem et professionem falsam; illam magis vitiosam, et minus politicam, duco; nisi forte dignus vindice nodus inciderit. Itaque perpetua consuetudo simulandi vitium est, aut ex ingenii lubricitate quadam, vel timiditate, ortum; aut etiam, ex animi constitutione, quæ vitio aliquo magno imbuta est: quod, quia occultare oportet, simulationem etiam in aliis adhiberè et exercere efficit, ne forte habitus ipse intercidat.

Commoda simulationis et dissimulationis tria. Primum est, quod oppositionem amolitur, et homines imparatos aggrediatur, ubi enim consilia cujuspiam evulgata fuerint, adversarii, veluti tuba, excitantur. Secundum est, quod in hominis potestate relinquit, ut pedem referat, et se absque existimationis suæ jactura de negotio subducatur. Si quis enim se manifesta declaratione obstringit, is cuneis quasi impactis includitur; aut pergendum est ei, aut turpiter desistendum. Tertium est, quod ad aliena consilia detegenda viam aperiat. Etenim ei, qui sua consilia profert, non facile quis se adversarium profiteatur; verum assentabitur potius, et libertatem loquendi in libertatem cogitandi vertet. Itaque habetur apud Hispanos satis malignum adagium: *Dic mendacium et veritatem erues.* Perinde ac si simulatio clavis esset ad secreta reseranda. Tria etiam sunt simulationis et dissimulationis incommoda, ut ex æquo res compensetur. Primum, quod illa timiditatem arguant: id quod omnibus negotiis plumas vellit, ne perniciousiter ad metam advolent. Secundum, quod in ancipites cogitationes animos complurium coniciant, qui fortasse alias cooperaturi fuissent, et studio suo rem promoturi; unde sine socia et amica opera ad fines suos solus quis ambulet. Tertiam est (idque maximum) quod præcipuo ad actiones organo hominem privet; nimirum fide. Optimum fuerit temperamentum, si quis veracitatis famam obtineat, taciturnitatis habitum, dissimulationis usum tempestivum, et facultatem simulationis, ubi opus fuerit.



## VII. DE PARENTIBUS ET LIBERIS.

GAUDIA parentum occulta sunt; nec minus dolores eorum et metus. Illa certe verbis assequi nequeunt, hos autem proferre nolunt. Certe liberi labores humanos suaviore, verum infortunia amariora, reddunt. Curas vitæ multiplicant, sed memoriam mortis mitigant. Æternitas sobolis etiam brutis communis est; sed illa memoriæ, meritorum, et operum, propria est hominibus. Atque videre sane est, opera nobilissima et foundationes ab orbis profecta; quibus effigies animorum exhibere curæ erat, cum corporis imaginibus destituerentur. Adeo ut posteritati maxime studeant, qui posteritate carent. Qui honores in familiam suam primi introducunt, erga liberos indulgentissimi sunt: intuentur siquidem eos, non tantum ut continuationem speciei suæ, sed ut rerum a se gestarum hæredes: ideoque ut liberos et creaturas.

Gradus affectuum in parentibus erga liberos diversos sæpe dispares sunt: aliquando iniqui; ac potissimum in matre. Unde Salomon dicit: *Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitiæ est matri suæ.* In domo fœcunda, et liberorum plena, cernere quandoque est, unum aut alterum ex senioribus pluris æstimari; atque ex junioribus in deliciis esse: sed in medio fortasse aliquos quasi oblivione transiri: qui nihilominus, haud raro, optimæ indolis evadunt. Il-liberalitas parentum erga liberos suos error est plane noxius: nam eos reddit animo degeneres; fallaciis deditos; ignobilium consortio se delectantes: magisque ad luxum propensos, quando rerum copiam adepti sint. Itaque optime succedit, quando parentes suam apud liberos auctoritatem tuentur, crumenam laxant. Invaluit, tam apud parentes, quam pædagogos et famulos, mos quidem ineptus, æmulationes inter fratres serendi et alendi, durante eorum pueritia; quæ sæpe numero in discordias evadunt post ætatem virilem, et familias turbant. Itali non magnum ponunt discrimen inter liberos et nepotes aut cognatos; sed, modo sint e massa sanguinis, non multum pensi habent, utrum sint corpore proprio editi, necne. Atque si verum di-

cendum sit, in natura non multum interest; adeo ut sæpe videamus, nepotem avunculo magis similem, aut cognato, quam parenti proprio, prout sanguis casu quodam derivatur. Curent parentes, in tenera ætate filiorum suorum, cui vitæ generi illos destinant: tum enim maxime sunt flexibiles, et cerei. Neque in hac electione respiciant nimis inclinationem filiorum ipsorum; quasi illud melius arrepturi sint, ad quod maxime videntur propensi. Verum est, si affectus, aut aptitudo puerorum, sit erga aliquod studium insignis, non expedire, ut quis naturæ aut indoli repugnet; sed ut plurimum præceptum illud sanum est: *Optimum elige, suave et facile illud faciet consuetudo.* Fratres juniores plerunque sunt fortunæ filii: sed raro, aut nunquam, prosperum sortiuntur exitum, quando exhæredantur seniores.

#### VIII. DE NUPTIIS ET CÆLIBATU.

QUI uxorem duxit, et liberos suscepit, obsides fortunæ dedit; sunt enim magnorum conatuum impedimenta, sive ad virtutem tendat quis, sive ad improbitatem: certe præstantissima (ut alibi diximus) in usum reipublicæ opera et merita a viris profecta sunt prole carentibus; qui tam affectu, quam fortunis, rempublicam connubio sibi junxerunt, et dotarunt. Attamen rationi videatur magis consentaneum, ut qui liberos relinquunt, majorem futurorum temporum curam gererent; ad quæ satis norunt clarissima illa sua pignora oportere transmitti. Sunt tamen, qui licet liberis careant, tamen memoriæ suæ incuriosi sunt, et cogitationes vitæ tantum curriculo terminant, et tempora futura, ut ad se nihil pertinentia, ducunt. Imo et alii nonnulli uxorem et liberos tantum in rationibus expensarum habent. Quinetiam reperiuntur aliqui fatui avari, qui gloriantur fere se liberis carere, ut habeantur tanto ditiores. Audiverunt scilicet aliquos dicentes, *Talis quispiam est ditissimus;* alios autem subinferentes, *At liberis compluribus oneratur:* quasi divitiarum hoc esset decrementum. ~~Præsertim~~ Præsertim cœlibatus causa maxime frequens, est libertas; præsertim in quibusdam animis sibi complacentibus et

phantasticis; qui omnis restrictionis sensum nacti sunt tam acutum, ut cingula et periscelidas fere habeant pro vinculis et compedibus. Viri cœlibes optimi sunt amici, optimi erga servos domini, servi etiam erga dominos optimi; at non semper subditi optimi; sunt enim ad fugam expediti; atque revera transfugæ fere omnes sunt ejus conditionis. Vita cœlebs ecclesiasticis bene convenit: non enim facile quis irriget solum, si prius stagni alicujus receptaculum interveniat. Judicibus et magistratibus res est fere indifferens: si enim faciles sint, et corruptelis dediti, servum aliquem videas uxore, multis modis, ad hujusmodi lucra captanda deteriorein. Quod ad milites attinet, reperio certe duces apud exercitus suos concionantes, illis in memoriam redigere solere charitates uxorum et liberorum. Reperio etiam nuptiarum contemptum apud Turcas milites vulgares reddere viliores. Sunt certe porro uxor et liberi disciplina quædam humanitatis; atque cœlibes, etsi sæpe numero magis sint munifici et charitativi, quia fortunæ eorum minus exhauriantur, sunt tamen, ex altera parte, magis crudeles, et sine visceribus (idonei qui sint severi inquisitores) quia indulgentia et teneritudo affectuum suorum non tam sæpe evocatur et excitatur. Naturæ graves, et consuetudine ductæ, ideoque constantes, sunt plerunque uxoriæ: ut de Ulysse perhibetur: *Vetulam suam prætulit immortalitati*. Mulieres castæ sunt plerunque superbæ, et protervæ, merito pudicitæ suæ elatæ. Inter vincula præstantissima castitatis et obsequii uxoris erga maritum illud censeri debet, si virum suum uxor prudentem putet; quod nunquam faciet, si eum inveniat zelotypum. Uxores, juvenum dominæ sunt; mediæ ætatis, sociæ; senum, nutrices. Adeo ut adsit ansa ad uxorem ducendam ætatibus singulis. Inter sapientes tamen numeratus est ille, qui interrogatus: *Quod esset tempus opportunum nuptiarum?* respondit: *Juvenibus non adhuc, senibus non omnino*. Sæpe fit, ut mariti deteriores bonas habeant uxores: sive hoc fiat, quod hoc modo pretium addatur mariti benevolentia, per vices; sive quod uxores in patientia sua gloriantur. Hoc autem nun-

quam fallit, si hujusmodi mariti ab uxoribus ipsis ex-  
petiti et electi fuerint, contra consensum amicorum ;  
tunc enim animus iis semper adest, ut stultitiæ suæ  
pœnitere non videantur.

### IX. DE INVIDIA.

Ex affectibus nulli sunt, qui existimantur fascinare,  
prætur amorem et invidiam. Uterque acria progignit  
desideria ; uterque se perniciousiter efformat in phantasias,  
et suggestiones ; atque uterque facile inscendit in oculo-  
s (præcipue quando objectum adest) quæ omnia ad  
fascinationem faciunt ; si modo fascinatio aliqua sit.  
Videmus etiam Scripturam invidiam *oculi mali* nomine  
insignire ; atque astrologos, malos astrorum influxus,  
malignos aspectus vocare. Ita ut agnosci ab omnibus  
videatur, in invidia, ejusque operatione, ejaculatio  
quædam, et irradiatio ex oculis. Quin et nonnulli  
tam extiterunt curiosi, ut notaverint tempora, quibus  
ictus et percussio oculi invidi plurimum obest, tum  
præcipue esse, cum persona, in quam invidia tor-  
quetur, spectatur in gloria et triumpho : etenim hoc  
mucronem invidiæ acuit ; atque insuper illis tempori-  
bus spiritus personæ invisæ prodeunt maxime in exte-  
riora, unde ictui occurrunt.

Verum, missis istis rebus curiosis (licet non indignis,  
quæ in considerationem veniant, sed loco idoneo) trac-  
tabimus hæc tria : qui sint ad invidendum maxime  
proclives ; qui sint invidiæ maxime obnoxii ; et quæ sit  
differentia inter invidiam publicam et privatam.

Qui virtutis ipse expers est, invidet virtuti alterius.  
Etenim animi hominum se pascunt et delectantur, aut  
bono proprio, aut malo alieno ; quique primo alimento  
caret, satiabit se secundo ; et qui nullo modo sperat se  
ad virtutem alterius pervenire posse, ipse fortunam  
ejus libenter deprimit, ut minor intercedat disparitas.

Vir curiosus, et se alienis rebus immiscens, ut pluri-  
mum, invidus est. Etenim, de rebus alienis multum  
inquirere, neutiquam eo spectare possit, quod operosa  
illa sedulitas suis rebus conducat : itaque fieri non po-  
test, quin hujusmodi vir scenicam quandam voluptatem

capiat aliorum fortunas spectandi: neque, qui rebus propriis tantum intentus est, segetem invidiæ multam reperiet. Invidia enim passio est cursitans, et plateas terit, nec domi se continet: *Non est curiosus, quin idem sit malevolus.*

Viri natalibus nobiles invidiæ erga novos homines notam subeunt. Etenim mutatur intervallum. Et simile est hoc deceptioni visus; cum res retrocedere videantur, aliis se promoventibus.

Deformes, et eunuchi, et senes, et spurii, invidi sunt. Etenim, qui conditionem suam emendare nullo modo potest, conditionem alterius pro viribus suis labefactabit. Nisi forte hi defectus in generosa et heroica ingenia inciderint, quæ defectus proprios naturales in honoris sui incrementum vertere nitantur; scilicet, ut fama hoc arripiat, eunuchum, aut claudum, tam magna perpetrasse; miraculi nimirum honore affectato. Id quod evenit Narseti eunuchum, et Agesilao, atque Tamberlani, qui claudi fuerunt.

Eadem fere ratio est hominum, qui e calamitatibus resurgunt. Sunt enim plerunque temporibus infensi; atque alienas calamitates, tanquam suarum molestiarum redemptiones, gustant.

Qui in plurimis excellere contendunt, levitate et gloria vana moti, necesse est ut sint invidi. Ubique enim occurrunt objecta invidiæ: cum fieri nequeat, quin aliqui in tot rebus illos superent. Qui fuit character imperatoris Adriani, qui poëtas et pictores, et opifices alios, in iis scilicet operibus, quibus ipse præcellere gestiebat, capitali quadam invidia prosequabatur.

Postremo propinqui, et collegæ, et una educati, ad invidendum æqualibus, cum evehuntur, proni sunt. Etenim exprobrat hoc illis fortunam propriam, eosque quasi digito monstrat, et frequenter eorum memoriam vellicat; quinetiam in aliorum notam hæc fortunæ collatio magis incurrit. Invidia autem a fama et sermonibus semper reflectitur et conduplicatur. Unde invidia Cainis erga fratrem Abelem malignior fuit, quia cum sacrificium Abelis magis acceptum Deo fuit, nemo inspexit. Atque hæc de iis, qui ad invidendum proclives sunt.

Quantum ad illos, qui invidiæ magis aut minus obnoxii sunt; primo, iis, qui eminentè virtute præditi sunt, minus invidetur, cum promoventur: promotio enim eorum videtur ex debito; debiti autem solutioni nemo invidet, sed largitioni supra meritum. Atque etiam invidia non sine comparitione est; ubi autem nullus comparitionis gradus, nulla invidia; itaque regibus non invidetur, nisi a regibus. Illud tamen observatione dignum est, personis indignis, sub primum honoris sui ascensum, maxime invideri; postea vero minus; ubi contra personæ dignæ, et meritis insignes, invidiam tum demum experiuntur, postquam fortunæ eorum diutius duraverint. Etenim, licet virtus eorum eadem maneat, tamen minus fit illustris: recentes enim oboriantur homines, qui eam obscurant.

Nobiles genere minus invidiæ expositi sunt; cum honoribus cumulantur: etenim nihil aliud videtur, quam debitum majoribus suis repensum: præterea, parum fortunæ eorum additum videtur; invidia autem, more radiorum solis, in clivo ardentior est, quam in plano. Itaque, eandem ob causam, qui per gradus evehuntur, minorem subeunt invidiam, quam qui per saltum.

Qui cum honoribus suis conjunctos habent labores magnos, curas, et pericula, invidia minus laborant. Etenim existimant homines, eos honores suos caro pretio emere, et misereri potius ipsorum nonnunquam incipiunt: misericordia autem semper fere sanat invidiam. Itaque notabis plerunque, ex viris politicis, et honore fulgentibus, magis sanos et sobrios semper querimonias fundere, qualem vitam traducunt; canentes illud, Quanta patimur! non quod ita sentiant, sed quo invidiæ aciem retundant. Verum hoc intelligi debet de negotiis, quæ hujusmodi virus imponuntur, non de iis, quæ ipsi ad se attrahunt. Nihil enim invidiam magis suscitatur, quam ambitiosum et immodicum negotiorum monopolium: nihilque, e converso, invidiam exstinguit magis, quam si quis in summis honoribus constitutus, aliis officiariis inferioribus nihil detrahat. Hoc enim modo, quot illi ministri sunt, tot se tegit umbraculis ab invidia.

Super omnia, illi invidiam in se concitant maxime, qui fortunarum suarum amplitudinem insolenter et tumide ostentant; numquam sibi placentes, nisi dum potentiam suam jactent, vel per pompam exteriorem, vel triumphando de adversariis aut competitoribus suis dejectis: ubi contra viri prudentes sacrificare quandoque invidiæ ament, de industria interdum permittentes se vinci in rebus, quæ minus eis cordi sunt. Nihilominus illud verum est, potentiæ ostentationem apertam et indissimulatam (modo absit arrogantia et gloria inanis) minore invidia laborare, quam si callide et quasi furtim se notæ subtrahat. Etenim hoc cum fit, nihil aliud facit quis, quam ut fortunam insimulet, quasi ipse sibi esset conscius indignitatis suæ; unde alios ad sibi invidendum stimulat.

Postremo, ut huic parti finem imponamus; quemadmodum in principio diximus, invidiæ actum aliquid habere in se ex veneficio; ita non alia est invidiæ curatio, quam quæ solet esse veneficii et incantationis: hoc est, sortis translatio (ut vocant) et in alium remotio. Ad quem finem, prudentiores ex honoratis semper in scenam introducunt aliquem, in quem invidiam, in se alias incursum, derivent: quandoque in ministros et servos, quandoque in collegas et socios; aut in alios quosdam eam rejicientes. Neque ad hunc usum unquam desunt personæ aliquæ violentæ et temerariæ; quæ, modo potentiam et negotia agitent, ea quovis periculo mercari non dubitent.

Jam vero, ut de publica invidia loquamur; ea saltem aliquid in se habet boni, ubi in privata invidia nihil prorsus inest boni. Publica enim invidia instar salubris ostracismi est, qui viros magnos, supra modum excrescentes, coërcet; unde etiam fræno est viris præpotentibus, ne se nimium efferant.

Hæc invidia quæ mala contentatio modernis linguis appellatur (et in titulo *De seditionibus* plenius tractabitur) est in regnis et rebus publicis contagioni non absimilis. Etenim sicut contagio in sanas partes serpit, easque corrumpit; ita etiam, quando invidia statum occupaverit, vel optima reipublicæ mandata et instituta

in odium vertit, et graveolentiam quandam. Itaque parum proficitur intermiscendo actiones gratas et populares odiosis; etenim hoc ipsum imbecillitatem et invidiæ metum arguit; quæ tanto magis nocet, ut fit etiam in contagionibus, quæ, si tibi ab iis metuas, facilius irriuunt.

Ac publica ista invidia, magis in regum officarios et ministros involat, quam in reges ipsos. Attamen ecce regulam, quæ vix fallit; si invidia, quæ ministro incumbit, sit magna, causa autem parva; aut si invidia quasi generalis sit, et omnes status ministros complectatur; tunc invidia (etsi occulto) regem, aut statum ipsum, petit. Atque hæc dicta sint de publica invidia, aut contentatione mala; atque de ejus differentia ab invidia privata, quam priore loco tractavimus.

Addemus etiam, in genere, de affectu invidiæ hoc insuper; eum inter omnes affectus esse maxime importunum, et assiduum. Etenim aliis affectibus excitandis subinde præbetur occasio; recte autem dictum est, invidiam festos dies non agere; quia semper materiam se exercendi reperit. Unde etiam observatum est, amorem et invidiam, maciem hominibus inducere; id quod alii affectus non faciunt, quoniam non continui sunt. Est etiam invidia affectuum vilissimus et pravissimus: quam ob causam proprium est attributum diaboli; qui dicitur *Invidus homo, qui zizanias inter triticum noctu seminavit*: quemadmodum etiam semper evenit, ut invidia callide et in tenebris operetur, ad præjudicium cujusvis rei optimæ, veluti tritici.

## X. DE AMORE.

AMORI plus debet scena, quam vita. Etenim in scena amor semper comœdiæ præbet argumentum; quandoque etiam et tragœdiæ; at in vita humana multum plerumque affert nocimenti; nunc ut Sirenum aliqua, aliquando ut Furiarum. Observare licet, neminem ex viris magnis et illustribus fuisse (quorum exstat memoria vel antiqua, vel recens) qui adactus fuerit ad insanum illum gradum amoris. Unde con-



stat, animos magnos, et negotia magna, infirmam hanc passionem non admittere. Excipere tamen oportet Marcum Antonium, imperii Romani duumvirum; et Appium Claudium, decemvirum, legislatorum inter Romanos principem. Quorum prior fuit revera homo luxuriosus, et voluptatibus deditus; alter autem vir fuit prudens et austerus. Unde quivis perspiciat, amorem (quanquam rarius) aditum reperire posse non solum in cor apertum, sed et bene munitum, si diligenti custodia non asservetur. Abjectum quidem, et pusillanimum, est illud Epicuri dictum: *Satis magnum alter alteri theatrum sumus*: quasi homo, natus ad contemplationem cœli et cœlestium, idolum adorans minutum, satageret, se submittendo, si non ori, ut bruta, oculo tamen, certe ad altiora contemplanda dato.

Mira res videbitur, si passionis hujus excessum perpendamus, ac quomodo ipsi rerum naturæ et valori vero insultet, vel hoc ipso, quod hyperbole perpetua nulli rei conveniat, præterquam amori. Neque hæc hyperbole solummodo in locutionis phrasi cernitur; cum enim verissime dictum sit, adulatorum principem, quocum cæteri adultores minores conspirant, esse unumquemque sibi ipsi; profecto amator aliquid amplius est. Nunquam enim fuit quisquam adeo superbus, qui se ipsum tam absurde magnificerit, quam amator personam amatam. Recte itaque receptum est illud diverbium: *Amare et sapere, vix Deo conceditur*. Neque aliis tantummodo manifesta est hæc phrenesis, personæ autem amatæ minime; sed et amatæ potissimum, nisi amor sit reciprocus. Certissimum enim est, amorem semper rependi, aut amore mutuo, aut contemptu intrinseco et secreto. Quo magis cavendum est hominibus ab hac passione; quæ non solum alias res perdit, sed et se ipsam. Quæ alia infert damna, belle illa exprimit poëtarum fabula: eum scilicet, qui Helenam prætulit, Junonis dona et Palladis amisisse. Quisquis enim amatoris affectibus nimis indulget, et divitiis et sapientiæ nuncium remittit. Habet hæc passio æstus suos in ipsis temporibus, quibus animus maxime mollis est et infirmus; nimirum in rebus prosperis, aut

adversis : quanquam hoc posterius minus forsitan observatum fuerit. Utraque enim tempestas amorem accendit, redditque flagrantior; unde evincitur esse stultitiæ proles. Optime illi, qui si amores omnino nequeant extrudere, eos tamen in ordinem redigunt; et a rebus seriis, vitæque negotiis, segregant. Si enim illis amor se immisceat, turbat omnia, hominesque eo compellit, ut fines suos recta petere non possint. Quicquid in re sit, viri militares amoribus dediti sunt, opinor, non aliter, quam vino. Poscunt enim plerumque pericula compensationem voluptariam. Inest ingenio humano motus quidam arcanus, et tacita inclinatio, in amorem aliorum: qui si non insumatur in unum, vel paucos, naturaliter se diffundit in plures; atque homines reddit humanos et charitativos: quemadmodum videre licet nonnunquam in monachis. Amor conjugalis genus humanum creat; amor socialis perficit; amor vero lascivus inficit et dehonestat.

#### XI. DE MAGISTRATIBUS ET DIGNITATIBUS.

VIRI in magistratu collocati, ter servi: servi principis vel politiæ; servi famæ; et servi negotiorum. Adeo ut libertate nequiquam fruantur; nec in personis, nec in actionibus, nec in temporibus suis. Mirum cupiditatis genus, potestatem appetere, libertatem amittere: vel potestatem in alios ambire, potestatem in se ipsum exuere: ascensus ad dignitates arduus est; et per labores pervenitur ad labores majores: sæpe quoque indignitatibus non vacat; atque per indignitates pervenitur ad dignitates. Statio in dignitatibus res lubrica est; atque regressus, aut præcipitium est, aut saltem eclipsis; quæ et ipsa triste quiddam, et melancholicum. *Cum non sis qui fueris, non esse cur velis vivere?* Imo nec regredi datur, etiamsi quis cupiat; neque regredi volunt homines, cum ratio postulat ut id facerent; verum impatientes manent vitæ privatæ, etiam cum senectus aut infirmitas ingruit; quæ umbram et otium postulant, sicut oppidani senes, qui ante ostium sedere volunt, licet se eo pacto derisui exponant. Sane, viris in magistratibus positus opus est, ut

opiniones mutuentur, quo se ipsos beatos putent; nam si judicent ex sensu proprio, nihil hujusmodi reperient; verum, quando secum cogitent, quid alii de ipsis sentiant, et quam libenter alii conditiones cum illis permutare vellent, tum demum beati sunt, tanquam rumore tenus: cum intus fortasse contrarium experiantur. Siquidem dolores suos primi omnium sentiunt, licet culpas suas omnium novissimi. Certe viri potestatibus sublimes, ipsi sibi ignoti sunt; et dum negotiis distrahuntur, tempore carent, quo sanitati, aut corporis, aut animæ suæ, consulant:

*Illi mors gravis incubat,  
Qui, notus nimis omnibus,  
Ignotus moritur sibi.*

In potestatibus, licentia magna datur, et boni, et mali: quorum posterius pro maledictione habendum: in malis enim, optima conditio est, nolle; proxima, non posse. Certe potentia bene-merendi verus est et legitimus ambitionis finis. Etenim bene cogitare, licet Deo acceptum sit, tamen versus homines non multo melius est, quam bene somniare, nisi in actum producat. Id autem fieri non potest sine munere aliquo publico et potestate; veluti solo superiore et elevato. Merita et opera bona sunt veri fines laborum hominis: atque eorundem conscientia perfectio humanæ quietis. *Et conversus Deus, ut aspiceret opera, quæ fecerunt manus suæ, vidit quod omnia essent bona nimis:* tum sequitur sabbatum. In munere tuo perfungendo propone tibi exempla optima; imitatio enim globus est præceptorum: et post tempus aliquod propone tibi exemplum proprium; atque in te ipsum stricte inquiras, num non melius inceperis, quam pestiteris: neque rursus exempla eorum negligas, qui eodem munere praviter functi sunt; non ut te ipsum, eorum memoriam carpendo, vendites; sed ut monearis, quid evitare debeas. Institue igitur reformationem, sed absque elatione tui-ipsius, aut scandalo priorum temporum et personarum; hoc tamen tibi constitutum sit, exempla præclara non minus introducere, quam imitari. Re-

trahe res ad primam earum institutionem ; et circumspicias, in quibus, et quibus modis, dēgeneraverint. Attamen utrunque tempus consulas ; tum antiquius, ut cognoscas quid optimum fuerit ; tum recentius, ut notes, quid fuerit aptissimum. Contende, ut quæ agis pro potestate, tanquam regulis quibusdam cohibeantur ; ut hominibus tanquam digito monstres, quid illis sit exspectandum : neque tamen nimium sis pertinax, aut peremptorius : atque semper, cum a regula recesseris, quid sit, quod agas, diligenter expone. Muneris tui jura constanter tueare ; neque propterea lites de jurisdictione facile move : atque ita te geras, ut potius jura tua assumes et exerceas tacite, et de facto, quam ut quæstiones de iis cum strepitu suscitares et agites. Jura etiam inferiorum munerum, tibi subordinatorum, defende, ac ne destitue. Tibique majori honori ducas rerum summas præscribere, quam in omnibus satagere. Amplexere, imo invita, qui tibi adjumento sint et informationi, ad muneris sui executionem ; neque abige eos, qui operam suam ad hoc tibi deferunt, tanquam se ingerentes ; sed potius cum favore eos allicias et recipias.

Vitia in auctoritate utenda et exercenda sunt præcipue quatuor. Mora nimia, corruptela, asperitas, et facilitas. Quantum ad moras, faciles aditus præbe ; tempora præstituta serva ; inchoata quæ sunt perfice ; neque negotia nova intermisce, nisi urgeat necessitas. Quantum ad corruptelas : non solum manus tui ipsius et tuorum liga, ne munera accipiantur ; sed etiam manus supplicantium, ne ea offerantur. Prius horum præstat certe integritas adhibita ; verum ea ipsa prædicata, et ex professo, idque cum detestatione corruptelarum, etiam posterius assequitur. Neque tantum culpam, verum etiam suspicionem evita. Quicumque mutabiles sunt, et manifesto alterantur absque causa manifesta, injiciunt suspicionem de corruptelis. Itaque perpetuo, cum ab opinione tua quam declarasti, aut processu quem incepisti, deflectas, ingenue hoc ipsum profiteri ; simul et causas, quæ te ad hoc commoverunt, sedulo declares et inculces ; neque rem suffurari

te posse credas. Servus graciosus, et apud dominum potens, si non exstet aliqua favoris causa manifesta, reputatur plerunque nihil aliud quam via obliqua ad corruptelas. Quantum ad asperitatem; invidiam, et malevolentiam parit illa, nihil inde metens: severitas siquidem metum incutit, asperitas odium parit. Etiam reprehensiones de loco superiore, graves esse debent, non contumeliosæ. Quantum ad facilitatem: ea corruptelis etiam deterior est: corruptelæ enim interdum et subinde tentantur; quod si quis importunitati pateat, aut respectibus levioribus ducatur, hæc ei ubique aderunt. Sicut ait Salomon: *Personas respicere non est bonum; talis enim offendet pro buccella panis.*

Verissimum sane, quod a veteribus dictum est: *Magistratus virum indicat.* Alios autem indicat in melius, alios in pejus: *Omniium consensu capax imperii, nisi imperasset;* inquit Tacitus de Galba: contra de Vespasiano idem: *Solus imperantium Vespasianus mutatus in melius.* Licet alterum intelligat Tacitus de arte imperatoria, alterum de moribus et affectibus. Signum est luculentissimum indolis generosæ, si quis honoribus emendetur. Est enim honor, aut saltem esse debet, locus virtutis: atque quemadmodum in natura, corpora moventur rapide ad locum, placide in loco: ita virtus in ambitu violentior est, in honore adepto sedatior. Ascensus omnis ad dignitatum fastigium incedit tanquam per scalam graduum flexuosam; atque, si factiones valeant, bonum fuerit alteri parte adhærere, dum quis honorem scandat: at se ad æquilibrium reducere, postquam eundem fuerit consecutus. Memoriam prædecessoris tui illæsam conserva. Hoc si non feceris, debitum tibi hoc a successore tuo rependetur. Collegas etiam amice tracta, et potius advoca cum illud minime exspectent, quam exclude cum consentaneum fuerit eos advocari. Ne sis loci tui nimis memor, aut crebam de eo mentionem facias, in quotidianis sermonibus, aut conversatione privata; sed potius prædicetur de te: *Alius prorsus vir est, cum sedet, et munus suum exercet.*

## XII. DE AUDACIA.

IN scholis tritum est dicterium, nec tamen sapientis observatione indignum. Interrogatus olim Demosthenes, quænam prima oratoris virtus? respondit, Actio. Quæ secunda? Actio. Quæ tertia? itidem respondit, Actio. Ipse dixit, qui rem optime noverat; nec tamen in eo, quod laudabat, multum naturæ debebat. Mira certe res, illam oratoris partem, quæ non ultra corticem penetrat; et histrionis potius virtus censenda est, quam oratoris; in locum tam sublimem, supra nobiliores illas partes, inventionis, elocutionis, et cæterarum, extolli; imo quasi omne tulisset punctum, pene solam prædicari. Sed in promptu ratio est: inest enim naturæ humanæ, plerunque, plus stulti, quam sapientis. Unde et facultates eæ, quibus capitur pars illa in animis mortalium stulta, sunt omnium potentissimæ. Huic mire convenit, et quasi parallela est, audacia in negotiis civilibus. Quid in istis primum? Audacia. Quid secundum? Quid tertium? Audacia. Attamen utcumque ignorantia, et sordidi ingenii, proles est audacia; cæterisque civilis scientiæ partibus longe impar. Sed nihilominus fascinat, et captivos ducit eos, qui vel iudicio infirmi sunt, vel animo timidiore: tales autem sunt hominum pars maxima. Quin et sapientibus ipsis, cum animis vacillent, vim injicit. Idcirco videmus audaciam in democratiis plurimum valuisse; apud senatores vero, et principes, certe minus. Imo quando primo rebus gerendis admoventur, audaces plus possunt, quam postea: nam male pollicita præstat audacia. Sane quemadmodum interveniunt agyrtæ, qui corpori naturali mederi profitentur; sic et corpori politico non desunt homines, qui curationes vel difficillimas suscipient; quibus fors in paucis aliquibus experimentis feliciter successit; sed cum scientiæ principia non gustarint, sæpius excidunt. Imo videre est nonnunquam hominem audacem miraculum illud Mahometis edentem. Populo persuasit Mahometes, se collem ad semet evo-

caturum ; atque a summo ejus jugo preces pro legis suæ cultoribus oblaturum. Populus magna frequentia convenit : collem, ut ad se veniret, iterumque iterumque vocavit Mahometes ; sed cum collis immotus maneret, ille (nihil omnino pudefactus) inquit: *Si collis ad Mahometem accedere nolit, ad collem ibit Mahometes.* Sic et istiüsmodi homines, quando ingentia quædam in se susceperunt, turpissimeque in iis defecerunt, tamen (si ad ipsum audaciæ culmen pervenerunt) lusu rem excipient, et se vertent, et nihil aliud. Hominibus profecto magno judicio præditis ludibrio sunt audaces ; imo et apud ipsum vulgus audacia aliquid habet ridiculi. Nam si risus objectum sit absurditas, ne dubites quin magna audacia semper secum habeat aliquid ridiculi. Neque fere jucundius est spectaculum, quam videre in audace oris confusionem ; vultum enim tunc nanciscitur in se reductum, sed deformiter. Nec aliter fieri potest. Nam in verecundantibus fluunt paulatim, refluxuntque spiritus ; sed audaces, quando tale quidpiam illis contingit, attoniti hærent ; ut fit in schacciæ ludo, quando non vincitur collusor, sed torpet tantum motus. Atqui hoc postremum satiræ aptius, quam seriæ observationi. Illud vero animadvertendum, audaciam semper cæcam esse. Discrimina enim et obstacula nulla videt : quare in deliberando nocet, in exsequendo juvat. Adeo ut, si audaces tuto adhibere velis, summum illis imperium non deferas ; secundæ classi annumerentur, et ab aliis regantur. Nam in consiliis capiendis, pericula ante oculos habere bonum est ; in executione autem, oculos claudere oportet, nisi pericula valde magna fuerint.

### XIII. DE BONITATE, ET BONITATE NATIVA.

BONITATEM eo sensu accipio, ut sit affectus, qui hominum commoda studeat, et bene velit : quam eandem Græci philanthropiam vocant. Humanitatis autem vocabulum (prout vulgus ea utitur) levius aliquanto est, atque angustius, quam ut vim ejus exprimat. Bonitatem scilicet appello affectum et habitum ; bonitatem

autem nativam, inclinationem. Bonitas vero inter omnes virtutes, atque animi dignitates, facile primas obtinet; cum sit ipsius divinæ naturæ adumbrata quædam effigies, et character: qua e rebus sublata, homo animalis nihil aliud fuerit, quam res inquieta, scelestas, misera, imo species quædam noxiorum vermium. Bonitas moralis virtuti illi theologicæ charitati respondet; neque excessum quidem capit, aberrationem autem patitur. Immodica potentiæ cupiditas angelos cælo deturbavit; immodica scientiæ cupiditas hominem paradiso expulit: at in charitate non datur excessus; neque per eam aut angelus, aut homo, unquam periculum subire possit. Inclinatio autem ad bonitatem, altis defixa radicibus, naturæ humanæ insidet: quæ si, benefaciendi materia, aut occasione, destituta, non inveniatur, quo se exercent in homines, deflectet certe in brutas animantes. Quod in Turcis, gente utique sæva et fera, videre est; qui nihilominus erga bruta animalia misericordes sunt, et eleemosynas canibus et avibus distribuunt. Adeo ut (referente Busbequio) aurifex quidam Venetus, Byzantii agens, vix furorem populi effugerit, quod avis cujusdam, rostri oblongi, fauces, inserto baculo, diduxisset. Neque tamen erroribus suis vacat bonitatis hæc et charitatis virtus. Nequam apud Italos jactatur proverbium: *Tanto buon, che val niente*. Adeo bonus, ut ad nihil bonus. Neque subveritus est Nicolaus Macciavellus literis concedere, idque disertis fere verbis: *Fidem Christianam homines probos et innocentes, in prædam, tyrannorum iniquitati dedisse*. Quod ideo pronunciavit, quia nulla usquam lex, nulla secta aut opinio, tam in immensum extulit bonitatem, quam religio Christiana. Quo melius itaque extra scandali, adeoque periculi ictum et minas tuti consistamus, operæ pretium erit nosse errores, qui nos a recto tam insignis habitus tramite transversos agant. Ita aliorum bono studeas, ne te illorum interea aut vultibus, aut voluntatibus, mancipio dedas. Illud enim facilitatis atque mollitiei indicium est, quæ honestam mentem in vincula captivam abducit: neque projicias Æsopi gallo gemmam, cui gratius et felicius cederet granum hordei.



Dei exemplum in hac re pro præcepto tibi sit. *Ille pluvia sua rigat, sole suo irradiat, justos juxta ac injustos: non tamen omnes ex æquo aut opum imbre compluit, aut honorum, virtutumve splendore, illustrat. Communia quidem beneficia cuivis sunt communicanda: peculiaria vero paucis, et cum delectu. Cave autem, ne dum effigiem sculpas, archetypum destruas. Theologia quippe amorem nostri ipsius pro archetypo statuit, amorem proximi pro imitamento. *Vende omne quod habes, atque elargire pauperibus, et sequere me.* At noli omne, quod habes, vendere, nisi venias, et sequaris me: hoc est, nisi ejusmodi vitæ institutum ingrediaris, in quo, æque ex parvis opibus, ac ex magnis, poteris aliis benefacere. Secus, dum rivos alis, fontem exhauris. Neque interea habitus tantum bonitatis reperitur ad rectæ rationis normam applicatus, sed etiam in quibusdam hominibus reperitur indoles naturalis ad eam propensa: uti e contra in aliis naturalis quædam malignitas. Sunt enim qui ex ingenii proprii instinctu aversentur aliorum bonum. Et levius quidem malignitatis genus in morositatem cedit, aut perversitatem, aut præcipitem opponendi, et se in singulis difficilem præbendi, libidinem; et similia: gravius tamen illud, atque altius, ad invidiam producit meramque malitiam. Hujusmodi homines in alienis calamitatibus fere florent, easque semper aggravant: non digni certe, qui conferantur canibus illis, qui Lazari delingebant ulcera; sed muscis, quæ cruda quæque et excoriata infestant. Non paucos reperias misanthropos, quibus volupe est deducere homines ad suspendii ramum, neque tamen arborem habent in hortis suis, qualem Timon habuit. Ingenia ita disposita, non injuria vocare licet, humanæ naturæ vomicas, et carcinomata. Sunt tamen hæc ligna accommodatissima, e quibus fiant Mercurii politici: similia lignis incurvis, quæ bene navigiis exstruendis conveniunt, jactationi destinatis, non autem ædibus, quæ immotæ manent. Partes autem, et indicia bonitatis sunt plurima. Si quis se erga hospites et peregrinos benignum hujusmodi præbeat, arguit se mundi civem, sibi contentum esse non instar insulæ, cæteris terris avulsæ.*

nentis, quæ illis conjungitur: si compatiatur afflictis, nobilitat sua præcordia, quæ non secus, atque celebrata illa arbor, per sua vulnera balsamum exsudat. Si facilis offensas remiserit, et delictorum gratiam fecerit, mentem indicat in alto positam esse, supra injuriarum jactum et tela. Si pro modicis beneficiis gratum se exhibeat, argumento est, pluris se æstimare hominum animos, quam sarcinas. Supra omnia, si supremum illud sancti Pauli apostoli perfectionis fastigium sit consecutus, ut devoveat se, atque anathematizet a Christo, propter salutem fratrum, indicio est, proxime illum accedere ad naturam divinam, et quodammodo Christo ipsi conformari.

#### XIV DE NOBILITATE.

DE nobilitate primum agamus, ut est portio reipublicæ; deinde ut est conditio hominum particularium. Monarchia, in qua nulli prorsus nobiles, semper pura est et absoluta tyrannis: cujusmodi est imperium Turcicum. Dignitatem enim regalem diluit nobilitas, et vulgi oculos a prosapia regia aliquantulum avocatur. In democratia vero proceres interdum non desiderantur: imo status ille popularis multo pacatior est, atque minus factionibus et turbis obnoxius, ubi non sunt stirpes nobilium: illic enim in res ipsas oculi hominum conjiciuntur, non in personas; vel si omnino in personas, id fit tanquam in maxime idoneis rebus gerendis, minime vero ut ratio habeatur insignium, aut imaginum. Helvetiorum rempublicam satis florentem videmus, licet religionis pagorumque diversitas obstare videatur. Utilitas enim apud illos valet, non dignitas. Illa gubernandi forma, qua confœderatæ Belgarum provinciæ utuntur, certe eminet: ubi enim paritas admittitur, ibi et consilia ineuntur æquabilius, et tributa penduntur alacrius. Nobilium potentia et auctoritas in monarchia, principi ipsi impertit splendorem, sed potestatem imminuit; populi vero animos auget, fortunas illorum deprimit. Bene se res habet, cum nobiles non stultatentiores, quam aut imperii aut justitiæ ratio possunt tamen dignitatis gradu sustineantur, ut in-

solentia popularis illorum reverentia, tanquam obice, retundatur, antequam in regalem majestatem se effundat. Rursus, numerosa nobilitas, quæ plerumque minus potens est, statum prorsus depauperat: hinc enim profusæ expensæ: atque insuper, cum necesse sit, tractu temporis, complures ex nobilibus indigos fieri, sequitur divortium quoddam, sive malum temperamentum, inter honores et pecunias.

Quod vero ad nobilitatem spectat in personis particularibus: venerationem certe habet, videre castellum, aut ædificium antiquum, quod nulla ruina invasit: aut etiam annosam et proceram arborem solidam et integram: quanto magis intueri antiquam nobilem prosapiam, a fluctibus et procellis temporis illæsam? Nobilitas enim nova regiæ potentiæ opus est, antiqua vero temporis solius. Qui ad nobilitatis fastigium primi evehuntur, virtutum claritudine plerumque posteris eminent, sed innocentia minime. Ad honores enim raro ascenditur, nisi per mixturam bonarum et malorum artium. Æquum vero est, ut virtutum suarum memoria usque ad posteros permanet; vitiorum vero una cum ipsis moriatur. Natalium splendor industriam plerumque minuit; atque qui minus est industrius, alienæ invidet diligentia. Ad quod accedit, quod non datur, quo possint ulterius nobiles promoveri. Qui vero in eodem loco hæret, dum alii ascendunt, invidiæ stimulis vix carebit. Contra, nobilitas passivam invidiam omnino lenit eo, quod nobiles in honorum possessione nati videntur. Sane reges, quibus nobiles adsunt prudentes et capaces, negotia sua mollius fluere sentient, si eos potissimum adhibeant: etenim erga hujusmodi proceres populus magis propendet, utpote natos quodammodo ad imperandum.

## XV. DE SEDITIŌIBUS ET TURBIS.

MAGNI refert ut pastores populi prognostica tempestatum politicarum sciant; quæ tunc maxime sunt, cum res vergunt ad æquilitem; non secus ac naturales tempestates circa æquinoclia invalescunt. Quem-

admodum autem sæpe videre est flatus ventorum, cavos, et veluti a longinquo, quin et similiter maris tumores occultos, ante procellam; idem evenit ingruentibus procellis politicis.

*Ille etiam cæcos instare tumultus  
Sæpe monet, fraudesque et operta tumescere bella.*

Famosi libelli, et licentiosi et mordaces sermones in status scandalum, cum passim volitant, et increbrescunt: similiter novarum rerum rumores mendaces, in regiminis dedecus, undique jactati, et avidè a populo excepti; sunt certe inter prognostica seditiombus. Quo stemmate deducta sit Fama cum Virgilius depingeret, gigantum sororem eam esse ponit.

*Illam Terra parens, ira irritata Deorum,  
Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladoque sororem  
Progenuit.*

Quasi famæ fuissent seditiombus præteritarum reliquiæ: verum sunt illæ non minus seditiombus futurarum præcursatrices. Recte tamen utcunque notatum est, inter seditiosos tumultus, et seditiosos rumores, nil aliud fere interesse, nisi qualis est discrepantia inter fratrem et sororem, masculum et fœminam. Præsertim, si eo usque ingravescat malum, ut actiones status laudatissimæ, quæ merito plausum vulgi mererentur, et populi studia conciliare deberent, in deteriore partem traducantur et sugillantur: hoc enim invidiæ molem grandem demonstrat; ut recte ait Tacitus: *Conflata magna invidia, seu bene seu male gesta premunt.* Neque propterea sequitur, quod quia famæ istæ inter turbarum signa numerentur, ideo earum suppressio severior remedium contra turbas præstare intelligeretur; nam ut plurimum contemptæ facilius evanescent, et conatus sedulus eas coercendi nihil aliud fere efficit, quam ut durent magis.

Item illud genus obsequii in exsequendis jussis, de quo loquitur Tacitus, pro suspecto habendum: *Erant in officio, sed tamen qui mallent imperantium mandata interpretari, quam exsequi.* Mandata discutere, detrec-

tare, cavillationibus eludere, quid aliud sunt, quam jugum jactare, et inobedientiam tentare? præsertim ubi in istis disputationibus circa mandata, qui a parte mandatorum stant, loquuntur timide et molliuscule; qui autem adversantur, audacius et contumacius.

Etiam (ut bene notat Macciavellus) cum principes, qui se pro parentibus communibus gerere deberent, factioni alicui se adjungunt, idem fit, ac cum lembus, inclinatione nimia in alterum latus, evertitur. Hoc temporibus Henrici tertii, Gallorum regis, confirmatum est. Ipse enim, a principio, in ligam pro exstirpandis protestantibus se recipi voluit: at paulo post eadem liga contra ipsum regem vertit. Cum enim auctoritas principis fit causæ cujuspian tanquam accessoria, et fortior insurgit aliqua obligatio, quam vinculum imperii, reges incipiunt de possessione auctoritatis suæ dejici.

Porro cum discordiæ, et duella, et factiones, palam et audacter se ostentant, indicio est reverentiam erga principem exui. Motus enim procerum debent esse sicut motus planetarum, sub primo mobili (juxta opinionem receptam) qui rapide quidem circumferuntur secundum motum primi mobilis, leniter autem reniuntur in motu proprio. Quare si viri primores et nobiles propriis motibus violenter rapiantur, et (ut scite Tacitus) *liberius, quam ut imperantium meminissent*; orbes perturbari manifestum est. Reverentia enim id ipsum est, quo reges a Deo accinguntur, qui eam aliquando dirumpere minatur: *Solvam cingula regum.*

Rursus, cum aliqua ex quatuor imperii columnis concutiatur aut labefactetur (quæ sunt, religio, justitia, consilium, opès) tum serenitas precibus imploranda est. Sed mittamus hæc prognostica seditionum (circa quæ nihilominus intervenient nonnulla, quæ iis tractandis majorem lucem præbere possint, in sequentibus) et primo de materia seditionum; postea de earum causis et flabellis; ultimo de remediis nonnihil dicamus.

Materiam seditionum expendere res est consideratione dignissima. Tutissima enim via seditiones evitandi (si tempora patiantur) est, ut ipsam materiam e medio tollamus. Si enim fomes flammæ paratus sit,

scintillæ, quæ incendium facient, ex qua parte emicare possint, nemo facile dixerit. Seditionum materia duplex est: magna inopia, et præsentium rerum tædium. Certissimum est, tot esse pro turbis vota, quot sunt hominum res attritæ, et decoctæ fortunæ. Unde illa Lucani observatio de statu imperii Romani, paulo ante bellum civile:

*Hinc usura vorax, rapidumque in tempore fœnus:  
Hinc concussa fides, et multis utile bellum.*

Hoc ipsum, *Multis utile bellum*, certum est indicium status ad commotiones et turbas dispositi. Tum si primorum hominum indigentia, ac res accisæ, cum summa plebis inopia et paupertate conjungantur, periculum imminet grave. Rebelliones enim, quæ a ventre ortum habent, pessimæ. Quantum vero ad alienationes animorum, et tædium rerum præsentium; sunt certe illa, in corpore civili, instar humorum maligniorum in corpore naturali, qui ad calorem præternaturalem colligendum, et inflammationes, apti sunt. Nemo autem principum sui periculi magnitudinem metiatur ex eo, quod justa sint aut injusta illa, quæ animos populi alienant: hoc enim esset vulgus rationis nimium capax putare, qui suo sæpe recalcitrant commodo. Neque etiam ex hoc, quod gravamina, ex quibus invidia oritur, grandia sint aut exigua. Malevolentis enim ex omnibus istæ periculosissimæ sunt, ubi plus timetur, quam sentitur. *Dolendi modus, timendi non item.* Præterea, in maximis oppressionibus ea, quæ patientiam irritant, etiam animos frangunt: at in timoribus dispar est ratio. Neque rursus princeps, aut status, alienationem animorum, et invidiam grassantem, minus pendat, quod aut sæpius, aut diutius, illa fastidia animorum æstuarunt, neque quicquam inde detrimenti respublica cepit. Verum enim licet sit, quod non omnis vapor in procellam desinat; ita vere dici potest, ex altera parte, quod procellæ, licet sæpius pertranseant, tandem glomerantur et ruunt. Atque, secundum adagium illud Hispanicum, funiculus in fine, levissima tensione rumpitur.

Causæ seditiōnum hæ sunt : in rebus religionis innovatio ; tributa et census ; legum et consuetudinum mutatio ; immunitatum et privilegiorum violatio ; oppressio universalis ; indignorum ad honores et magistratus promotio ; alienigenæ ; caritas annonæ ; milites incuriose dimissi ; factiones factæ desperatæ ; quicquid denique populum offendit, simulque eos in causa communi unit, et conspirare facit.

Quantum ad remedia. Præservativa quædam confuse, et in genere, possunt assignari, de quibus disseremus ; curatio autem legitima morbo particulari aptari debet. Itaque consiliis potius, quam præcepto, relinquenda.

Primum contra seditiōnes remedium, et præventio, hæc est : omni cum opera et diligentia causam illam seditiōnum materialem, de qua diximus, amovere ; paupertatem intelligo civium, et inopiam. Cui inservit, commercii rationes bene liberare, et bene librare ; artifices et manufacturas introducere et fovere ; desidiam et otium profligare ; luxum et profusionem sumptuariis legibus coercere ; solum et agros cultura lucrosissima subigere ; rebus venalibus pretia justa imponere ; census et tributa moderari ; et similia. In genere præcavendum, ut incolarum multitudo (temporibus scilicet pacis, quando gladius nihil demetit) regni proventus, quibus ali possit, non excedat. Neque incolarum multitudo, utrum superflua sit, necne, capitum numero solum censenda est. Sunto enim pauciores, qui multum profundunt, et parum lucrantur, plus illi atterent statum, quam multo plures, qui majore parsimonia degunt, pecunias autem congerunt. Nobilium igitur, et eminentioris dignitatis hominum, numerus auctus magis, quam pro analogia plebeiorum, celeriter statum depauperat. Quod etiam facit clerus numerosus : illi enim sorti reipublicæ nihil addunt. Idem quoque fit cum plures in literis educantur, quam quibus victum suppeditare possint vocationes civiles.

Neque prætereundum est, quod cum omne publicæ opulentia augmentum ab exteris nationibus lucriferi necesse sit (quicquid enim alicubi adjicitur, alibi detrahitur) tria tantum esse, quæ gens genti vendit : mate-

riam mercium; manufacturam; et vecturam. Quæ quidem tres rotæ, si recte progrediantur, æstus divitiarum erunt uberiores. Sæpius autem contingit illud, de quo loquitur poëta, *Materiam superabit opus*; nempe ut manufactura, et vectura, materiæ pretium excedat, et statim magis locupletet. Manifesti sunt hujus rei testes inferioris Germaniæ populus, qui quidem fodinas, non subterraneas illas, sed supra terram, præ omnibus gentibus habent ditissimas.

Nihil autem prius debet esse aut consultius, quam ut videat magistratum prudentia ne pecuniarum thesauri apud paucos recondantur. Aliter enim facile fuerit, rempublicam inter magnas opes fame perire. Nummus autem, instar fimi, non fructificat, nisi per terram dispergatur. Hoc præcipue efficitur supprimendo, aut saltem coërcendo, voragines illas fœnoris, monopoliorum, et latifundiorum in pascua conversarum et similium.

Quantum ad sedandas animorum offensiones, aut saltem ad amolienda ea, quæ ab iis proveniunt, pericula; duo sunt in omni statu (ut notum est) subditorum genera: proceres et plebs. Quævis harum partium sola, si infensa sit, non magnum subest periculum. Tardi enim sunt populi motus, nisi a nobilibus incitentur: nobiles autem invalidi, nisi vulgus sua sponte ad motus aptum et prædispositum sit: tum periculum revera ingruit, cum potentiores exspectent dum aquæ moveantur apud vulgus, ut ita demum animos exulceratos prodere possint. Fingunt poëtæ, cœlicolas Jovem ut vincirent conjurasse; quod ubi Jupiter accepisset, Minervæ consilio, Briareum centimanum accersivit, ut in suppetias ei veniret. Proculdubio hoc emblemata monarchas monet, quam tutum et salutare sit eis plebis studia conciliare et retinere.

Licentiam nonnullam, sed moderatam, animis gravate affectis et malevolis indulgere, ut ebulliant eorum dolores, et in fumos abeant (modo insolentia absit et audacia) utile sane est. Qui enim humores ad interiores partes retrovertit, et vulnus in viscera sanguinem refundere compellit, ulcera mortifera, et exitialia apostemata, inducit.



Ad molliendos exacerbatos et malevolos animos, partes Epimethei etiam ad Prometheus rite transferri possint. Neque enim reperitur remedium utilius. Epimetheus, ubi mala et ærumnas evolare sensisset, operculum vasi festinus imposuit, et in imo dolii spem reservavit. Certe, politice et artificiose spem nutrire, et iudicare, ac homines a spe alia in aliam circumducere, ex fortissimis est contra venenum malevolentiae antidotis. Neque certius est indicium prudentis regiminis et rerum administrationis, quam ubi homines spe continere possit, cum satisfaciendi copia non datur; atque ubi res tam provide tractantur, ut nullum malum ita peremptorie imminere videatur, quin aliqua se ostendat spe rima ad evadendum: quod eo minus difficile factu est, quia tam privatis hominibus, quam factionibus, sibi ipsis adulari insitum est; aut saltem ostentare in gloriam suam quod non omnino credunt.

Trita sane est, sed præcellens periculorum, quæ malevolentiae minantur, cautio, ut prævideatur ne sit caput aliquod, ad quod populus infensus et exacerbatus confluere, et sub cuius præsidio in corpus aliquod coire, possit. Caput ego illum dico, et ducem idoneum, qui robore et existimatione celebratur; quique apud malevolos acceptus est et gratiosus, atque ad quem ora et oculos convertunt; quique etiam ipse in rebus suis privatis censetur offensus. Quod genus virorum, aut statui conciliandum est, idque non perfunctorie, sed solide; aut per alium aliquem ex iisdem partibus retundendum, qui illi alteri se opponat, atque gratiam popularem in diversa trahat et secet.

Ubique hoc obtinet, quod factiosas potentias et coalitiones, quæ contra gubernationem imperii frontem contrahunt, inter se committere, aut saltem diffidentiam inter eas seminare, remedium haud contemnendum sit. Etenim male admodum agitur cum republica, si illi, qui erga imperium bene affecti sunt, discordiarum pleni existant, qui vero infensi, et maligni, arcte jungantur.

Adnotavi sæpius, ingeniosa et arguta dicteria, quæ principibus improvise exciderunt, nonnunquam scintil-

las ad seditiones injecisse. Exitiale sibi vulnus infixit Cæsar eo dicto: *Sylla nescivit literas, dictare non potuit.* Spem enim omnem illud verbulum præscidit, quam homines imbiberant, aliquando eum dictaturam depositurum. Perdidit se ipsum Galba eo dicto: *Legi a se militem, non emi.* Inde enim milites de donativis desperarunt. Probus item propter eam vocem interiit, *Si vixero, non opus erit amplius Romano imperio militibus.* Etenim ob hæc verba milites animum desponderunt. Sunt et alia haud pauca ejusdem generis. Interest sane principibus, in rebus ambiguis, et temporibus auxiliis, ut caveant quid dicant, præsertim in concisis his sententiis, quæ veluti spicula volitant, et ex secreto pectoris eorum emissa putantur. Longiores enim et productiores sermones obtusi sunt, et minus notantur.

Postremo, in omnes eventus, habeant circa se principes personas nonnullas militia et fortitudine spectatas, ad reprimendas seditiones in primis motibus. Hoc enim si desit, magis trepidari solet in aulis principum, cum turbæ primo erumpunt, quam par esset. Et status eo genere periculi laborat, quod Tacitus illis verbis innuit: *Atque is habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.* Isti autem militares viri fidi omnino esse debent, et bonæ existimationis potius, quam factiosi, aut populares; et cum cæteris proceribus bene comparati. Alio remedio morbo gravius.

## XVI. DE ATHEISMO.

MINUS durum est, credere portentosissimis fabulis Alcorani, Talmudi, aut Legendæ, quam credere, huic universitatis rerum fabricæ mentem non adesse. Itaque Deus nunquam edidit miraculum ad atheismum convincendum, quoniam opera ejus ordinaria huic rei sufficient. Verum est tamen, parum philosophiæ naturalis homines inclinare in atheismum; at altiorem scientiam eos ad religionem circumagere. Etenim intellectus humanus, dum causas secundas intuetur sparsas, interdum iis acquiescere possit, nec ulterius penetrare; ve-

rum cum tandem catenam earum, connexarum inter se, et confœderatarum, contemplari pergat, necesse habet confugere ad providentiam et deitatem. Imo, et illa schola, quæ præcipue accusatur atheismi, si quis vere remintrospectat, religionem demonstrat clarissime: nempe schola Leucippi, Democriti, et Epicuri. Etenim longe verisimilius est, quatuor elementa mutabilia, et unam quintam essentiam immutabilem, recte ab æterno locata, opus Deo non habere, quam exercitum atomorum et seminum infinitorum, sine ordine fortuito vagantium, hunc rerum ordinem, et pulchritudinem, progignere potuisse, absque ædili quodam divino. Dicit Scriptura, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*: non dicit, Cogitavit insipiens in corde suo: adeo ut magis intra se hoc asserat, tanquam rem quam lubens optaret, quam quod penitus hoc credat et sentiat. Nemo enim Deos non esse credit, nisi cui Deos non esse expedit. Nulla alia re sane magis convincitur, atheismum labiis tantum insidere, cordi autem minime, quam hac, quod athei opinionem suam sæpe prædicent et defendant; ac si ipsi sibi diffiderent, aliorumque consensu refocillari cuperent. Quinetiam videas interdum atheos sibi discipulos comparare, ut aliæ sectæ faciunt. Imo, quod monstri simile est, quidam ex illis mortem et cruciatus subierunt, potius quam opinionem suam retractare sustinerent, cum tamen, si ex animo sentirent, nihil tale esse quale Deus, quid tandem de ea re satagerent? Epicuro imponitur, eum, existimationis suæ conservandæ gratia, tenuisse, quod existerent quidem beatæ quædam naturæ, sed quæ se ipsis fruerentur; neque mundi administrationi se immiscerent. In qua opinione aiunt eum tempori obsecutum, cum revera Deos esse non putaret. Verum, ut videtur, minus juste arguitur: verba enim ejus egregia sunt et divina: *Non deos vulgi negare profanum, sed vulgi opiniones diis applicare profanum*. Plato ipse melius dicere non potuit. Unde videtur, licet audacia polleret ad divinam rerum administrationem pernegandam, eam tamen ad naturam eorum tollendam illi non suffecisse. Indi occidentales particularium Deorum suorum nomina prædicant; etsi

nomen nullum generale habeant, quod Deum significet: exempli gratia, perinde ac ethnici nomina Jovis, Apollinis, Martis, etc. in usu habuissent, voce autem, qua Deum exprimerent, caruissent. Quod satis indicio est, populos maxime barbaros notionem rei habere, licet latitudinem ejus non comprehendant. Adeo ut contra atheistas, homines maxime ferini cum philosophorum subtilissimis militent. Atheista contemplativus raro reperitur: Diagoras quis, Bion, et fortasse Lucianus, atque alii pauci; qui tamen plures esse videntur, quam sunt; quoniam omnibus, qui religionem aliquam aut superstitionem impugnant, a secta adversa solet inuri nomen et nota atheistarum. Sed magni revera atheistæ sunt hypocritæ; qui sacra perpetuo tractant, sed sine sensu. Adeo ut eos in fine cauterizatos evadere necesse sit. Causæ atheismi sunt: divisiones circa religionem, si plures fuerint: nam unica divisio zelum utriusque partis adauget; verum numerosæ atheismum introducunt. Alia causa sunt, scandala sacerdotum; cum eo res redeat, quo innuit S. Bernardus: *Non est jam dicere, ut populus, sic sacerdos; quia nec si populus, ut sacerdos.* Tertia est, consuetudo profana ludendi et jocandi in rebus sanctis, quæ sensim reverentiam religionis atterit. Postremo ponuntur secula erudita, præsertim cum pace, et rebus prosperis conjuncta. Etenim calamitates et adversa animos hominum ad religionem fortius flectunt. Qui Deos negant, nobilitatem generis humani destruant. Nam certissimum est, hominem brutis cognatum esse, quatenus ad corpus: quod si, quatenus ad animam, non intercedat ei cognatio cum Deo, vilis est plane, et ignobilis creatura. Destruunt quoque magnanimitatem et humanæ naturæ exaltationem. Cape enim exemplum a cane, et observa, quantos sibi assumat animal illud spiritus, et quantam generositatem induat, cum se ab homine (qui ei vice est Dei, aut melioris naturæ) impulsus perspiciat. Quam fortitudinem liquido cernas tantam esse, quantam creatura illa, absque fiducia melioris naturæ, quam propriæ, æquare nullo modo possit. Similiter et homo, ubi innititur, et spem collocat in divina providentia et gratia, fiduciam et

vires colligit, quales humana natura, sibi relicta, nequisset attingere. Quare, ut atheismus in omnibus odium meretur, ita et in hoc, quod privet naturam humanam facultate se ultra fragilitatem humanam attolendi. Quemadmodum fit in personis individuis, similiter fit et in nationibus. Magnanimitatem Romanam nunquam gens aliqua æquavit. Audi igitur quid dicat Cicero. *Quam volumus, licet, patres conscripti, nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec caliditate Pænos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis et terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos, et Latinos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes, nationesque superavimus.*

#### XVII. DE SUPERSTITIONE.

PRÆSTAT nullam aut incertam de Deo habere opinionem, quam contumeliosam, et Deo indignam: alterum enim infidelitatis est, alterum impietatis et opprobrii. Ac superstitio certe divinitatis est dedecus. Plutarchus non abs re inquit: *Mallem sane multo, ut homines dicerent, nunquam fuisse talem in rerum natura virum, qualis ferebatur Plutarchus; quam ut dicerent, fuisse quendam Plutarchum, qui liberos suos, recens natos, comedere et devorare solitus erat; quod poëtæ de Saturno memorant.* Quemadmodum autem contumelia superstitionis ingravescit adversus Deum; ita et periculum majus ab illa incumbit hominibus. Atheismus non prorsus convellit dictamina sensus, non philosophiam, affectus naturales, leges, bonæ famæ desiderium; quæ omnia, licet religio abesset, morali cuidam virtuti externæ conducere possunt: at superstitio hæc omnia dejicit, et tyrannidem absolutam in animis hominum exercet. Itaque atheismus turbas in rebus publicis raro ciet: homines enim cautos reddit, et securitati suæ consulentes. Quin et videmus tempora ipsa, in atheismum procliviora (qualia fuerunt Angusti Cæsaris) tranquilla fuisse. At superstitio compluribus regnis et rebus publicis ruinæ fuit: introducit enim novum primum mobile, quod omnes imperii sphæras rapit. Magister supersti-

tionis populus; atque in omni superstitione sapientes stultis obsequuntur; atque argumenta practicæ succumbunt, ordine perverso. Gravis fuit ille sermo quorundam prælatorum in concilio Tridentino, in quo doctrina theologorum scholasticorum plurimum potuit; nimirum: *Scholasticos astronomis similes fuisse, qui eccentricos circulos, et epicyclos, et hujusmodi orbium machinas finxerunt, quo phænomena servarent, etsi satis scirent, nihil tale revera existere*: eodem modo, etiam scholasticos complura subtilia et perplexa axiomata et theoremata invenisse, quo practicæ ecclesiæ caverent. Superstitionis causæ sunt: grati et sensuales ritus ac ceremoniæ; externæ et pharisaicæ sanctitatis excessus; traditionum major, quam par fuerit, reverentia, quæ ecclesiam non potest non onerare; stratagemata prælatorum, quibus utuntur ad ambitionem propriam, et lucrum; nimius intentionum bonarum favor, qui novitatibus et ἐθελοθρησκείαις januam aperit; exemplorum importuna et inepta petitio ab humanis, quæ in divina transferantur; quæ necessario parit phantasiarum male cohærentium mixturam; postremo tempora barbara, cum calamitatibus et perturbationibus conjuncta. Superstitio, sine velo, deformis res est; etenim sicut simiæ similitudo cum homine deformitatem addit; ita et superstitioni similitudo cum religione. Et quemadmodum cibi salubres corrumpuntur in vermiculos; ita ritus et formulæ bonæ et sanæ corrumpuntur in observantias pusillas et superfluas. Quin et non caret superstitione quandoque superstitionis fuga; cum se tanto saniolem et puriolem viam inire putent homines, quanto a superstitionibus, prius receptis, longius deflexerint. Itaque curæ esse debet, in religione reformanda (ut fit in corpore purgando) ne sana cum corruptis simul evacuentur; quod fere fit, ubi reformatio regitur a populo.

### XVIII. DE PEREGRINATIONE IN PARTES EXTERAS.

PEREGRINATIO in partes exteras, in junioribus pars institutionis est; in senioribus, pars experientiæ. Qui proficiscitur in partes exteras antequam in lingua

gentis, quam adit, aliquos fecerit progressus, ad ludum grammaticum vadit, non ad peregrinandum. Ut adolentes peregrinentur sub tutore, aut servo aliquo experto, probo; modo talis sit, qui linguam calleat, quique regionem illam ante adiverit; unde possit eos instruere, quæ in illa regione, ubi peregrinantur, digna spectatu et cognitu sint; quæ amicitia et familiaritates contrahendæ; quæ denique studia et disciplina ibi vigeant. Aliter enim adolentes peregrinabuntur cucullati, et foras prospicient parum. Mirabile certe est, in navigationibus, ubi nihil aspici datur præter cælum et pontum, conficere consuesse homines diaria; verum in peregrinationibus per terram, in quibus tot res occurrunt observandæ, plerunque hoc omitti; ac si fortuita magis in codicillos mererentur referri, quam quæ de industria observantur. Diaria igitur in usu sint. Res spectandæ et observandæ sunt istæ: Aulæ principum; præsertim cum legatos externos admittunt: judicia et curiæ, cum causæ perorantur; et similiter consistoria ecclesiastica: templa et monasteria, cum monumentis in illis exstantibus: mœnia et munitiones urbium et oppidorum: portus et sinus: antiquitates et ruinæ: bibliothecæ, collegia, disputationes, et prælectiones ubi habentur: naves et carinæ: palatia, et horti magnifici et amœni prope urbes magnas: armaria: navalia: cellæ et horrea publica: loci excambii: bursæ: cellæ mercium: exercitia equitationum, muneris gladiatorii: militum delectus et instructio, cum similibus: comœdiæ, illæ scilicet ad quas homines melioris notæ spectatum veniunt: thesauri monilium et vestium: curiositates et raritates: denique quicquid in locis, quæ transeunt, sit celebre aut memorabile. De his omnibus, a tutoribus, aut servis prædictis, diligenter inquirendum. Quantum ad triumphos, saltationes sub larva, convivia, nuptias, funera, supplicia capitalia, et hujusmodi spectacula, non opus est ut reducantur hominibus in memoriam; attamen non sunt certe illa prorsus negligenda. Si tibi cordi sit fructum peregrinationis adolescentis in compendium redigere, utque brevi spatio multum colligat, hoc faciendum præcipio. Primo (ut dictum est) in lingua aliquis profectus faciendus antequam proficisca-

tur. Tum adjungendus est servus aliquis aut tutor, qui regionem pernorit, ut et jam dictum est. Habeat etiam præsto librum aliquem, aut chartam chorographicam, regionis illius, ubi peregrinatur; quæ instar clavis erit ad inquirendum. Conficiat etiam diarium. Ne moretur longius in una urbe, aut oppido, plus certe aut minus, prout locus meretur, sed minime diu. Imo, dum moratur in aliqua civitate, aut oppido, mutet sæpius hospitium, ex una parte oppidi in alteram; nam et hoc certe magnæ est attrahendi familiaritates, et consuetudines hominum complurium. Secludat se ut plurimum a consortio popularium suorum, atque in iis locis victitet, ubi simul convivantur homines melioris notæ ex natione ubi peregrinatur. Etiam cum de loco in locum itineratur, paret sibi literas commendatorias ad personam aliquam eminentiorum, degentem in loco quo se transfert; ut ejus favore et opera utatur in iis, quæ spectare aut cognoscere desiderat. Hoc modo peregrinationis utilitatem accelerare poterit. Quatenus ad familiaritates et amicitias, quæ inter peregrinandum adjungendæ sunt; utilissima omnium est illa secretariorum, et ministrorum interiorum quibus legati utuntur: hoc enim pacto, in una regione peregrinando, etiam plurium regionum notitiam et experientiam ad se attrahet et suget. Visitet etiam et adeat personas in unoquoque genere egregias, quæ magni apud externos nominis sunt; ut possit notare, quomodo os, vultus, et corporis lineamenta et motus, respondeant famæ. Quantum ad rixas et simultates, cum cura et diligentia sunt illæ vitandæ. Oboriuntur sæpissime circa amores, computationes, præsentiam, et verba contumeliosa. Et caveat imprimis quivis a consortio hominum iracundorum, et qui facile inimicitias suscipiunt; illi enim eum suis immiscebunt contentionibus. Quando peregrinator domum revertitur, nihilominus regiones, in quibus peregrinatus est, non relinquat prorsus pone se: verum conservet, et colat amicitiam eorum, cum quibus familiaritatem contraxit (iis dico qui sunt ex dignioribus) per literas. Et peregrinatio sua potius manifestetur et appareat in sermonibus suis, quam in vestitu, aut gestu: etiam in sermonibus suis potius



meditetur quid sobrie respondeat, quam ad narrationes facilis et pronus sit. Illud etiam in eo sit conspicuum, quod mores patrios cum moribus exteris non commutaverit : sed potius quod consuetudines patrias iis, quæ peregre didicit, tanquam floribus, asperserit.

### XIX. DE IMPERIO.

MISER proculdubio est animi status, pauca habere quæ appetas, multa quæ metuas ; attamen hoc ipsum regibus fere proprium est : qui, in supremo gradu collocati, non habent ad quod aspirent ; id quod animos eorum reddit languidiores : atque e contra habent phantasmata plurima periculorum et umbrarum volitantium ; id quod animos eorum reddit minus serenos. Hinc etiam emanat et alter ille effectus, quem Scriptura regibus tribuit : ut cor regis sit inscrutabile : etenim suspicionum multitudo, et absentia affectus alicujus prædominantis, qui reliquis imperet, cujusvis animum reddit exploratu difficilem. Hinc quoque emanat et illud ; quod reges sæpenumero desideria sibi ipsis creent, atque ad nugas animum adjiciant : interdum ad ædificia extruenda ; interdum ad ordinem aliquem aut collegium instituendum ; interdum ad personam aliquam evehendam ; interdum ad artem aliquam mechanicam aut manus excellentiam exercendam ; ut Nero studuit pulsandæ citharæ, Domitianus sagittis collimandis, Commodus gladiatoræ, Caracalla aurigationi. Hoc illis incredibile videtur, qui axioma illud non norunt : *Animum humanum magis exhilarari et refici progrediendo in rebus parvis, quam consistendo in rebus grandibus.* Videre etiam est reges, qui sub imperii sui initiis in victoriis et provinciis subjugandis maxime felices fuerunt, cum vix possibile sit ut perpetuos progressus faciant, verum ut fortunam suam aliquando adversam et retrogradam experiantur ; sub fine supersticiosos et melancholicos evasisse : ut contigit Alexandro Magno, Diocletiano, ac nostra ætate Carolo quinto ; et aliis. Qui enim progredi semper consuevit, et in obicem tandem impingitur, sui ipsius favore excidit, neque amplius res est quæ fuit.

Dicamus nunc de vera imperii temperatura ; quam

servare res ardua est et rara. Etenim tam temperies, quam intemperies, ex contrariis consistunt. Verum alia res est, contraria miscere, alia alternare. Responsum Apollonii egregia prudentia plenum est. Interrogabat eum Vespasianus: *Quid Neroni ruinæ fuisset!* Respondit: *Nero citharam perite pulsare et accommodare noverat; at in imperando chordas interdum nimium distendebat, interdum eas nimium relaxabat.* Atque certissimum est, nihil auctoritatem æque destruere, ac inæqualem, et quasi subsultoriam atque intempestivam potentiæ alternationem, nunc rigidius intensæ, nunc laxius remissæ.

Veruntamen et hoc verum est, moderni temporis prudentiam, circa principum negotia tractanda, in hoc potissimum versari, ut conquirantur magis et appetantur remedia et subterfugia malorum et periculorum, cum ingruerint; quam ut prudentia solida et constanti depellantur et summoveantur, antequam impendeant. Verum hoc nihil aliud est, quam in agone cum fortuna experiri. Caveant autem homines, ne obdormiscant circa turbarum materias primas, et inchoamenta. Nemo siquidem, scintillam, incendium parituram, prohibere potest; nec regiones metiri, unde eruptura sit. In principum negotiis interveniunt proculdubio multæ difficultates et impedimenta; at sæpenumero maxima impedimenta sunt principum ipsorum affectus et mores. Etenim principibus frequenter accidit, ut contradictoria plane appetant; sicut recte Tacitus: *Sunt plerumque regum voluntates vehementes, et inter se contrariæ.* At potentiæ nimie solæcismus est, credere se posse finem rei pro arbitrio assequi; neque tamen media procurare.

Regibus intercedit negotium cum nationibus vicinis, cum uxoribus propriis, cum liberis suis, cum prælatis et clero, cum proceribus regni, cum nobilibus secundæ classis sive generosis, cum mercatoribus suis, cum plebe regni, cum militibus suis. Atque a singulis horum impendent pericula, nisi adhibeatur cura.

Quod ad vicinos attinet, præscribi non potest regula aliqua certa cautionis, propter occasionum varietatem; unica excepta; quæ semper tenet. Ea est, ut prin-

cipes huic rei perpetuo invigilent, ne quis ex vicinis in tantum excrescat (vel novis territorii augmentis, vel commercium ad se trahendo, vel propius accedendo, et similibus) quo majorem nanciscatur lædendi potestatem, quam antea habuerat. Sane, durante triumviratu illo regum (Henrico octavo Anglo, Francisco primo Gallo, et Carolo quinto Hispano) ea viguit inter ipsos diligentia, ut nemo trium vel palmam terræ acquirere potuisset, quin reliqui duo statim rem ad æquilibrium deducerent; neque pacem fœnore redimere sustinerent. Idemque præstabat fœdus illud (cui Guicciardinus securitatem Italiæ attribuit) ictum inter Ferdinandum regem Neapolitanum; Lorenzium de Medicis, et Ludovicum Sforzam, principes, alterum Florentiæ, alterum Mediolani. Neque recipienda est opinio quorundam ex scholasticis: *Bellum juste suscipi non posse, nisi ob injuriam, aut provocationem præcedentem.* Siquidem justus metus imminentis periculi, etsi violentia aliqua non præcesserit, proculdubio belli causa est competens et legitima.

Quantum ad uxores; exstant exempla ejus generis crudelia et atrocia. Livia, infamis ob veneficium Augusti. Roxolana, uxor Solymani, perniciem intulit Mustaphæ celeberrimo illi principi; atque alias successionem et domum mariti sui perturbavit. Edwardi secundi regis Angliæ uxor operam præbuit præcipuam in mariti sui de regno deturbatione, et nece. Hoc genus periculi maxime timendum, cum reginæ liberos ex priore marito susceperunt, aut in adulterio degunt.

Quantum ad liberos; ab iis etiam ortæ trægædiæ plurimæ. Atque generaliter, suspiciones areptæ a patribus in filios suos infaustæ exstiterunt. Mustaphæ (quem antea nominavimus) cædes stirpi Solymani adeo fatalis fuit, ut successio sultanorum, usque in hodiernum diem, pro suspecto habeatur, velut sanguinis ementiti, quia Selymus secundus putabatur supposititiis. Cædes etiam Crispi, principis summæ spei, inflicta per patrem suum Constantinum Magnum, similiter ejus familiæ fatalis fuit; siquidem tam Constantinus, quam Constans, filii ejus, violenta morte perierunt; et Constantius, qui ex filiis ejussuperstes fuit, decessit sane ex morbo, sed non nisicum Julianus contra eum arma

cepisset. Cædes similiter Demetrii, Philippi secundi Macedonis filii, vertit se in patrem, qui mortuus est ex mœrore et pœnitentia. Complura sunt ejusmodi exempla : verum pauco, aut nulla, ubi patres aliquid boni ex ejusmodi diffidentiis perceperunt ; præterquam cum filii bellum aperte patribus intulerunt ; ut fecit Selymus primus adversus Bajazetem patrem suum ; et tres filii Henrici secundi, regis Angliæ.

Quantum ad prælatos ; ab illis etiam, si potentes fuerint et superbi, periculum ingruit. Ut contigit temporibus Anselmi, et Thomæ Beckettii, archiepiscoporum Cantuariæ ; quorum baculi pastorales cum regis gladio concertarunt ; licet res illis fuerit cum regibus animosis et fastuosis, Gulielmo Rufo, Henrico primo, et Henrico secundo. At periculum hujusmodi a prælatis non est magnopere pertimescendum, nisi ubi clerus ab auctoritate et jurisdictione principatus externi pendet ; aut etiam ubi ecclesiastici eliguntur a populo ; non autem a rege, vel patronis ecclesiarum.

Quantum ad proceres ; sunt illi certe cohibendi, et tanquam in justa distantia a solio regali continendi ; verum depressio ipsorum poterit regem fortasse ipsi magis absolutum reddere, sed interim minus tutum, et minus efficacem ad ea, quæ cupit, perficienda. Hoc notavi in historia mea regni Henrici septimi, qui nobiles suos perpetuo deprimebat : unde factum, ut tempora ejus difficultatibus et turbis plena essent. Nobiles enim, etsi in fide et officio versus eum manserint, attamen minime cum eo cooperabantur in negotiis suis ; ita ut ipse fere omnia solus sustineret.

Quatenus ad nobiles secundæ classis ; parum periculi ab illis manare potest, cum sint corpus dispersum. Poterunt illi quidem nonnunquam grandia loqui, sed non multum nocere. Quinimo fovendi sunt, tanquam qui potentiam nobilitatis superioris optime temperent, ne immodice excrescat : atque rursus, cum populi gubernacula immediate tractent, motus populares optime compescunt.

Quod ad mercatores ; sunt illi instar venæ portæ : qui nisi floruerint, potest quidem regnum aliquod artus habere robustos, sed venas vacuas, et habitum corporis

macrum. Vectigalia et portoria immodica raro regis redditus adaugent. Etenim quod in partibus lucretur, in summa deperdit; commercii quanto diminuto.

Quantum ad plebem; ab iis raro creatur periculum, nisi habeant ductores potentes et populares; aut si introducas mutationem in religione; vel in consuetudinibus antiquis; vel in gravaminibus tributorum; vel in aliis, quæ victum eorum decurtant.

Quantum denique ad milites; periculosissima res est, si in corpus unum cogantur, vel exercitus, vel præsidiorum; et donativis insuescant. Cujus clarissima cernimus exempla, in janizariis et prætorianis. Verum militum conscriptio, et ad arma tractanda instructio, et in locis diversis, et sub diversis ducibus, et sine donativis; res sunt utiles, et salubres, et sine periculo.

Principes corporibus cælestibus similes: quæ tempora felicia, aut infelicia, in fluxu suo producant; quæque veneratione multa gaudent, requie nulla. Omnia circa reges præcepta duobus illis monitis clauduntur: *Memento quod es homo*; et, *Memento quod es Deus, seu Vice-dei*: quorum alterum pertinet ad potestatem eorum coërcendam, alterum ad voluntatem regendam.

## XX. DE CONSILIO.

SUMMA, quæ intercedit inter homines, fides est illa consilium impertiendi. Etenim in alio quovis fidei genere, partes tantum vitæ aliis commendamus; terras, bona, liberos, existimationem, et alia negotia particularia; verum iis, quos nobis consiliarios adhibemus, omnia mandamus. Quanto magis, qui partes consiliariorum præstant, ad omnem integritatem et sinceritatem astringuntur. Principes vel prudentissimi, nullo modo in diminutionem auctoritatis accipiant, si consilio virorum selectorum utantur. Quin et Deus ipse consilio non vacat; sed inter nomina magna Filii sui benedicti ponit, ut consiliarius vocetur. Salomonis certe pronunciatum tale: *In consilio stabilitas*. Res humanæ proculdubio, aut primam, aut secundam agitationem subibunt: si minus consultationum argumentis jactentur, certe fluctibus fortunæ jactabuntur; plenæque evadent inconstantiae, et mutationum, modo texendæ, modo retexendæ, instar vacillatio-

num hominis ebrii. Sane filius Salomonis vim consilii expertus est, quemadmodum pater ejus necessitatem et usum vidit. Etenim regnum Deo dilectum, primo laceratum et fractum est consilio pravo. Cui quidem consilio inustæ sunt, ut nobis sint documento, notæ illæ duæ, per quas consilia prava in perpetuum dignoscantur; una, quod fuerit consilium juvenile quoad personas; altera, quod fuerit violentum quoad subjectum.

Sapientia veterum in parabola adumbravit tam unionem et insolubilem conjunctionem consilii cum regibus, quam prudentem et politicum usum ejusdem per reges adhibendum. Alterum in eo, quod Jovem narrant, Metim (quæ vox consilium significat) in uxorem duxisse; in quo innunt, consilium imperio sponsæ loco esse. Alterum in eo, quod sequitur: quod hujusmodi commentum est. Tradunt, postquam Metis nupta fuisset Jovi, eam gravidam ex illo factam: Jovem autem non sustinuisse donec pareret, sed eam devorasse; unde ipsum quoque gravidum factum; et Palladem armatam ex capite suo edidisse. Quæ fabula portentosa arcanum imperii involvit: hoc nimirum; ad quem modum reges erga concilium suum sanctius se gerere debeant; primum, ut res deliberandas illis committant; quod est veluti prima conceptio; secundo, cum elaboratæ et efformatæ fuerint, veluti in utero concilii sui, atque maturuerint, et partui vicinæ sint; tum demum non permittant amplius concilio suo ut decretum perficiant, acsi res ex eorum auctoritate penderet; sed negotium ad se retrahant, et palam omnibus faciant, decreta et ordinationes ultimas (quæ, quoniam cum prudentia et potestate exeunt, assimilantur Palladi armatæ) a se ipsis emanare; neque solum ab auctoritate sua, verum etiam (quo magis existimationem suam evebant) ab ingenio et auctoritate propria provenire.

Dicamus jam de incommodis consilii, et de ipsorum remediis. Incommoda, quæ se prodant, in consilio utendo et adhibendo sunt tria. Primo, quod hæc res negotia minus reddat secreta. Secundo, quod derogare videatur de auctoritate principum, acsi minus ex se penderent. Tertio, quod subsit periculum a consiliis infidelibus, quæ tendant potius in commodum consu-

lentis, quam principis ipsius. Ad quæ mala evitanda, doctrina quorundam ex Italis, et practica apud Gallos, temporibus quorundam regum, introduxit concilia interiora, quæ vulgo vocantur cabinetti : remedium sane morbo deterius.

Quantum ad occultationem consiliorum ; non tenentur principes, omnia cum omnibus consiliariis communicare ; sed tam personas, quam negotia, cum delectu excerptare possunt. Neque necesse est principi, qui deliberat quid sit agendum, simul detegere quin in animo habeat statuere. Verum caveant principes, ne propalationis negotiorum suorum ipsi in causa sint. Quatenus vero ad consilia, quos diximus cabinettos, in illos diverbium illud competit : *Plenus rimarum sum*. Futilis quispiam, qui gloriæ sibi duxerit arcana nosse et retegere ; plus nocebit, quam complures, qui bene norunt, officii sui esse eadem reticere. Verum est, intervenire negotia quædam ejus generis, quæ occultationem summam requirunt ; qualis non facile ultra notitiam unius aut duorum, præter ipsum regem, excedet : neque improspere cedere solent istiusmodi consilia : nam, præterquam quod secreta sint, procedunt plerunque constanter, et uno quasi spiritu reguntur, absque contentione. Sed tum demum hoc recte cedit, si rex prudens sit, et proprio Marte validus ; et simul consilarii illi sint sagaces ; et ante omnia finibus, quos sibi proponit rex, fidi. Id quod contigit Hénrico septimo Angliæ regi ; qui arcana sua majoris momenti duobus tantummodo consiliariis impertiebatur, Mortono et Foxo.

Quantum ad auctoritatem minuendam ; fabula remedium monstrat. Imo majestas regum exaltatur potius, quam deprimitur, cum in cathedra consilii sedeant. Neque unquam invenire est principem, auctoritate sua imminutum, per concilium suum ; nisi forte ubi obtigerit potentia nimia in uno aliquo consiliario ; aut nimis arcta combinatio inter diversos : quæ duo mala cito deprehenduntur et sanantur.

Quantum ad postremum incommodum ; consiliarios nimirum, in consilio dando, suæ rei prospecturos, non domini ; minime dubium est, Scripturam illam, *Non inveniet fidem super terram*, intelligi debere de natura

temporum, minime de personis singulis. Reperiuntur siquidem viri, fidelis, sinceri, candidi, et veraces; minime vafri aut involuti. Asciscant sibi principes, ante omnia, ingenia talia. Præterea consiliarii raro ita inter se uniuntur, quin alius super alium excubias agat; adeo ut, si quis consilia det factiosa, aut ad privatos fines collimantia, celeriter hoc ad aures principis deveniat. Remedium autem præstantissimum fuerit, si reges dent operam ut consiliarios suos pernoscant; quemadmodum illi, ut principem.

*Principis est virtus maxima nosse suos.*

Contra vero consiliarios non decet nimios esse rimatores in personam principis sui. Vera enim consiliarii constitutio hæc; ut peritior sit in negotiis principis, quam in moribus ejus. Sic enim verisimile fiet, eum consilium potius recta directurum, quam se principi accommodaturum quo complaceat. Principibus etiam hoc magno usui esse possit, si opiniones et vota consiliariorum suorum, et divisim, et conjunctim, recipiant. Etenim opinio, in secreto prolata, liberior multo est; sed illa, quæ coram aliis, gravior. Nam in privato quisque propriis affectibus plus inservit; in consortio, aliorum affectibus magis obnoxius est: itaque neutrum omittendum; atque ab inferioribus in privato potius, ut libertati consulatur: a grandioribus in consortio potius, ut modestius sententiam ferant. Nil prodest, si principes de rebus deliberent, nisi diligenter quoque deliberent de personis: etenim res omnes, tanquam imagines mortuæ; vita autem actionis in delectu personarum potissimum consistit. Neque sufficit, de personis deliberare secundum genera, veluti in idea quadam, aut descriptione mathematica; qualis videlicet character et conditio personæ esse debeat; etenim errores maximi interveniunt, et judicii libra maxime versatur in delectu individuorum. Illud quoque memoria tenendum; optimi consiliarii mortui: libri veritati non parcunt, cum consiliarii vivi forte in adulationem lapsuri sint. Utile itaque fuerit, libros multum revolvere; præsertim eorum auctorum, qui et ipsi gubernacula rerum tractarunt.

Consilia, hæc ætate, in locis plurimis nihil aliud fere



sunt, quam congressus, et colloquia familiaria; ubi res potius sermonibus jactentur, quam debitis argumentis trutinentur. Atque plerumque præcipitanter nimis ad decretum vel actum consilii properatur. Satius esset, si in majoris momenti negotiis res uno die deliberanda proponeretur, altero tractaretur: *In nocte consilium.* Id certe præstitum est in tractatu unionis, inter delegatos Angliæ et Scotiæ; qui conventus regulariter, et optimo ordine, processit. Ad petitiones autem privatas, dies aliquos præfigi probo: nam et supplicantibus tempora certa indicant, quibus commodius se applicent; et sollemniores conventus exonerant, ut possint hoc agere. In delectu deputatorum, qui negotia ad consilium informandum præparent, præstat eos eligere, qui æqui sint, et in neutram partem propendeant, quam æquitatem quandam creare, introducendo aliquos, qui utrique parti sedulo faveant. Probo etiam delegationes, non tantum temporaneas, aut e re nata; sed etiam continuatas, et perpetuas. Exempli gratia; quæ curent, separatim, commercia; ærarium; bellum; gratias; gravamina; provincias particulares. Sanè, ubi in usu sunt concilia subordinata diversa, atque unicum tantum superius concilium (ut fit in Hispania) nihil aliud fere sunt ejusmodi concilia, quam deputationes (quales diximus) perpetuæ, nisi quod majore auctoritate polleant. Si casus postulet, ut informetur concilium ab hominibus alicujus muneris aut professionis particularis (veluti jurisperitis, nauticis, excursoribus nummorum, mercatoribus, artificibus, et similibus) audiantur illi primo coram delegatis; et postea, prout occasio postulat, coram concilio. Neque permittantur venire catervatim, aut more tributio se gerere; hoc enim foret, clamoribus concilium fatigare, non informationem, ut decet, exhibere. Mensa oblonga, et rursus quadrata, sive sedes ad parietes cameræ concilii, videri possunt formalia tantum; sed sunt profecto realia: nam ad mensam oblongam, pauci, qui prioribus locis sedent, res quasi soli transigunt; verum in aliis, quas diximus, figuris major usus consiliariorum, qui inferius sedent. Rex, cum præsidet ipse in concilio, caveat ne sententiam suam citius, quam par est, declaret: hoc si fecerit consilarii se

ad nutum ejus applicabunt ; et loco consilii liberi, cauticum ei occinent : *Placebo.*

### XXI. DE MORA.

FORTUNA foro rerum venalium similis est ; ubi sæpe (si paululum exspectare poteris) minuetur pretium. Rursus, aliquando Sibyllæ licitationibus assimilatur ; quæ primo plenas offert merces, mox partes aliquas consumens, integrum tamen pretium postulat. Nam *occasio* (ut in trito habetur carmine) *occipitium nobis obvertit calvum, postquam capillorum in fronte copiam fecit non arripiantibus* : vel saltem utris ansam præbet primo accipiendam : dein ventrem, qui difficilius comprehenditur. Nusquam certe major apparet sapientia, quam in tempestivis negotiorum auspiciis, principiisque eligendis : non jam levia sunt pericula, si levia videantur ; et plura pericula fefellerunt, quam vim intulerunt. Quinimo, satius est quibusdam periculis quasi media via occurrere, quam eorum motus, et appropinquationem, perpetuo inquirere, et observare. *Qui enim nimium invigilat, interdum dormitat.* E contrario, umbrarum longitudine decipi (ut quidam olim, quando luna, horizonti proxima, hostium terga irradiabat) atque ita ante tempus tela emittere ; aut pericula, præmature obviando, accersere, alterum est extremum. Nam opportunitatis maturitas, vel immaturitas, est (ut antea diximus) ad amussim examinanda. Ac ut plurimum expedit omnium magnorum negotiorum principia Argo cum centum oculis suis, exitus vero Briareo cum centum manibus suis, committere : primum scilicet invigilare, postea accelerare. Etenim Orci galea, quæ politicum vere reddit invisibilem, est consiliorum occultatio et expeditionum celeritas. Cum enim ad executionem ventum sit, nulla occultatio celeritati est æquiparanda ; more globuli e tormento emissi, qui tam velociter pertransit, ut ipsam oculorum aciem antevertat.

### XXII. DE ASTUTIA.

PER astutiam intelligimus sinistram quandam et obliquam prudentiam. Et pro certo est, multum inte-

resse inter astutum et prudentem; non solum quatenus ad probitatem, sed etiam quatenus ad mentis vires. Sunt qui chartas pictas artificio quodam miscere sciunt, qui tamen periti lutores non sunt; sunt itidem nonnulli, qui in competitionibus, et factionibus regendis, multum valent, alias vero infirmi iudicii sunt. Rursus, alia res est, personarum naturas et mores callere, alia vero, negotia pernosse: sunt enim haud pauci, qui in personarum aditibus et temporibus versuti sunt, neque tamen partis realis negotiorum sunt capaces: quæ est constitutio ipsissima hominum, qui in personis dignoscendis, non in libris evolvendis, operam collocarunt. Tales magis in pragmaticis adhiberi debent, quam in consiliis; et non aliter fere usum sui præbent, quam in viis, quas sæpe contriverunt. Convertite eos ad homines novos, et artibus suis excidunt: adeo ut vetus illa regula stultum a sapiente dignoscendi (*Mitte ambos ad ignotos et videbis*) de hujusmodi hominibus non teueat. Quoniam autem astuti isti homines similes sunt pusillarum mercium propolis, non abs re fuerit officinas ipsorum excutere.

Inter astutias numerari potest, ut quis vultum ejus, cum quo colloquitur, limatius observet: quod etiam jesuitæ præcipiunt. Sunt enim complures, iique ex prudentioribus, qui corda habent obscura, vultus autem pellucidos. Verum decet hoc fieri cum modesta oculorum per vices demissione, quemadmodum et faciunt jesuitæ.

Altera existit astutia, ut, cum aliquid propere et facile obtinere et expedire cupias, personam, cum qua agis, de alio quopiam negotio sermonem inferendo detineas et præoccupes; ne nimium ad objectiones et scrupulos evigilet. Equidem noveram consiliarium quendam, et secretarium, qui nunquam ad Elizabetham reginam Angliæ, ad diplomata manu reginæ signanda, accessit, quin a principio illam in aliquos de rebus status gravioribus sermones perduceret, ut hisce intenta, ad diplomata minus animum adjiceret.

Idem valet subitæ prehensionis ratio, si quis rem proponat, quando persona, cum qua agitur, ad alia

festinat, neque moram pati potest rem accuratius considerandi.

Si cui in animo est, negotium aliquod destruere, quod alius fortasse quispiam dextre et cum effectu propositurus fuisset, ipse se erga negotium benum affectum simulet, atque ipse rem proponat, sed eo modo, ut successum ejus disturbet.

Abruptio sermonis in medio, quasi quis se ipsum deprehenderet et contineret, majorem generat appetitum in eo, quocum colloqueris, ad ulterius inquirendum.

Quoniam autem imprimit fortius quod quæstione erutum est, quam quod sponte oblatum, possis ad inescandam quæstionem insolitum induere vultum: ex quo occasio detur alteri interrogandi, quid sibi velit ista oris mutatio? Ut Nehemias fecit: *Nequè ante illud tempus tristis fueram in conspectu regis.*

In rebus ambiguis et ingratis bonum est, initia de iis sermonem inferendi alicui alteri deputare, cujus verba minoris sint ponderis, et majoris auctoritatis vocem in subsidiis reservare, veluti casu fortuito intervenientem, ut interrogetur ille superveniens, de eo sermone, qui ab altero injectus est. Quod fecit Narcissus, cum indicaret Claudio matrimonium Messalinæ et Sillii.

In rebus, quas a se amoliri quis cupiat, non inutile est vulgi nomen mutuari: ac si quis tali formula utatur: *Hoc vulgo dicitur*, aut, *Increbuit sermo.*

Noveram quendam, qui cum literas scriberet, id, quod maximi erat momenti, postscripto semper includebat, ut rem fere prætermissem.

Noveram et alium, qui cum ad colloquium cum alio veniret, id quod maxime ei in sermone curæ erat, præterire solitus erat, et discedere, et rursus redire, et tum demum ejus rei mentionem facere, ac si illa fere e memoria excidisset.

Alii se subito deprehendi procurant tali tempore, quo verisimile est partem, cui insidiantur, superventuram; ac simul se chartam aliquam in manu habentes, aut aliquid præter consuetudinem agentes, inveniri volunt; ut interrogentur de iis rebus, quas revera ipsi eloqui cupiunt.

Astutiæ species satis vafra est, ea verba proprio nomine prolata sibi excidere pati, quæ alium arripere, et iis uti, quis expetit, ut inde alterum irretiat et subruat. Noveram duos pro officio secretarii, tempore reginæ Elizabethæ, competitores; qui tamen se invicem amice tractabant; quique de negotio ipso competitionis suæ sæpius conferebant. Atque alter ipsorum dicebat: *Fieri secretarium in declinatione monarchiæ* rem esse haud parvi periculi; seque illud genus honoris minime ambire; alter statim verba illa, callide prolata, bona fide arripuit; et cum amicis suis nonnullis libere sermones conseruit, dicens, se in declinatione monarchiæ muneris secretarii ambitiosum esse non debere. Prior ille occasione usus est, eaque verba ut ad reginæ aures pervenirent, tanquam scilicet ab altero prolata, curavit: quæ, indignata circa illa verba, in declinatione monarchiæ, cum ipsa se vigentem reputaret, posterioris illius competitionem nunquam postea admisit.

Est astutiæ quoddam genus, quod Anglico proverbio, *Felem in aheno vertere*, satis absurde dicitur; cum ea verba, quæ quis apud alium profert, imputat colloquenti, tanquam ab ipso prolata. Et, ut verum dicamus, cum talia aliqua verba inter duos agitata fuerint, difficile est probare et verificare, ab utro primum inceperint.

Est artificium in usu, ut quis in alios spicula quædam oblique torqueat, justificando se ipsum per negativas; utpote dicendo: *Hoc ego non facio*: ut Tigillinus fecit, Barrhum sugillando: *Se non diversas spes, sed incolumitatem imperatoris, simpliciter spectare*.

Nonnulli in promptu habent tot narrationes et historiolas, ut nihil sit quod insinuare cupiunt, quin id historiola aliqua involvere possint; unde, et se magis in tuto continent, quasi nihil diserte affirmantes, et rem ipsam majore cum voluptate spargi efficiunt.

Bonum est astutiæ genus, ut quis responsum, quod obtinere cupit, conceptis verbis proponat. Etenim alteram partem minus hæere facit.

Mirum est cernere, quamdiu nonnulli occasionem captent dicendi illud, quod proferre cupiunt, et quanto

circuitu uti sustineant; et quot alia attingere, ut quo volunt perveniant. Res certe hæc, magnæ patientiæ, sed multi usus.

Improvisa et audax quæstio aliquando hominem deprehendit, et detegit. Simile quiddam evenit cuidam, qui nomen mutaverat, et in templo divi Pauli obambulans, fuit ab alio, per nomen suum verum, a tergo compellatus; ad quod statim retrospexit. Verum merces hæ pusillæ, et astutiæ minores, sunt infinitæ. Neque male factum esset, si quis earum conficeret uberiores catalogum; quoniam nihil rebus obest magis, quam quod astuti recipiantur pro prudentibus.

Illud pro certo habendum, nonnullos negotiorum periodos et pausas nosse, qui in ipsorum viscera et interiora penetrare nequeunt: ut reperiuntur ædes nonnullæ, quæ gradus nactæ sunt commodos et antichameras, sed absque cubiculo aliquo pulchriore. Itaque tales videbis in conclusionibus deliberationum commodos quosdam exitus reperire; ad rem vero examinandam et disceptandam, nullo modo sufficere. Attamen, sæpenumero ex hac re existimationem quandam aucupantur; veluti ingenia, quæ ad decernendum potius quam disputandum, sint aptiora. Sunt qui magis innituntur dolis, quos aliis struunt, quam consiliis solidis et sanis; sed Salomon ait, *Prudens advertit ad gressus suos; stultus divertit ad dolos.*

### XXIII. DE PRUDENTIA QUÆ SIBI SAPIT.

FORMICA animalculum sibi sapiens, sed in horto nocivum. Et sane fit, ut qui sui nimium amantes sint, reipublicæ noceant. Partire itaque moderate inter amorem tui ipsius, et amorem reipublicæ: atque ita tibi sis proximus, ut in alios non sis injurius, præsertim in regem tuum, aut patriam. Centrum plane ignobile est actionum hominis cujuspian, commodum proprium. Recte terrestrem naturam sapit. Terra enim suo stat fixa centro; ubi quæ affinia cœlestibus sunt omnia, moventur super centrum alterius, cui benefaciunt. Ad se omnia referre, tolerabilius est in viris principibus;

quia ipsi intra personam suam non consistunt; sed publico periculo et fortuna degunt. Verum in servo principis, aut cive reipublicæ, res est perniciosissima. Etenim negotia publica universa, quæ ab id genus homine expediuntur, ad fines proprios flectuntur; quos necesse est eccentricos sæpe esse ad fines domini sive status sui. Eligant itaque principes, et status, ministros et servos, qui hac nota non maculantur; nisi velint res suas accessorii tantum loco esse. Imo quod hunc effectum reddit magis exitiosum, illud est; quod amittitur plane rerum analogia. Satis enim iniquum esset, si bonum servi præferatur bono domini; sed adhuc longe iniquius est, cum exiguum bonum servi, antefertur magno bono domini. Veruntamen id sæpius factum est per officarios pravos; veluti thesaurarios, legatos, duces, et alios servos aut ministros infideles et improbos: qui globulo suo pondus addunt finium suorum minorum, quod eum in transversum inclinet utilitas domini sui, in rebus gravioribus et magni momenti. Et plerunque commodum, quod ejusmodi servi ad se attrahunt, est pro modulo fortunæ propriæ; at detrimentum, quocum permutent commodum illud, est pro modulo fortunæ domini sui. Siquidem philautorum istiusmodi ingenium patitur, ut non morentur domum proximi incendere pro re nihilo majore, quam ad assanda ova sua. Veruntamen hujusmodi ministri haud raro apud viros potentes gratia pollent; quia illis jucunda procurant, sibi utilia: atque utriusvis rei causa fortunam domini sui prodent

Prudentia, quæ sibi uni sapit, in plurimis ejus ramis res sane depravata. Assimilanda sapientiæ soricum, qui domum aliquam pro certo deserent paulo ante ruinam: sapientiæ vulpis, quæ taxonem e domo expellit, quam sibi defodit, non illi: sapientiæ crocodili, qui lacrymas emittit cum devorare cupit. Verum illud imprimis observationem meretur; quod hujusmodi homines, qui (ut Cicero loquitur de Pompeio) *sui sunt amantes sine rivali*, sæpenumero infortunati sint: cumque sibi per totam vitam sacrificaverint, in exitu sacrificant inconstantia fortunæ, cujus alas sperabant se pulchra illa sapientia sua præscidisse.

## XXIV. DE INNOVATIONIBUS.

SICUT partus recens editi informes sunt; sic videre est in novis institutis; quæ sunt partus temporis. Veruntamen, ut quid in familiam suam honores primi introducunt, posteris suis plerunque dignitate prælucent; ita rerum exemplaria et primordia (quando feliciter jacta sunt) imitationem ætatis sequentis, ut plurimum, superant. Malum enim, in natura humana, naturali motu fertur; qui processu invalescit; at bonum, ut fieri amat in violentis motibus, in primo impetu fortissimum. Certe omnis medicina innovatio est: et qui nova remedia accipere nolit, nova mala expectet. Novator enim maximus omnium tempus. Quod si tempus, decursu solo, res in pejus ferat; prudentia vero et industria eas in melius restituere non contendat, quis tandem erit finis mali? Hoc concedi prorsus debet; quod consuetudine firmatum est, etsi minus sit bonum, aptum esse tamen temporibus; quæque uno quasi alveo fluxerunt, fœdere quodam conjuncta esse; ubi contra nova veteribus non usquequaque tam concinne cohæreant: etsi enim utilitate juvent, novitate tamen et inconformitate turbant. Sunt certe novitates, tanquam advenæ aut peregrini, quos admiratione plus, minus benevolentia prosequimur. Recte quidem hæc omnia, si tempus quiesceret; hoc tamen indefesse in orbem agitur. Inde fit, ut importuna et morosa moris retentio, res turbulenta sit, æque ac novitas; et qui vetera superstitiose nimis reverentur, cedant in præsentis seculi ludibrium. Prudenter igitur facient homines, si, in innovationibus suis, a tempore exemplum petant: tempus enim innovat vel maxime, sed tacite, pedetentim, ac sine sensu. Illud enim pro certo habeas; quod novum est, præter spem et expectationem accedere; et huic adjicere aliquid, illi eripere: at cui incremento est novitas, ille fortunæ gratias habet, et tempori; cui vero nocumento, is novitatis auctorem injuriarum postulat. Expedit præterea experimentis novis in corporibus politicis medendis non uti, nisi ur-



gens incumbat necessitas, aut evidens se ostendat utilitas: et sedulo cavere, ut reformationis studium mutationem inducat, non autem studium mutationis reformationem prætexat. Quinetiam omnis novitas, quam rejicere fortasse non datur, pro suspecta tamen haberi debet. Denique, ex Scripturæ monito, *Stemus super vias antiquas, atque circumspiciamus, quæ sit via bona, et recta, et ambulemus in ea.*

## XXV DE EXPEDIENDIS NEGOTIIS.

CELERITAS nimia, et affectata, negotia ut plurimum perdit. Similis est illi rei, quam medici prædigestionem, sive præproperam digestionem, vocant: quæ corpus implere solet humoribus crudis, et secretis seminibus morborum. Itaque negotiorum expeditionem ne metiaris per tempora consulendi, sed per negotii ipsius progressum. Et quemadmodum in cursu minime in passus granditate, aut pedum elevatione altiore, celeritas consistit, sed in motu eorundem humiliori, et æquabili; ita in negotiis, mordicus rei inhærere, neque partem negotii nimiam pro una vice avidè amplecti, celeritatem in conficiendo procurat. Curæ est nonnullis illud tantum, ut brevi tempore multum confecisse videantur; aut ut periodos aliquas negotiorum falsas confingant, quo acres in negotiis existimentur: verum aliud est, tempori parcere, negotium contrahendo, aliud intercidendo: negotia autem in eum modum tractata, crebris nimirum congressibus, plerumque sursum deorsum feruntur, magna inconstantia. Novimus virum prudentem, cui semper in ore erat, cum festinationem nimiam videret, *Manete paulisper, ut expediamus celerius.*

Ex altera parte, vera celeritas in expediendis negotiis res est pretiosa. Tempus siquidem negotiorum, sicuti pecunia mercium, est mensura. Emitur igitur negotium magno, ubi nimia est protractio. Spartani, et Hispani, tarditatis notati sunt: *Mi venga la muerte de Spagna: Veniet mors mea ab Hispania: tum, scio, cunctanter veniet.*

Aurem illis præbe facilem, quibus primæ in informatione negotii partes demandatæ sunt : et potius viam illis monstres ab initio, quam postea in orationis filo crebrius interrumpas. Qui enim in ordine, quem sibi præstituit, perturbatur, subsultabit, et prolixior fiet, dum memoriam suam recolliget ; quam alias futurus fuisset, si sua methodo perrexisset. Sed interdum videre est, moderatorem molestum esse magis, quam oratorem.

Repetitiones plerunque cum temporis jactura fiunt ; attamen statum quæstionis sæpe repetere, lucrum est temporis vel maximum ; etenim complures sermones, prorsus abs re, in ipso partu, abigit. Orationis prolixæ et curiosæ æque expeditioni negotiorum conveniunt, ac toga prælonga, terram verrens, cursui. Præfatiunculæ, transitiones bellæ, et excusationes, atque alia verba, quæ ad personam loquentis referuntur, tempus haud parum devastant ; et licet a modestia emanare videantur, sunt tamen revera gloriolæ captatrices. Sed cave ne in rem ipsam ab initio descendas, cum in hominum voluntatibus impedimentum aliquod reperitur, aut obstructio ; etenim animorum præ-occupatio sermonum semper postulat præfationes : instar fomentationis ante unguentum, quo unguentum mollius subintret.

Ante omnia, ordo, et distributio, et partium apta extractio, celeritatis tanquam vita est : ita tamen ut distributio non sit nimium subtilis. Nam qui partitione non utetur, in negotia nunquam commode ingreditur ; qui autem nimia utetur, vix emerget. Tempora prudenter deligere, tempus plurimum lucratur ; atque intempestiva propositio nil aliud, quam aërem verberare, et tempore abuti. Tres sunt negotiorum partes : præparatio ; consultatio sive examinatio ; et perfectio ; harum (si expeditioni consulere in animo est) media sit opus multorum ; prima autem, et ultima, paucorum. Procedendi in negotiis initium sumere ab iis, quæ scripto comprehensa sunt, plerunque expeditionem promovet : licet enim contigerit, ea in totum rejici, nihilominus negativa illa plus valebit ad consilia educenda, quam

indefinita; quemadmodum cinis magis generativus, quam pulvis.

## XXVI. DE PRUDENTIA APPARENTE.

RECEPTA est opinio, Gallos prudentiores esse, quam videntur; Hispanos autem prudentiores videri, quam sunt. Sed utcunque se res habeat inter gentes, certum est, hoc usu venire inter personas singulares. Sicut enim loquitur apostolus de pietate: *Speciem pietatis habentes, sed virtutem ejus negantes*; ita certe inveniuntur nonnulli, qui nugantur sollemniter, cum prudentes minime sint: *Magno conatu nugas*. Res est profecto prudentibus ridicula, et satira digna, affectatores istos videre; in quot formas se vertant, et quali utantur arte quasi prospectiva, qua superficies appareat corpus, quod profunditatem aut dimensionem solidi habeat. Alii tam secreti sunt, et in se declarando parci, ut merces suas, nisi sub obscura luce, ostendere nolint: et videri volunt, plus significare, quam loqui: cumque sibi ipsis conscii sint, se de iis rebus loqui, quas non bene norunt; cupiant nihilominus videri, se illa nosse, quæ non possunt tuto loqui. Alii vultu et gestu verbis suffragantur, et veluti per signa sapiunt: ut Cicero ait de Pisone: *Respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio; crudelitatem tibi non placere*. Alii se valere putant, si grande quiddam loquantur, idque stylo peremptorio: itaque nihil morantur, et pro admissis accipiunt, quæ probare non pussunt. Sunt qui, quicquid sub captum eorum non cadit, spernere aut parvi pendere præ se ferunt, tanquam impertinens et curiosum; sicque inscitiam suam pro judicio limato obtendunt. Alii distinctionem aliquam semper in promptu habent; et plerunque hominum ingenia subtilitate perstringendo, rem prætervehuntur. De quo genere loquitur Aulus Gellius: *Hominem delirum, qui verborum minutiis rerum frangit pondera*. Ad quod exemplum, Plato in *Protagora*, per ironiam, introducit Prodicum, sermonem integrum contextentem ex distinctionibus, a principio usque ad finem. Generaliter,

istiusmodi homines, in consultationibus, negativæ libenter se applicant, et existimationem quandam aucupantur ex scrupulis et difficultatibus proponendis et prædicendis; etenim cum id, quod proponitur, penitus rejicitur, nil ultra restat agendum; siu probatur, nova indiget opera: quod prudentiæ genus spurium negotia prorsus perdit. Ut verbo dicamus; nec mercator aliquis obærat, nec decoctor rei familiaris occultus, tot artificiis se munit, ad divitias simulandas; quot homines isti, vera prudentia destituti, utuntur, ad prudentiæ suæ opinionem tuendam. Certe homines, hac prudentia præditi, opinionem vulgi facile aucupari possunt; sed ad negotia gravia tractanda nemo talium delectum faciat: etenim, ad negotia promovenda, satius proculdubio fuerit, virum eligere paulo absurdiorum, quam hujusmodi formalistam fastidiosum.

## XXVII. DE AMICITIA.

RES sane difficilis esset etiam illi, qui dixerit, plus veri ac falsi, idque compendio, miscuisse, quam in illo scito: *Quicumque solitudine delectatur, aut fera, aut Deus, est.* Negari enim non potest, quod insitum et latens odium seu fastidium societatis, si in aliquo deprehendatur, sapiat nescio quid belluinum: illud tamen e converso, quod aliquam divinæ naturæ speciem præ se ferat, falsissimum est; nisi hujusmodi vita solitaria minime ab amore ipsius solitudinis proveniat, sed a studio secedendi, ut altioribus contemplationibus quis vacet: id quod in nonnullis ethnicorum reperitur, sed affectatum et fictum: ut in Epimenide Cretense, Numa Romano, Empedocle Siculo, et Apollonio Tyanæo: sincerum tamen et verum in plurimis eremitarum antiquorum, et in sanctis patribus ecclesiæ. Interea vero parum perspiciunt homines, quid hoc sit, quod solitudo nominatur, et quibus finibus circumscribatur: turba enim non est societas dicenda; et facies hominum nihilo plus sunt, quam in porticibus picturæ; colloquia vero absque dilectione cymbalo non præstant tinnienti. Hoc innuit id, quod Latino jactatum proverbio: *Magna civitas, magna*

*solitudo.* In magnis enim urbibus amici et necessarii remotius disperguntur, adeo ut minus plerunque familiariter, et in consortio, vivatur, quam in vaciniis angustioribus. Quin et ulterius progredi licet, atque verissime asserere, meram et miseram esse solitudinem, ubi desunt amici veri; sine quibus mundus nihil aliud quam eremus est. Quo etiam sensu si solitudinem accipias, quicumque natura et genio suo ab amicitis abhorret, hujusmodi affectum a bruto potius, quam ab homine, mutuatur.

Maximus amicitiae fructus, est levamen et evaporatio anxietatis, et tumorum cordis, quos animae perturbationes, cujuscunque generis, imprimere solent. Novimus, morbos illos in corpore esse maxime periculosos, qui ex obstructionibus et suffocationibus nascuntur: neque multo secus se res habet in ægritudinibus animae. Sarsam adhibere possis ad jecoris, chalybem præparatum ad lienis, flores sulphuris ad pulmonum, castoreum ad cerebri oppilationes deobstruendas: nulla autem invenitur medicina apertiva ad obstructiones cordis, præter amicum fidelem; cui impertire possis dolores, gaudia, metus, spes, suspiciones, curas, consilia, et quicquid denique cor opprimat, tanquam sub sigillo confessionis civilis.

Res est profecto mirabilis, si quis secum reputet, quam magni principes summi et monarchæ istum amicitiae fructum (de quo loquimur) æstiment: tanti sane, ut eundem et incolumitatis suæ, et amplitudinis periculo, interdum coëmant. Principes enim, propter distantiam et sublimitatem fortunarum suarum a fortunis servorum et subditorum suorum, fructum hunc decerpere nequeunt: nisi forte (quo eum melius colligant) aliquos evehant et promoveant, qui sint sibi tanquam socii et æquales: id quod sæpenumero non sine præjudicio fit. Linguae modernæ istiusmodi personas nomine gratiosorum, vel amicorum regis, insigniunt; ac si res esset favoris et conversationis: at vocabulum Romanum ejus rei rectius exprimit verum usum, atque causam; illos nominans *Participes curarum*; hoc enim illud est, quod verum ligamen præstat. Atque hoc fecisse manifesto videmus, non tan-

tum principes delicatos, et imbecillis animi; sed etiam prudentissimos, et maxime politicos ex iis, qui regnarunt: qui sæpe sibi adjunxerunt aliquos ex servis suis; quos et ipsi amicos suos vocarunt, et aliis eodem illos nomine insignire permiserunt, non alio utentes vocabulo, quam quod inter homines privatae fortunæ receptum est.

L. Sylla, postquam Romanum imperium occupasset, Pompeium (postea cognominatum Magnum) ad eam potentiam evexit, ut Pompeius superiorem jam Sylla factum se venditaret. Cum enim amicum quendam suum consulem fecisset, contra ambitum Syllæ; atque Sylla in malam partem hoc accepisset, et verba indignationis nonnulla protulisset, Pompeius id minime tulit, sed fere disertis verbis eum quiescere jussit; addendo: *Plures adorare solem orientem quam occidentem.* Apud Julium Cæsarem Decimus Brutus tanta gratia valuit, ut eum Cæsar Octavio, suo nepoti, hæredem substituerit. Atque hic ille fuit, qui Cæsarem ad mortem suam pertraxit. Cum enim Cæsar senatum dimittere in animo habuisset, propter mala quædam præsagia (præcipue somnium quoddam uxoris suæ Calpurniæ) Brutus eum molliter e cathedra, arrepto brachio ejus, levans, dixit: *Sperare se, eum senatum non tam parvi habiturum, ut dimittere illum vellet, donec uxor somnium melius somniasset.* Et videtur sane tanto favore apud Cæsarem polluisse, ut Antonius in epistola quadam, quæ a Cicerone, in una ex *Philippicis*, verbatim recitatur, eum veneficum appellaret; ac si Cæsarem incantasset. Augustus Agrippam, ignobilem licet natalibus, ad tantam celsitudinem promovit, ut, quando cum Mæcenate deliberaret de nuptiis filiæ suæ Juliæ, Mæcenas eum libere monuisset: *Agrippam, aut in generum assumendum, aut interficiendum: nihil esse tertium; quandoquidem eum ad tantum fastigium perduxisset.* Tiberius Cæsar Sejanum tantis honoribus auxit, ut ii duo haberentur tanquam par amicorum: certe Tiberius, in epistola quadam ad eum, ita scribit: *Hæc pro amicitia nostra non occultavi.* Atque universus senatus aram Amicitiae, tanquam deæ, dedicavit, propter arctam inter eos ami-

citiam. Similis, aut etiam illa majoris, amicitiae exemplum cernitur, inter Septimium Severum et Plautianum: etenim, filium suum natu majorem, filiam Plautiani in uxorem ducere, coëgit: ac Plautianum sæpe, etiam cum contumelia filii sui, honoravit. Quin et scripsit ad senatum hisce verbis: *Ita diligo virum, ut cupiam eum mihi superstitem fore.* Quod si hi principes Trajano alicui aut Marco Aurelio similes fuissent, immensæ naturæ eorum bonitati hoc attribui posset: cum vero viri tam prudentes exstiterint, tantoque robore et severitate animi præditi, tamque impensi amatores sui; liquido probatur eos felicitatem suam (licet vix major mortalibus ullis obtigisset) veluti mutilam duxisse, nisi per hasce amicitias facta fuisset integra et perfecta. Atque, quod majus est, affuerunt his principibus uxores, filii, nepotes; neque tamen hæc omnia amicitiae solatia supplere valuerunt.

Minime oblivioni mandandum, quod Commineus notatum reliquit de domino suo priore, duce Carolo, cognominato Strenuo; eum secreta sua cum nemine communicare voluisse; minime omnium ea, quæ eum præ cæteris angebant. Et ulterius ait: eam animi obfectionem, posterioribus vitæ annis, intellectum ipsius nonnihil debilitasse, et vitiasse. Potuisset certe Commineus, si voluisset, simile judicium facere de domino suo posteriore, Ludovico undecimo: cui occultatio consiliorum pro tormento fuit. Tessera Pythagoræ, obscura, sed optima; *Cor ne edito.* Certe, si quis durum huic rei nomen imponeret, qui amicis destituuntur, quibus cogitationes suas et anxietates libere impertiant, sunt cordium suorum anthropophagi. At illud plane ad miraculum proxime accedit (quocum claudam hunc, de primo amicitiae fructu, sermonem) nimirum: istam cum amicis communicationem, contrarios duos effectus producere; gaudia enim duplicat, mœrores dimidiat. Nemo siquidem læta suo amico impertit, quin lætetur amplius: nemo autem tristibus amicum communicat, quin constriquetur minus. Adeo ut revera eadem virtute polleat super animum hominis, quam alchemistæ lapidi suo tribuere solent, super corpus humanum; hoc est, quod contraria

operetur, sed semper in beneficium naturæ. Atamen, absque auxilio notionum chemicarum, exstat hujus rei exemplum insigne in cursu naturæ ordiuario. Nam in rebus naturalibus unio alit et confortat actiones quasque naturales; impressiones omnes violentas hebetat et retundit: idemque prorsus fit in animis.

Secundus amicitiaë fructus, salubris est intellectui, sicuti primus affectibus. Amicitia enim serenitatem inducit in affectibus, a tempestatibus et procellis; verum in intellectu etiam noctem abigit, et lumen infundit, confusione cogitationum dissipata. Neque hoc intelligendum est tantum de consilio fideli, quod ab amicis dari solet; sed antequam de illo dicamus, certum est, quicumque animum cogitationibus multis gravatum habet, ingenium ejus et intellectum clarescere veluti in diem, communicatione consiliorum, et discursu cum alio. Etenim cogitationes suas facilius agit, et in omnes partes versat; easdem ordinatius disponit; illas tanquam in faciem intuetur, postquam conversæ fuerint in verba; denique se ipso prudentior evadit: idque assequitur horulæ magis unius sermone, quam diei integræ meditationibus. Recte dictum est a Themistocle ad regem Persarum: *Sermones tapetibus similes esse, cum explicentur, per quod imagines distincte conspiciuntur; ubi cogitationes, instar sarcinarum quarundam, complicantur et involvuntur.* Neque etiam restringitur secundus iste fructus amicitiaë (qui consistit in obstructionibus intellectus aperiendis) ad eos solum amicos, qui consilio pollent (hi proculdubio optimi sunt) sed et hoc seposito, discit profecto quispiam a se ipso; et proprias cogitationes in luminis oras educit; ingeniumque suum tanquam cotem versus acuit, quæ ipsa non secat. Ut verbo dicamus; præstat statuaë cuidam, vel imagini, se impertire, quam cogitationes suas silentio suffocare.

Adde jam (ut fiat sermo, de hoc secundo amicitiaë fructu, magis perfectus) illud modo dictum; quod promptius occurrit, et in vulgarem observationem cadit; fidele intelligo ab amico consilium. Bene asserit Heraclitus, in uno ænigmatum suorum: *Lumen siccum optimum*: atqui certissimum est; lumen, quod ab alio



proficiscitur, per modum consilii, illo siccius esse et purius, quod a proprio emanant iudicio, et intellectu; siquidem quod affectibus semper maceratur et tingitur. Adeo ut non minus intersit, inter consilium amici, et consilium cujuslibet proprium, quam inter consilia amici et adulatoris. Neque enim adulator magis infestus, quam quilibet sibi: neque rursus remedium præstantius, contra adulationem sui ipsius, reperitur, quam libertas amici. Consilium duorum generum est. Alterum de moribus; alterum de negotiis. Quantum ad prius; optimum ad animi sanitatem tuendam medicamentum, est admonitio amici fidelis. Se ipsum ad rationes stricte reddendas compellere, medicina est interdum nimis penetrans, et corrosiva. Lectio librorum moliarum, res est paulo hebetior. Observatio priorum defectuum in aliis, tanquam in speculo, aliquando, ut fit etiam in speculis, minus respondet. Verum (ut diximus) optima medicina (optima ad recipiendum) optima ad operandum) est admonitio amici. Mirum profecto est videre, quot errores enormes, et plane absurdos, committant aliqui (præsertim ex grandioribus) quia non adsit iis amicus, qui monere possit: in damnum haud parvum, et existimationis, et fortunæ suæ. Sunt enim (ut ait apostolus Jacobus) *tanquam homines, qui intuentur in speculum, et statim obliviscuntur imaginis suæ*. Quantum ad negotia; vetus est: *Melius videre oculos, quam oculum*; licet nonnulli hoc cavillentur: etiam recte dicitur: *Spectatorem sæpe plus videre, quam lusorem*: quin et certius disploditur sclopetum majus, palo innixum, quam super brachium; etsi quidam tam altum sapiant, ut putent, in sese esse omnia. Verum, quicquid dici possit in contrarium, certum est, consilium negotia dirigere et stabilire. Quod si quis secum cogitet, consilium se quidem capturum, sed per partes; in aliis hunc, in aliis illum, consulendo; bene habet (hoc est, melius illi fuerit, quam consilio omnino non uti) verum in duo pericula impingit. Unum, quod vix fidele consilium reperturus sit; raro enim, nisi a fideli, et intimo amico, consilium datur, quod non ad dantis fines inflexum et detortum sit. Alterum, quod consilia illa, a diversis ma-

nantia (licet cum fide et bona intentione præstita) damnosa sæpenumero erunt et nociva; ac partim ex incommodis, partim ex remediis commixta; veluti, si medicum advoces, qui in curatione morbi illius peritus habetur, sed corporis tui constitutionis penitus ignarus: qua re poterit fortasse valetudinem ad tempus promovere; sed cum periculo, ne, in summa, sanitati præjudicet: atque hoc pacto morbum exstinguet, et non ita multo post hominem. Verum amicus, cui status amici sui perfectè cognitus est, cavebit, ne in præsens juvando, in malum futurum impingat. Itaque consiliis istis dispersis (ut jam dictum) nolim acquiescas: distrahent enim potius et seducunt, quam dirigent et stabiliunt.

Post nobiles hosce duos amicitiae fructus (pacem dico in affectibus, et fulcimentum iudicii) sequitur ultimus; qui similis est malo granato; plenus grauis compluribus: intelligo autem auxilium et participationem in actionibus et occasionibus vitæ. Hic autem expeditissima via repræsentandi ad vivum usum multiplicem amicitiae fuerit, circumspiciendo et vivendo, quam multa sint, quæ per se quispiam exsequi commode non poterit: atque inde apparebit, non per hyperbolen, red sobrie dictum esse ab antiquis: *Amicum esse alterum se*: quandoquidem, si quis vere rem reputet, amici officia proprias cujusque vires superent. Homines mortales sunt; quin et in medio operum aliquorum, quæ maxime affectant, sæpe moriuntur: veluti in collocatione filii in matrimonium; consummatione conatum et desideriorum suorum; et similibus. Jam si quis amicum habeat fidelem, securitatem præstat de iisdem rebus, amici cura et opera, post mortem perficiendis: adeo ut fatum immaturum vix obsit; atque habeat quis (ut loquamur more tribulium aut firmariorum in desideriis suis terminum non unius, sed duarum vitarum. Homo corpore circumscribitur, et corpus loco; verum ubi amicitia præsto est, vitæ munia omnia concessa sunt, et sibi, et deputato suo. Quot numero res sunt, quas per se quispiam, cum dignitate aut decore, peragere non possit? Merita sua non potest cum verecundia recensere; multo

minus extollere : non sustinet quis, ut se submittat ad supplicandum, aut etiam emendicandum ; infinita sunt talia. Verum hæc et hujusmodi in amici ore sat decora sunt ; ad quæ erubescimus in persona propria. Rursus, persona cujusque multa habet conjuncta, quæ exuere non potest : filium alloqui quis non poterit, nisi ut pater ; uxorem, nisi ut maritus ; inimicum, nisi salva dignitate ; ubi amico conceditur loqui, prout res postulat ; neque ad respectus personæ alligatur. Verum hæc enumerare infinitum fuerit. Ipse regulam dedi, ubi quis propriam personam in fabula sustinere non poterit : amicus si desit ; satius est ei scenam derelinquere.

### XXVIII. DE SUMPTIBUS.

OPES destinantur sumptibus : sumptus autem honori, et actionibus honestis. Sumptus itaque largiores occasionis et rei dignitate commensurandi sunt. Etenim spontanea paupertas debetur quandoque patriæ, non solum regno cælorum. Sumptus autem consueti cujusque censu definiendi sunt ; eoque tenore temperandi, ut intra reditus sint ; nec servorum fraudi aut incuriæ obnoxii : atque insuper in eum modum dispositi et ordinati, ut rationes impensarum exhibitæ æstimatione sint minores. Certe qui diminutionem fortunarum suarum pati nolit, necesse habet impensas suas ordinarias ita instituire, ut dimidia tantum pars redituum insumatur, altera reponatur : qui vero rem augere cupit, tertiam partem solam impensis assignet. Haud sordidum est summis etiam viris, si rationes suas diligenter inspiciant. Hoc omittunt complures, non tam socordia, quam aversatione quadam, ne se contristent, si res nimio plus accisas deprehenderit. Vulnere autem, nisi explorentur, sanari nequeunt. Qui œconomica sua commode tractare non possunt, iis relinquatur, ut quos adhibent minostros, et caute eligant, et subinde mutent : novi enim minus audent, minusque astuti sunt. Cui raro rationes suas inspicere datur, eum, quæ computationi subjacent, in certos reditus atque etiam sumptus vertere convenit. Qui impendiosior est in uno sumptus genere, eum sobrie parcum et frugi oportet

esse in alio : exempli gratia ; si victu abundantior, vestium elegantia sit moderatior ; si in aula sua copiosior, in equili contractior sit ; et sic de similibus. Qui enim in singulis impensarum generibus est profusior, decoctionem fortunarum ægre vitabit. In perplexa et obærata re familiari liberanda perinde sibi quis obesse poterit nimia festinatione, ac dilatione nimia : præproperæ enim venditiones jacturam ex usuris sæpe exæquant. Porro autem, qui simul et semel sortem asserit, de relapsu periclitatur : cum enim prætervectum tantas angustias se sentiat, ad ingenium redibit : qui autem se per gradus extricaverit, habitum frugalitatis inducit : eademque opera tam animo, quam fortunis, medetur. Sane qui res collapsas restituere in votis habet, vel minima quæque non spernat : atque plerunque minus sordidum est sumptus quamvis minutos præcidere, quam minutis lucris se submittere. Cautè admodum inchoandi sunt sumptus, qui semel inchoati permansuri sint. Sed in sumptibus, qui non facile redeunt, splendidiorè et magnificentiorè esse licebit.

### XXIX. DE PROFERENDIS FINIBUS IMPERII.

Sermo hic, exempli vice, libro viii. De augmentis scientiarum, cap. 3. invenitur.

**dictum** Themistoclis, sibi ipsi applicatum, incivile certe fuit et inflatum ; sin de aliis atque in genere prolatum fuisset, prudentem sane observationem et pergravem censuram complecti videtur. Rogatus in convivio, ut citharam pulsaret, respondit, *Fidibus se nescire ; cæterum posse oppidum parvum in magnam civitatem evehere.* Ista certe verba, ad sensum politicum translata, facultates duas, multum inter se discrepantes, in iis, qui rerum gubernacula tractant, optime describunt et distinguunt. Etenim, si regum consiliarios, senatores, aliosque ad negotia publica admotos, qui usquam fuerunt, attente intueamur, reperientur profecto (licet rarissime) nonnulli, qui regnum aut civitatem e parvis ampla efficere possint ; fidicines tamen sint valde imperiti : e contra autem alii quamplurimi, in cithara aut lyra (hoc est, aulicis tricis) miri artifices, qui, tantum abest, ut rempublicam amplificare possint, ut potius a natura comparati videantur ad statum reipublicæ bea-

tum et florentem labefactandum et evertendum. Sane, artes illæ degeneres et præstigiæ, quibus sæpenumero consiliarii atque rerum potentes, et gratiam apud principes suos, et famam in vulgus, reportant, haud aliud nomen merentur, quam peritiæ cujusdam fidiculariæ, utpote cum sint res magis gratæ in præsens, et artificibus ipsis ornamento, quam ad rerumpublicarum, quarum sunt ministri, opes et amplitudinem utiles aut accommodæ. Occurrent proculdubio et alii consiliarii, atque reipublicæ gubernatores, minime spernendi, qui sint negotiis pares, possintque res commode administrare, easque a manifestis præcipitiis et incommodis conservare; a virtute tamen illa rerumpublicarum erectrice et amplificatrice longo intervallo absunt.

Verum qualescunque demum fuerint operarii, conjiciamus oculos in opus ipsum; qualis nimirum censeri debeat vera regnorum et rerumpublicarum magnitudo, et quibus artibus obtineri possit: dignum profecto argumentum, quod principes perpetuo in manibus habeant, et diligenter meditentur; quo nec, vires suas in majus æstimantes, inceptis se vanis et nimis arduis implicant; nec rursus, easdem plus æquo despicientes, ad consilia pusillanima et meticulosa se demittant.

Magnitudo imperiorum, quoad molem et territorium, mensuræ subjicitur; quoad redditus, calculis. Numerus civium et capita, censu; urbium et oppidorum amplitudo, tabulis excipi possint: attamen non reperitur inter civilia res errori magis obnoxia, quam verum et intrinsecum excipere valorem circa vires et copias imperii alicujus. Assimilatur regnum cælorum non glandi, aut nuci alicui grandiori, sed grano sinapis, quod inter grana est minimum; quod tamen habeat interim intra se proprietatem quandam et spiritum innatum, quo se et citius attollat, et latius diffundat: eodem modo invenire est regna et status, ambitu quidem et regionum tractu valde ampla, quæ tamen ad fines ulterius proferendos, aut latius imperandum, sunt minus apta; alia contra, dimensione satis exigua, quæ tamen bases, in quibus maximæ monarchiæ inædificentur, esse possint.

Urbes munitæ, plena armamentaria, equorum propa-

gines generosæ, currus armati, elephanti, machinæ atque tormenta bellica omnigena, et similia; sunt certe ista universa nihil aliud, quam ovis induta pelle leonina, nisi gens ipsa stirpe sua et ingenio sit fortis et militaris. Imo, nec numerus ipse copiarum multum juvat, ubi milites imbelles sunt et ignavi. Recte enim Virgilius, *Lupus numerum pecorum non curat.* Exercitus Persarum in campis Arbelæ oculis Macedonum, tanquam vastum hominum pelagus, subiciebatur; adeo ut duces Alexandri, nonnihil ipso spectaculo percussi, regem interpellarent, atque ut noctu prælium committeret, ei auctores erant: quibus ille: *Nolo* (inquit) *suffurari victoriam.* Ea autem etiam opinione fuit facilior. Tigranes Armenius, castrametatus in quodam colle cum exercitu quadringentorum millium, cum spectaret aciem Romanorum, quæ quatuordecim millia non excessit, contra se tendentem, in scommate illo suo sibi complacuit: *Ecce* (inquit) *hominum pro legatione nimio plus quam oportet, pro pugna longe minus;* eosdem tamen, priusquam occubisset sol, satis multos ad illum infinita strage profligandum expertus est. Innumera sunt exempla, quam sit multitudinis cum fortitudine congressus impar. Primo igitur pro re certissima et exploratissima decernatur et statuatur, quod caput omnium, quæ ad magnitudinem regni aut status spectent, sit, ut populus ipse sit stirpe et ingenio bellicosus, Atque illud magis tritum, quam verum, quod nervi belli sint pecuniæ, si desint nervi lacertorum in gente molli et effœminata. Recte enim Cræso ostentanti aurum respondit Solon: *At si quis (o rex) venerit, qui melius, quam tu, ferrum gestet, illi profecto totum hoc cedit aurum.* Quare, quicumque is tandem sit princeps aut status, cujus subditi nativi et indigenæ non sint animosi et militares, potentiam suam admodum sobrie æstimet: atque e contra principes, qui dominantur in gentes animosas et martias, norint illi satis vires suas, si sibi alias non desint. Quod attinet ad copias mercenarias (quod solet adhiberi remedium, cum copiæ nativæ desint) plena sunt omnia exemplis, quibus liquido patet, quod quicumque status illis innitetur, poterit fortasse

pennas ad tempus breve nido majores extendere, sed defluent illæ paulo post.

Benedictio Judæ et Issacharis in unum nunquam conveniet: nimirum, ut eadem tribus aut gens sit simul et *leonis catulus*, et *asinus procumbens inter sarcinas*. Neque unquam fiet, ut populus, tributis oppressus, fortis existat et bellicosus. Verum est, collationes publico consensu factas, minus animos subditorum dejicere et deprimere, quam quæ ex imperio mero indicuntur. Id quod liquido videre est in tributis Germaniæ inferioris, quas Excisas vocant: atque aliqua ex parte in iis, quæ Subsidia nominantur apud Anglos. Etenim notandum est, sermonem jam institui de animis hominum, non de opibus. Tributa autem, quæ ex consensu conferuntur, et quæ ex imperio imponuntur, etsi eadem res sint, quoad opes exhauriendas, varie tamen omnino animos subditorum afficiunt. Statuatur igitur et hoc, populum tributis gravatum idoneum ad imperandum non esse.

Aspirantibus ad magnitudinem regnis et statibus, prorsus cavendum, ne nobiles et patricii, atque (quos vocamus) generosi, majorem in modum multiplicentur. Hoc enim eo rem deducit, ut plebs regni sit humilis et abjecta; et nihil aliud fere quam nobilium mancipia et operarii. Simile quiddam fieri videmus in sylvis cæduis; in quibus, si major, quam par est, caudicum sive arborum majorum relinquatur numerus, non renascetur sylva sincera et pura; sed major pars in vepres et dumos degenerabit. Eodem modo in nationibus, ubi numerosior justo est nobilitas, erit plebs vilis et ignava; atque eo demum res redibit ut nec centesimum quodque caput sit ad galeam portandam idoneum: præsertim si peditatum spectes; qui exercitus plerumque est robur præcipuum: unde succedet magna populatio, vires exiguæ. Nusquam gentium hoc, quod dico, luculentius comprobatum est, quam exemplis Angliæ et Galliæ: quarum Anglia, quamvis territorio et numero incolarum longe inferior, potiores tamen partes fere semper in bellis obtinuit; hanc ipsam ob causam, quod apud Anglos coloni, et inferioris ordinis homines, militiæ habiles sint, rustici Galliæ non item. Qua in re

mirabili quadam et profunda prudentia excogitatum est ab Henrico septimo Angliæ rege (id quod in *Vitæ ejus historia* fusius tractavimus) ut prædia minora atque domus agricolationis instituerentur, quæ habeant certum eumque mediocre agri modum annexum, qui distrahi non possit; eo fine, ut ad victum liberaliorem sufficiat; utque agricultura ab iis exerceretur, qui domini fuerint fundi, aut saltem usufructuarii, non conductitii aut mercenarii. Nam ita demum characterem illum, quo antiquam Italiam insignivit Virgilius, merebitur regio aliqua:

*Terra potens armis, atque ubere glebæ.*

Neque prætereunda est illa pars populi (quæ Angliæ fere est peculiaris, nec alibi (quod scio) in usu, nisi forte apud Polonos) famuli scilicet nobilium: hujus enim generis etiam inferiores, quoad peditatum, agricolis ipsis minime cedunt. Quare certissimum est, quod magnificentia et splendor ille hospitalis, atque famulitia, et veluti satellitia ampla, quæ in more sunt apud nobiles et generosos in Anglia, ad potentiam militarem apprimè conducant: ubi contra, nobilium obscura, et magis privata, et in se reducta vitæ ratio copias militares minuit.

Danda est omnino opera, ut arbor ista monarchiæ, qualis fuit Nebuchadnezzaris, truncum habeat satis amplum et robustum, ad ramos suos et frondes sustentandos: hoc est, ut numerus indigenarum, ad subditos extraneos cohibendos, satis superque sufficiat. Illi igitur status ad imperii magnitudinem bene comparati sunt, qui jus civitatis facile et libenter largiuntur. Vana siquidem fuerit opinio, posse manipulum hominum, utcunque animis et consilio excellent, regiones nimio plus amplas et spatiosas imperii jugo cohibere et frænare. Id ad tempus fortasse facere possint, sed diurnitatem hæc res non assequitur. Spartani parci fuerunt, et difficiles in cooptandis novis civibus. Unde, donec intra parvos limites dominati sunt, res eorum firmæ fuerunt et stabiles: at postquam limites suos cœpissent proferre, et latius dominari, quam ut stirps Spartanorum turbam exterorum imperio commode



coërcere posset, potentia eorum subito corrui. Nulla unquam respublica sinus suos ad novos cives recipiendos tam profuse laxavit, quam respublica Romana. Itaque par erat instituto tam prudenti fortuna, cum in imperium toto orbe amplissimum succreverint. Moris apud eos erat jus civitatis prompte elargiri; idque in supremo gradu: hoc est, non solum jus commercii, jus connubii, jus hæreditatis; verum etiam jus suffragii, et jus petitionis, sive honorum: hocque rursus, non singulis tantum personis, sed totis familiis, imo civitatibus, et nonnunquam integris nationibus, communicarunt. Huc adde consuetudinem deducendi colonias, quibus Romanæ stirpes in solum exterum transplantabantur. Quæ duo instituta si simul componas, dices profecto, non Romanos se diffudisse super universum orbem; sed contra, orbem universum se diffudisse super Romanos: quæ securissima proferendi imperii est ratio. Subit mirari sæpius imperium Hispanorum; quod tam paucis indigenis tot regna et provincias amplexari et frænare possit. At certe Hispaniæ ipsæ pro arboris stemmate satis grandi haberi debent, cum longe ampliorem contineant regionum tractum, quam Romæ aut Spartæ, sub initiis suis, contigerat. Porro, quanquam jus civitatis satis parce soleant Hispani impertire, quod proximum tamen est, faciunt; quippe qui cujuscunque nationis homines ad militiam suam ordinariam promiscue admittant; quin etiam summum belli imperium haud raro ad duces natione non Hispanos deferunt. Attamen et illam ipsam videntur non ita pridem indigenarum paucitatem sensisse, eique succurrere cupiisse; ut ex pragmatica sanctione, hoc anno promulgata, cernere est.

Certissimum est, artes mechanicas sedentarias, quæ non sub dio, sed sub tecto exercentur, atque manufacturas delicatas (quæ digitum potius, quam brachium, requirunt) sua natura militaribus animi esse contrarias. In universum, populi bellicosi feriari gaudent, et pericula, quam labores, minus exhorrent. Atque in hoc ingenio suo non sunt admodum reprimendi, si animos ipsorum in vigore conservare cordi nobis sit. Magno itaque adjumento Spartæ, Athenis, Romæ, aliisque an-

tiquis rebus publicis fuit, quod habuerint non ingenuos, sed servos plerunque, quorum laboribus istiusmodi opificia expediebantur. Verum mancipiorum usus, post legem Christianam receptam, maxima ex parte abiit in desuetudinem. Huic vero rei proximum est, ut artes istæ alienigenis tantum permittantur; qui propterea alliaciendi, aut saltem facile recipiendi sunt: nativorum autem plebs ex tribus generibus hominum constare debet; nempe, ex agricolis; famulis ingenuis; et artificibus, quorum opera robur et lacertos viriles postulant; cujusmodi sunt fabri ferrarii, lapidarii, lignarii, et similes; non annumerando militiam descriptam.

Ante omnia ad imperii magnitudinem confert, ut gens aliqua armorum studium profiteatur, tanquam decus suum, et institutum vitæ primarium, et in præcipuo honore habitum. Quæ enim a nobis adhuc dicta sunt, ad habilitates tantum erga arma spectant: quorsum autem habilitas, si non rei ipsi incumbitur, ut producat in actum? Romulus (ut narrant, aut fingunt) postquam e vivis excesserat, illud civibus suis legavit, ut ante omnia rem militarem colerent, unde in caput orbis terrarum urbs eorum insurgeret. Imperii Spartani fabrica universa (non nimis prudenter quidem, sed diligenter tamen) ad illum finem et scopum composita est et constructa, ut cives sui belligeratores essent. Persarum et Macedonum idem erat institutum, sed non tam constans aut diuturnum. Britanni, Galli, Germani, Gothi, Saxones, Normanni, et nonnulli alii, etiam ad tempus armis se præcipue dediderunt. Turcæ idem institutum, lege sua paululum exstimulati, hodie retinent, sed magna cum militiæ suæ (ut nunc est) declinatione. In Europa Christiana, gens, quæ illud adhuc retinet et profitetur, soli sunt Hispani. Verum res est tam liquida et manifesta, unumquemque in eo proficere maxime, in quo plurimum impendit studii, ut verbis non indigeat. Satis sit innuisse, desperandum omnino alicui nationi esse, quæ non ex professo arma et militiam colat, iisque præcipue studeat et incumbat, sibi veluti ultro obventuram insignem aliquam imperii magnitudinem: contra autem, certissimum esse temporis oraculum, nationes illas, quæ in armorum professione et

studiis diutius permanserint (id quod Romani, Turcæque potissimum fecere) miros in imperio amplificando facere progressus. Quin et illæ, quæ bellica gloria per unius tantummodo seculi spatium florere; inde tamen, unico illo seculo, eam imperii amplitudinem assecutæ sunt, quam longo post tempore, etiam remissa illa armorum disciplina, retinuerunt.

Præcepto præcedenti affine est, ut status quis utatur ejusmodi legibus et consuetudinibus, quæ justas illi causas, aut saltem prætextus, arma capessendi, tanquam in promptu ministrent. Etenim, ea est insita animis hominum justitiæ apprehensio, ut bellum (quod tot sequuntur calamitates) nisi gravem ob causam, saltem speciosam, inferre abstineant. Turcis præsto est semper, et ad nutum, belli causa; propagatio scilicet legis et sectæ suæ. Romani, quanquam pro magno decore imperatoribus apud eos fuerit, si fines imperii ipsorum protulissent, tamen ob hanc causam, ut fines proferrentur, nunquam bella susceperunt. Aspiranti igitur ad imperium nationi illud in more sit; ut sensum habeat vividum et acrem injuriæ alicujus, vel subditis suis limitaneis, vel mercatoribus, vel publicis ministris, illatæ; neque a prima provocatione diutius torpeat aut tardet. Item, prompta sit et alacris, ad auxilia mittenda sociis suis et fœderatis: id quod perpetuum erat apud Romanos: adeo ut, si forte in populum fœderatum, cui etiam cum aliis fœdus defensivum intercederet, hostilis impressio facta esset; atque ille a plurimis suppetias peteret; Romani omnium primi semper adessent, beneficii decus nemini præripiendum relinquentes. Quod vero attinet ad bella, antiquis temporibus, propter statuum conformitatem quandam, aut correspondentiam tacitam, gesta, non video in quo jure illa fundata sint. Talia fuerunt bella, quæ a Romanis suscepta erant ad Græciam in libertatem vindicandam: talia a Lacedæmoniis et Atheniensibus, ad constituendas aut evertendas democratias et oligarchias: talia quandoque illata sunt a rebus publicis aut principibus, sub prætextu subditos alienos protegendi, et a tyrannide iberrandi. Ad rem præsentem sufficiat, ut illud decer-

natnr: non esse exspectandam statui alicui imperii amplitudinem, nisi ad quamvis occasionem justam se armandi protinus expergiscatur

Nullum omnino corpus, sive sit illud naturale sive politicum, absque exercitatione sanitatem suam tueri queat. Regno autem, aut reipublicæ, justum atque honorificum bellum loco salubris exercitationis est. Bellum civile profecto instar caloris febrilis est; at bellum externum instar caloris ex motu, qui valetudini inprimis conducit. Ex pace enim deside atque torpente et emolliuntur animi, et corrumpuntur mores. Sed utcunque res se habeat quatenus ad alicujus status felicitatem, magnitudinis proculdubio interest, ut quasi semper in armis sit. Atque exercitus veteranus, perpetuo tanquam sub vexillis habitus, etsi res sit magni proculdubio sumptus et impensæ, attamen ejusmodi est, ut statui alicui quasi arbitrium rerum inter vicinos, aut saltem plurimum existimationis ad omnia conferat. Id quod insigniter cernere est in Hispanis, qui jam per annos centum et viginti exercitum veteranum, ad aliquas partes, licet non semper ad easdem, aluerunt.

Maris dominium monarchiæ quædam epitome est. Cicero de Pompeii contra Cæsarem apparatu scribens ad Atticum: *Consilium* (inquit) *Pompeii plane Themistocleum est; putat enim, qui mari potitur, eum rerum potiri.* Atque Cæsarem Pompeius proculdubio delassasset et attrivisset, nisi, inani fiducia inflatus ab illo incepto destitisset. Prælia navalia quanti fuerint momenti, ex multis exemplis patet. Pugna ad Actium orbis imperium determinavit. Pugna ad insulas Corsolares circulum in naribus Turcæ posuit. Multoties certe evenit, ut victoriæ navales finem summæ belli attulerint. Sed hoc factum est, cum aleæ hujusmodi præliorum totius belli fortuna commissa est. Illud minime dubium, quod qui maris potitur dominio, in magna libertate agit, et tantum, quantum velit, de bello sumere potest: ubi contra, qui terrestribus copiis est superior, nihilominus plurimis angustiis conflictatur. At hodie, atque apud nos Europæos, si unquam, aut uspiam, potentia navalis (quæ quidem

huic regno Britanniae in dotem cessit) summi ad rerum fastigia momenti est; tum quia pleraque Europae regna mediterranea simpliciter non sunt, sed maxima ex parte mari cincta; tum etiam, quia utriusque Indiae thesauri et opes imperio maris, veluti accessorium quiddam, existunt. Bella moderna veluti in tenebris gesta censi possunt, praegloria et decore vario, quae in homines militares, priscis temporibus, a rebus bellicis resilire solebant. Habemus hodie fortasse, ad animos faciendos, ordines quosdam honorificos militiae, qui tamen jam facti sunt armis et togae communes: etiam in scutis gentilitiis stemmata nonnulla habemus: insuper, hospitia quaedam publica, militibus emeritis et mutilatis destinata, et hujusmodi. Verum, apud veteres, in locis, ubi victoriae partae sunt, exstructa trophaea; laudationes funebres; monumenta magnifica occumbentium in bello; coronae civicae, militares, singulis concessae; nomen ipsum imperatoris, quod postea reges maximi a belli ducibus mutuati sunt; redeuntium ducum, bellis prospere confectis, celebres triumphi; donativa, atque largitiones ingentes in milites, sub exercituum dimissionem: haec (inquam) tot et tanta fuerunt, et tam insigni splendore coruscantia, ut pectoribus mortalium, etiam maxime conglaciatis, igniculos subdere, eaque ad bellum inflammare potuerint. Ante omnia vero mos ille triumphandi apud Romanos, non res erat ex pompa, aut spectaculum quoddam inane, sed inter prudentissima plane nobilissimaque instituta numerandus: utpote, qui in se haec tria haberet: ducum decus et gloriam; aërii ex spoliis locupletationem; et donativa militum. Verum honor triumphi fortasse monarchiis non competit, praeterquam in personis regum ipsorum, aut filiorum regum. Quod etiam temporibus imperatorum Romae obtinuit: qui honorem ipsum triumphi sibi et filiis, suis, de bellis, quae praesentes ipsi confecerant, tanquam peculiarem reservarunt: vestimenta autem solummodo, et insignia triumphalia, aliis ducibus indulserunt.

Verum, ut sermones hos claudamus: *Nemo est (ut testatur sacra Scriptura) qui sollicite cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum; in pusillo*

scilicet corporis humani modulo; cæterum in magna regnorum et rerumpublicarum fabrica imperium amplificare et fines proferre, reges penes et dominantes est. Nam prudenter introducendo leges, instituta, et consuetudines, quales jam proposuimus, et alias his similes, posteris, et seculis futuris, magnitudinis sementem fecerunt. Verum ista consilia apud principes raro tractantur, sed res fortunæ plerunque committitur.

### XXX. DE REGIMINE VALETUDINIS.

IN regimine valetudinis, invenire est quandam prudentiam, ultra regulas medicinæ: observatio cujusque propria eorum, quæ nocent, eorum, quæ juvant, optima est medicina ad sanitatem tuendam. Verum tutius est concludere: *Hoc sensi mihi nocuisse, ergo eo non utar*: quam isto modo: *Hoc, quod sensi, minime offendit, ergo eo uti licet*. Etenim vigor juventutis excessus plurimos tegit, qui tamen in senectute tandem velut debita exigentur. Considera ætatem ingruentem, neque confide eadem perpetuo continuare: non enim bellum indicendum senectuti. Cave a subita aliqua mutatione in regiminis parte quapiam principali; quod si necessitas urgeat, cætera ad eam mutationem accommoda. Secretum enim est, et naturale et politicum, *Tutius est multa mutare, quam unum magnum*. Examini tamen subjicias consuetudines tuas: diætæ, somni, exercitationis, vestium, mansionis, et similium: et si quid nocumento esse judices, experire illud paulatim exuere: ita tamen, ut si ex mutatione nocumenti aliquid perceperis, ad consueta redeas: difficile enim distinguere inter ea, quæ toto genere sunt salubria, et ea, quæ corporis tui unici constitutioni conveniunt. Vacuo animo esse et hilari ad horas cibi, somni, et exercitationis, est ex optimis præceptis ad prolongandam vitam. Quatenus ad animi passiones et studia: devita invidiam; metus anxios; iram intus cohibitam; subtiles et nodosas disquisitiones; gaudia et exhilarationes immodicas; tristitiam alte pressam, et non communicatam. Amplectere spes; lætitiâ potius quam gaudium; delectationum varietatem magis quam satietatem; admirati-

onem, et propterea novitates ; studia quæ animum replent splendidis et illustribus objectis ; veluti, historias, fabulas, peragrationes naturæ. Medicationem si omnino fugias, valetudine utens bona, corpori ingrator accedet, cum necessitas ingruerit. Eidein si nimium asuescas, detrahet de viribus et efficacia ejus, quando morbus advenerit. Probo potius diætæ quasdam ad certa tempora, quam usum medicamentorum frequentem : nisi jampridem transierit in consuetudinem. Diætæ enim hujusmodi alterant corpus magis, perturbant minus. Ne contempnas accidens aliquod in corpore tuo novum et insuetum, sed consilium medicorum circa illud adhibe. Dum ægrotas, valetudinem tuam cura maxime ; dum vales, corpore tuo utere, nec sis nimis delicatus : qui enim, dum valet, corpori tolerantiam imperat ; in morbis compluribus, qui scilicet non sunt acuti, diætæ sola, et corporis regimine paulo exquisitiore, curari possit absque multa medicatione. Celsus monitum illud suum nunquam parturiisset ut medicus, nisi una fuisset vir prudens. In præceptis dat tanquam arcanum tuendæ valetudinis, et prolongandæ vitæ ; ut quis contraria alternet et subinde mutet, sed cum inclinatione in extremum benignius. Nempe, victu utere parciori et pleniore, sed pleniore sæpius : vigiliis, et somno largiori insuescas, sed somno magis : quietem et motum sive exercitium repetas, sed frequentius motum ; et similia. Ita enim natura simul et fovebitur ; et robur acquirat. Ex medicis aliqui erga ægrum et ejus desideria tam sunt indulgentes, ut morbi curam legitimam non urgeant ; alii contra, tam regulares et rigidi in procedendo secundum artem, circa curam morbi, ut ægri conditionem et naturam non satis respiciant. Medicum elige temperaturæ mediæ : vel si hoc ad votum in uno aliquo medico non cesserit, adhibe ex utroque genere unum : atque memor sis advocare medicum corporis tui gnarum non minus, quam in arte sua spectatum.

## XXXI. DE SUSPICIONE.

SUSPICIONES, inter cogitationes, sunt ut inter aves vespertiliones: nunquam volitant nisi luce crepera. Reprimendæ certe sunt, aut saltem caute custodiendæ: mentem enim obnubilant; amicos alienant; et negotia interpellant; ita ut nec alacriter nec constanter peragi possint. Reges inclinant ad tyrannidem; maritos ad zelotypiam; etiam prudentes ad animi vacillationem et melancholiam. Sunt autem suspiciones, defectus, non tam cordis, quam cerebri: locum enim reperiunt etiam in fortissimis animis: exemplo esse poterit Henricus septimus, rex Angliæ: quo non fuit alter suspiciacior nec tamen animosior. In ejusmodi vero temperatura minus nocent: plerunque enim non admittuntur, nisi prius discutiantur, utrum probabiles sint, annon. Verum in meticulosis ingeniis nimio plus prævalent. Nihil certe æque facit hominem multa suspicari, ac parum scire. Itaque rectissime adhibetur remedium ad suspiciones, ut quis inquisitionem urgeat. Fumo enim et tenebris aluntur suspiciones. Quid sibi tandem volunt homines? Existimantne cunctos, quorum opera utuntur, et quibuscum versantur, angelos esse, aut sanctos? Nesciuntne, illos ad suos proprios fines aspirare; et unumquemque proximiorum esse sibi, quam alteri? Nullus itaque est modus moderandis suspicionibus aptior, quam remedia parare, ac si suspiciones essent veræ; iis vero fræna injicere, ac si essent falsæ. Eatenus enim suspiciones usui esse poterunt, ut ita nos comparemus, ut, quamvis verum foret quod suspicamur, nocere tamen non possit. Suspiciones, quas ex se mens colligit, nil sunt nisi inanes bombi: quæ vero externo artificio aluntur, animisque hominum instillantur susurronum et famigeratorum sermonibus, aculeos habent. Optima certe ratio expediendi nos ex impedita hac suspicionum sylva, est libera quædam et aperta illarum declaratio apud eos, quos suspectos habemus: hinc enim fieri non potest, quin plus cognoscamus, utrum veræ sint, necne, quam antea. Hoc simul reddet eum, quem suspectum ha-



bemus, cautum magis et circumspectum, ne novam præbeat suspicionis ansam. Sed hoc fieri non oportet cum hominibus pravæ indolis et degeneris: hi enim, ubi semel se suspectos sentiant, fideles postmodum nunquam evadent. Diverbium habetur apud Italos, *Sospetto licentia fede*. Quasi suspicio fidei missionem daret; cum potius fidem accendere deberet, ut se ipsam liberaret.

### XXXII. DE DISCURSU SERMONUM.

SUNT qui in sermonibus affectant potius ingenii laudem, qua in quacunque parte disputare possint, quam iudicii in veritate enucleanda: ac si laudabile esset, invenire quid dici possit, non quid taceri debeat. Sunt qui in promptu habent locos aliquos communes et themata, in quibus luxuriantur, cætera steriles et jejuni; quod penuriæ genus plerumque tædio afficit, et quamprimum notam subierit, in ridiculum evadit. Pars sermonis honoratior hæc est: ansam sermonis præbere; et rursus eidem moderari, ac ad alia transire; tunc enim quis choream ducit. Bonum sane, in conversatione et colloquiis familiaribus subinde variare; et sermones circa res præsentis cum disputationibus; narrationes cum argumentis; quæstiones cum positivis; jocosæ cum seriis, immiscere: satietatem siquidem et fastidium parit, in aliquo subjecto diutius hæreret. Quantum ad jocos: sunt quædam, quæ a joco, veluti privilegio, eximi debent; religio, negotia reipublicæ, personæ sublimes, privatorum negotia majoris momenti, denique casus omnis miserabilis. Nonnullos tamen reperies, quibus ingenia sua obdormiscere videbuntur, nisi acutum aliquem et mordacem sarcasmum in quempiam contorserint. Ille habitus omnino coërcendus:

*Parce, puer, stimulis, et fortius utere loris.*

In summa, discrimen servandum inter salsa et amara. Certe qui satiricam amplectitur venam, sicut aliis metum injicit ab ingenio suo, ita ab aliorum memoria metuere debet. Qui interrogat multum, et addiscet multa, et placebit in multis; præsertim si quæstiones

suas ad captum et peritiam respondentis adaptet; siquidem occasionem ei præbebit scientiam suam ostendendi; ipse autem novis continuo scientiæ augmentis dotabitur. Molestæ autem ne sint quæstiones; id examinatori convenit. Etiam qui sermonis familiaris dignitatem tueri cupit, aliis vices loquendi relinquat. Quin et si qui adsint, qui dominari in sermonibus et tempus universum occupare studeant, illos arte quadam abrumpere sciat, et alios ad loquendum inducere; sicut tibicines moderari solent saltantibus. Scientiam si quandoque dissimules eorum quæ scire existimaris, putaberis alias ea scire, quæ nescis. Sermo alicujus de se ipso rarus esse debet, et cum judicio. Novi quendam, cui sæpe in ore erat per ironiam: *Oportet hunc egregie sapientem esse, ita multa de se ipso loquitur.* Vix occurrit casus aliquis, in quo se laudare quis decore possit, præter unum: is est, si virtutem alterius laudet: sed eam intelligo virtutem, ad quam ipse aspirat. Sermo alios pungens et vellicans, parce utendus: Etenim sermones familiares debent esse instar campi aperti, in quo spatium licet; non viæ regiæ, quæ deducit domum. Noveram nobiles duos ad partem Angliæ occidentalem; quorum alter scommatibus nimio plus indulgebat, sed hospitalis admodum erat; alter autem quærere solebat a convivis illius prioris: *Dic sodes; annon scommata aliquod intercesserat in quempiam jactum?* Cui conviva forte: *Tale aliquid contigit.* At ille, utpote alterius æmulus, *Satis sciebam eum prandium bopum malis condimentis corrupturum.* Sermo cum discretione præstat eloquentiæ; et apte loqui et accommodate ad personam, cum qua colloquimur, efficacius est, quam ornamenta verborum aut methodi captare. Continuata oratio bona, absque interlocutione bona, tarditatem monstrat: at replicatio et interlocutio bona, absque facultate orationem continuandi, penuriam et scientiam minime fundatam prodit: quemadmodum in animalibus videmus, quæ cursu minus valent, flexu maxime agilia esse: ut fit inter leporarium et leporem. Circumstantiis nimio pluribus orationem vestire, antequam rem ipsam attingas, tedium parit; iisdem penitus carere, abruptum quiddam est, et ingratum.

XXXIII. DE PLANTATIONIBUS POPULORUM ET COLONIIS.

COLONIÆ eminent inter antiqua et heroica opera. Mundus cum adhuc juvenis esset plures progeniit liberos; nunc senex factus, pauciores. Etenim non immerito colonias novas tanquam liberos nationum antiquiorum duxerim. Plantationem populorum probo in solo puro: intelligo, ubi populus non destruitur, ut populus inseratur: hoc enim cum fit, exstirpatio prorsus est, non plantatio. Plantatio regionum non absimilis est plantationi sylvarum: in quibus de utilitate capienda nihil cogitandum ante annum vicesimum: verum fructus uber et locuples in fine operis exspectandus. Illud certe, quod præcipue colonias, alias bene successuras, evertit, fuit sordida illa et avida lucri captatio, sub initiis coloniarum. Verum est, lucri segetem acceleratam non negligendam, modo cum bono coloniæ conjuncta sit, sed non ultra. Indignum quiddam et infaustum est, cum fæx populi, exules, et damnati, in coloniæ seminarium sumuntur. Quin et coloniam ipsam corrumpit et perdit. Hujusmodi enim homines profligati instar erronum degent; nec operi accingent, sed otio se dedit; quin et scelera perpetrabunt, fruges consument, et coloniæ fastidio afficientur; ac tum demum nuncios et literas in patriam mittent, in plantationis præjudicium et dedecus. Populus, qui in coloniam sumatur, præcipue sint artifices generum sequentium: hortulani, aratores, fossores, fabri ferrarii, fabri lignarii, piscatores, aucupes, chirurgi, pharmacopolæ, coci, piscatores, cervisarii, et hujusmodi. In regione, ubi plantare instituitis, circumspice primo quod genus esculentorum et poculentorum terra ex sese, sine cultura, edat: veluti castaneas, juglandes, nuces pinus, olivas, dactylos, pruna, cerasa, mel silvestre, et similia: atque illis ut par est utere. Dein disquire, quod genus victualiorum solum proferre possit celeriter intra annum; veluti pastinacas, caricas, brassicas, cepas, raphanos, melones, pepones, cucumeres, artiplices de Hierusa-

lem, maiz, et alia. Quantum ad triticum, siliquam, hordeum, et avenam, nimiam grana hæc poscunt culturam; attamen a fabis et pisis etiam inchoare licet: tum quia minore opera indigent; tum quia non minus cibi loco, quam panis, inserviunt. Etiam ab oryza multiplex provenit seges; quæ et cibi quoque copiam facit. Ante omnia, magna copia transportanda panis biscocci, farinæ ex avena, pollinis, fariuæ omnigenæ, et similitum, ut sub initiis præsto sint, donec panis confici possit. Pecudes et aves delige eas, quæ a morbis præcipue immunes sunt, et præ cæteris prolificæ: quales sunt porci, capræ, gallinæ Indicæ, anseres, columbæ domesticæ, cuniculi, et similes. Præcipue autem piscationibus incumbendum, tum ad sustentationem coloniæ, tum ad lucrum exportationis. Commeatus in coloniis adeo parca manu fere distribuendus, ac si in oppidis obsessis esset; hoc est, pro rata. Maxima autem pars soli, quod in hortos aut segetes convertitur, horreis publicis assignetur; in quibus fruges reponantur, et mensura certa distribuantur: ita tamen ut supersint nonnullæ fndi portiones, in quibus industria singulorum se exercent. Circumspice insuper, quas merces nativas regio illa producat, ut exportatio earum in loca, ubi maxime in pretio sunt, sumptus levet: ut usuvenit in nicotiano apud Virginiam; modo non sit (ut jam dictum) in præjudicium intempestivum coloniæ ipsius. Sylvæ in regionibus desertis ut plurimum abundant; itaque ligna ad ædificia, naves, aut ejusmodi usus apta, inter præcipuas merces numeranda. Si inveniatur vena ferri, et rivuli ad molendina ferraria idonei, ferrum e mercibus quæstuosus est, in regionibus sylvis. Salis nigri confectio per calorem solis, si clima ferat, digna res est, quæ tentetur. Etiam sericum vegetabile, si adsit, merx est lucrosa. Pix cujuscunque generis, ubi proveniunt pinus et abietes, semper præsto est. Quin et pharmaca, et ligna odorata, si reperiantur haud parvum commodum præbent. Etiam cineres, quibus ad sapam utuntur, non modicum utilitatis afferent: similiter et alia: quæ perquiri possunt. Verum fodinis ne confidas nimium, præsertim a principio. Fodinæ enim fallaces sunt, et sumptuosæ; et spe pulchra lactantes,

colonos reddunt circa alia socordes. Regimen coloniae committatur uni, cui tamen assideant consilarii aliquot; atque muniantur auctoritate, ad exemplum juris militaris, sed aliquantulum restricta. Ante omnia, hunc sibi decerpant homines fructum, vivendo in eremo; ut Deum semper ejusque cultum præ oculis habeant. Rursus, colonia a numerosiore concilio (intelligo in regione matre coloniae residente) non pendeat; nec ob contributiones exiguas multitudini nimiae subjiatur; sed sit numerus eorum, qui negotia coloniae procurant et ordinant, moderatus: sintque potius ex nobilibus et generosis, quam mercatoribus: hi enim lucro præsentis plus satis inhiant. Sit plane immunitas a vectigalibus et portoriis, donec colonia adoleverit: neque tantum immunitas a solutionibus pecuniarum concedatur, sed etiam libertas merces in quascunque velint partes exportandi; nisi gravis aliqua causa obfuerit. Coloniam populo ne farcias aut superoneres, alios post alios mittendo: sed potius informationi diligenti intende, quot capita de tempore in tempus minuantur; eaque numero conveniente, pro rata, suppleas; ita tamen, ut coloni bene victitent, nec penuria affligantur. Magnum jam pridem salubritati complurium coloniarum detrimentum intulit ædificatio juxta mare et fluvios, in locis paludinosis et aquis. Itaque, etsi ab hujusmodi locis incipiendum, propter vecturæ et aliarum rerum commoditatem, paulatim tamen in superiores regionis partes, et ab aquis remotiores, ascendendum. Interest etiam sanitatis coloniae, ut salis sat bona copia convehatur; quo cibi, quos verisimile est putridos aliter sæpe futuros, condiantur. Si coloniam plantes, ubi barbari sedes suas habeant, nequiquam eos nugis tantum et tricis concilies; sed justitia et modis gratiosis demerere; nihil tamen de præsidiis minuendo, quæ ad securitatem pertinent; neque etiam benevolentiam eorum aucupare auxiliis contra hostes suos; sed auxiliis defensivis non incommodum erit subvenire. Interest etiam, aliquos ex indigenis sæpe in regionem, unde colonia migravit, mittere; ubi videant conditiones hominum suis multo præstantiores; idque sub reditu inter suos divulgent. Postquam colonia adoleverit, et robur acceperit, tem-

pestivum erit mulieres summittere, ut colonia ex sese propagetur, nec semper ab externis pendeat. Super omnia flagitiosissimum est, coloniam semel deductam deserere et destituere; præterquam enim quod dedecori est, nil aliud est, quam proditio mera, profusioque sanguinis complurium hominum miserorum.

#### XXXIV DE DIVITIIS.

DIVITIAS cognomine magis proprio vocare nequeam, quam ut eas appellem impedimenta virtutis. Sicut enim se habent impedimenta ad exercitum, ita divitiæ ad virtutem: necessariae siquidem sunt, sed graves: quinetiam cura illarum victoriam sæpe disturbat. Divitiarum magnarum nullus est usus, præterquam in iis expendendis: cætera in opinione versantur. Idem dictat Salomon: *Ubi multæ sunt opes, multi qui comedunt eas.* Et, *Quid prodest possessori, nisi quod cernat divitias oculis suis?* Possessio divitiarum nulla voluptate dominum perfundit, quantum ad sensum: est sane custodia ipsarum; est etiam potestas donativi aut distributionis; est et fama, et inflatio ab ipsis; sed non datur solidus ipsarum usus, qui ad dominum pertingat. Annon vides ficta illa pretia, quibus gemmæ, et hujusmodi rariora, æstimantur; et quam inania opera suscipiantur ad ostentationem meram, ut usus aliquis divitiarum magnarum videri possit? Sed dicet quispiam, usum earum vel in hoc maxime cerni posse; quod dominos ex periculis et calamitatibus redimant: ut ait Salomon: *Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus elevatus in imaginatione sua.* Sed caute Salomon, quod imaginatione, non re ipsa, tales sunt. Plures enim, sine controversia, divitiis suis magnis vœnierunt, quam redempti sunt. Divitias magnas se secteris; sed quas parare possis juste, impendere sobrie, erogare hilariter, et libenter dimittere. Neque tamen contemptum ipsarum, instar monachi alicujus, aut a seculo abstracti, foveas; sed de usu distingue; sicut Cicero optime de Rabirio Posthumo: *In studio rei amplificandæ apparebat, non avaritiæ prædam, sed instrumentum bonitati quæri.* Ausculta etiam Salomini, nec

præproperæ opum accumulationi inbia : *Qui festinat ad divitias, non erit insons.* Fingunt poëtæ, Plutum (qui divitias sonat) a Jove missum, claudicare et tardigradum esse : a Plutone autem, currere et pedibus celerem. Innuentes, divitias, bonis artibus et justo labore partas, tarde accedere ; sed per mortem aliorum advenientes (veluti ex hæreditatibus, testamentis, aut similibus) præcipitanter ruere. Nec minus poterit fabula ea de Plutone intelligi, si Plutonem pro diabolo accipias. Cum enim opes a diabolo fluunt (veluti per fraudes, oppressiones, injustitiam, et scelera) rapido cursu feruntur.

Via ad ditescendum variæ, et pleræque earum fœdæ. Parsimonia inter optimas censi possit, neque tamen ipsa omnino innocens est : opera enim liberalitatis et charitatis coarctat. Soli cultura, quasi ad divitias, maxime genuina ; utpote quæ benedictio magnæ matris Telluris sit. Verum lenta est hæc via. Attamen ubi homines insigniter opulenti se ad agriculturam, et lucra rustica, submitunt, divitias in immensum coacervant. Noveram ex proceribus Angliæ quendam, cui maximi redditus proveniebant e rerustica, supra subditos cæteros quoscunque ætatis meæ. Dives erat armentis, ovibus, sylvis, tam cæduis, quam grandioribus ; lithanthracibus, frumento, plumbi et ferri fodinis, et compluribus aliis proventibus rusticis. Adeo ut terrâ ei instar maris esset, merces perpetuo importans. Rêcte a quodam observatum ; se magno cum labore ad exiguas, et nullo fere ad magnas divitias, pervenisse. Postquam enim res alicujus nummaria sic increverit, ut nundinarum et mercatum opportunitates præstolari possit ; atque eos contractus superare, quibus ob summæ magnitudinem perpauca admodum homines apti sunt ; atque etiam in laboribus aliorum participare, qui minus pecunia abundant ; fieri non potest, quin supra modum ditescat. Lucra ex professionibus honesta certe sunt ; et duabus rebus promoventur maxime ; diligentia, et fama bona propter probitatem in negotiando. At lucra ex contractibus majoribus plerunque naturæ magis ancipitis ; cum quis scilicet aliorum necessitates et angustias obsi-

deat; servos et ministros alienos in damnum dominorum corrumpat; emptores alios, qui in majora forte pretia consensissent, artificiose et vafre summoveat; et hujusmodi fraudes exerceat: quæ omnes merito damnandæ sunt. Quantum vero ad emptiones, animo non retinendi sed rursus divendendi, illæ ex utraque fere parte molunt; tam venditorem, quam emptorem prementes. Societates locupletant affatim; si cautus adhibeatur delectus eorum, quibuscum societas initur. Fœnus ex certissimis lucri generibus est, licet ex pravisimis: utpote quod hominem panem suum comedere faciat *in sudore vultus alieni*: atque in sabbatho operari non cessat. Attamen certum licet sit, non caret rimis suis secretis: siquidem notarii et institores ad commodum proprium homines fortunarum dubiarum quandoque extollent. Primum esse in inventione aliqua nova, aut privilegio; inundationem quandam opum interdum largitur: sicut contigit primo sacchari excoctori in Canariis. Itaque si quis se peritum dialecticum præstare possit, ut addat inventioni iudicium, magna haud dubie efficiet; præsertim si tempora sint propitia. Qui lucra tantummodo certa captat, ægre ad magnas divitias assurget: contra, qui totus in incertis est, vix fortunarum dispendia vitabit: bonum igitur fuerit incerta lucra certis munire, ut damnis subveniatur. Monopolia et mercium coëmptiones ad revenditionem, ubi lege nulla prohibentur, ad divitias viam sternunt facilem; præsertim si quis prospicere possit, quæ merces in æstimationem venturæ sint, atque eo modo se illis abunde instruat. Opum acquisitio per servitium regum aut magnatum dignitatem quandam habet: tamen, si assentationibus et servilibus artificiis, sese ad omnes nutus flectendo, parentur, inter vias vilissimas poterit numerari. Quantum ad venationem testamentorum et legatorum (quemadmodum Tacitus Senecam insimulat: *Testamenta et orbos tanquam indagine capi*) adhuc pejor est hæc res, quanto cum hominibus conditionis humilioris rem habemus, quam in servitio.

Fidem illis nimiam ne adhibeas, qui præ se ferunt contemptum divitiarum: et enim opes despiciunt, qui



desperant ; neque invenies usquam tenaciores, ubi incipient ditescere. Ne sis in minutis tenax ; divitiæ alas habent, et aliquando ex sese avolant, aliquando emittendæ sunt, ut ampliores congregent. Opes suas moribundi relinquunt, aut usui publico ; aut liberis, cognatis, et amicis : in utroque genere legationes paulo moderatiores melius cedunt. Divitiæ magnæ, hæredi relictæ, aves rapaces undique ad eas convolare invitant ; nisi hæres fuerit ætate et iudicio confirmatior. Similiter foundationes gloriosæ et splendidæ in usus publicos sunt instar sacrificiorum sine sale, et nihil aliud quam dealbata eleemosynarum sepulchra ; quæ ab intus cito corrumpentur et putrefient. Itaque dona tua magnitudine ne metiaris, sed commoditate ; et ad debitam mensuram redigas : neque opera charitatis in mortem usque differas : etenim, si quis recte rem æstimet, qui id facit, ex alieno potius donat, quam e proprio.

### XXXV. DE AMBITIONE.

AMBITIO choleram refert : quod genus humoris activos, vehementes, alacres, et promptos reddit ; nisi obstructionem patiatur. Quod si obstructione concludatur, adeo ut libere permeare non possit, fit adusta, et inde maligna et venenosa. Similiter ambitiosi, si in ambitu et petitione sua repulsas non patiantur, sed semper sint in progressu, polypragmones potius sunt, quam periculosi : sin in cupiditatibus frænentur, et subinde frustrentur, malevolentiam et invidiam in corde fovent, et iniquo prorsus oculo tum res, tum homines intuentur ; ac tum demum in sinu lætantur cum res male cedant : qui quidem animi affectus cum servis regum aut rerumpublicarum pessime congruit. Bonum itaque principibus fuerit (si ambitiosis utantur) ita rem disponere, ut perpetuo directi, nunquam retrogradi sint. Quod quia sine præiudicio fieri non potest, melius esset ab huiusmodi ingenii hominibus omnino abstinere. Etenim si ipsi cum servitio suo non assurgant, operam dabunt ut servitium suum cum ipsis corruat. Verum, quia modo diximus, ambitiosos non adhibendos, nisi

urgente necessitate, operæ pretium fuerit jam dicere, quibus in casibus necessarius sit eorum usus.

Imperatores et duces in bello boni, utcunque ambitiosi sint, omnino recipiendi: etenim utilitas ipsorum et præficiantur, cætera compensat: militem autem deligere, qui ambitione vacet, perinde est, ac si calcariibus etiam spolies. Quin et alter usus ambitiosorum est, ut umbellæ loco principibus sint contra invidiam et periculum: nemo enim eas partes subibit, nisi sit instar columbæ occæcatæ, quæ ideo in sursum volat, quia circumspicere non potest. Est etiam alius usus ambitiosorum non parvus, ut prægrandibus alas amputent, et eorum potentiam labefactent; quemadmodum Macronem Tiberius ad dejiciendum Sejanum.

Quandoquidem igitur in casibus memoratis necessarij sint; superest ut ostendamus qua ratione sint frændandi et coërcendi, ut minus ab illis impendeat periculi. Perniciosi minus sunt si natalibus ignobiles, quam si nobiles: si ingenio paulo truciores et asperiores, quam si gratiosi et populares: denique si nuper honoribus admoti, quam si veteratores facti sint, et in honoribus suis muniti. Signum infirmi animi in principibus a plerisque ducitur, si gratiosos et intimos sibi adjungant; attamen, si verum dicendum est, non aliud reperitur remedium præstantius contra potentiam nimiam procerum aut magistratum. Siquidem, quando juvandi et nocendi potestas penes gratiosum residet, vix fiet ut alius aliquis ex proceribus magnopere potentia turgeat. Alia ratio ambitiosos coërcendi non mala est, si per alios æque ambitiosos et protervos librentur: sed tum opus est consiliariis aliquibus moderatioribus, qui partes medias teneant, ne factiones omnia pessudent: etenim absque illa saburra navis vacillabit nimis. Saltem allicere poterunt principes, et animare aliquos humilioris conditionis, qui ambitiosorum veluti flagella sint. Quantum ad ingenerandam illam in ambitiosis opinionem, ut se ruinæ proximos putent, atque eo modo contineantur: si meticulosi fuerint, bene forsitan cedit: sin animosi et audaces, præcipitabit conatus et machinationes eorum; neque est sine periculo. Quod si ne-

cessitas flagitet, ut revera rejiciantur, neque id simul et subito facere tutum foret, optimum erit favoribus et repulsis eos alternis excipere: unde attoniti et confusi hæreant, nescientes quid exspectent, et veluti intra sylvam ambulent.

Ex ambitionibus minus est nociva cupiditas prævalendi in rebus majoribus, quam se immiscendi rebus omnibus: istud enim confusionem consiliorum parit, et negotia destruit. Etiam minus periculi incumbit ab ambizioso in negotiis acri, quam ab eo qui gratia et clientelis pollet. Qui inter strenuos et negotiis pares eminere studet, magnam profecto suscipit provinciam; verum hoc publico utile est: qui vero illud machinatur, ut viros cordatos deprimat, et ipse solus inter ciphras numerus sit, seculi alicujus lues est et calamitas. Honor tribus insignitur commodis; potestate benemerendi; aditu facili ad viros principes, et fortunarum propriarum in melius evectione. Qui optimam ex his tribus fovet intentionem, cum aspirat, vir probus est: princeps quoque, qui hujusmodi in servis suis intentiones dignoscere valeat et distinguere, princeps est prudens. Verum in genere, præoptandi sunt principibus hujusmodi servi, qui officio magis ducantur, quam ambitione: quique negotia amplectantur et ament, potius ex conscientia bona, quam ex ostentatione: denique distinguant principes cum judicio inter ingenia, quæ sese omnibus negotiis ingerunt, et animum promptum seu alacrem.

### XXXVI. DE NATURA, ET INDOLE NATURALI IN HOMINIBUS.

NATURA occultatur sæpenumero, interdum vincitur, raro exstinguitur. Vis naturam efficit magis impetuosam cum recurrit; doctrina et præcepta affectus naturales reddunt minus quidem importunos, sed non tollunt; verum consuetudo sola ea est quæ naturam plane immutat et subigit. Qui victoriam de natura sua reportare cupit, sibi nec nimis magna, nec parva nimis pensa, constituat: priora enim animum dejicient, propter frustrationes crebras; posteriora non multum attollent, etiamsi sæpius prævaleat. Atque sub initiis

exerceat se ad iuiculis quibusdam, ut natatores recentes vesicis aut juncis; deinde cum impedimentis, ut saltatores solent calceis gravioribus. Etenim perfectionem in re qualibet inducit, si exercitatio difficilior sit, quam usus. Ubi natura admodum potens est, et proinde victoria difficilis, opus erit per gradus quosdam procedere. Qui tales sint: primo, naturam sistere ad tempus aliquod; more illius, qui cum irasceretur, literas alphabeti, priusquam quicquam faceret, recitare solebat: secundo, naturam moderari, et ad minores portiones deducere; ut si quis, abstinenciam a vino exercens, a majoribus haustibus ad minores deveniat: postremo autem, naturam penitus sub jugum mittere et domare. Verum si quis eo animi robore et constantia polleat, ut se subito eximere et vindicare poterit, hoc optimum fuerit:

*Optimus ille animi vindex, lædentia pectus  
Vincula qui rupit, dedoluitque semel.*

Neque antiqua regula rejicienda; ut naturam ad instar bacilli in contrariam partem flectas; quo recta tandem deveniat. Verum intellige hoc, ubi extremum illud alterum in vitium non ducat. Insuper et hoc advertas, ne habitum superinducere contendas nixu continuo, sed intermisso; nam intermissio impetum redintegrat et adauget; et si quis dum tironem agit perpetuo se exerceat, eveniet ut errores non minus, quam facultatem, imbibat. Neque huic malo succurritur, nisi per tempestivas intermissiones. Præterea, victoriæ in naturam non nimium cito triumphum accinas; natura enim ad longum tempus sepulta jacebit, et tamen, occasione data, reviviscet: id quod contigit puellæ apud Æsopum, ex fele in mulierem conversæ; quæ civiliter admodum in mensa sedebat, donec mus in conspectu ejus forte curreret. Itaque occasiones tales, aut omnino evites, aut iisdem frequentius insuescas, quo minus moveant. Indoles cujusque naturalis optime deprehenditur in consuetudine familiari; in hac enim nulla intervenit affectatio; in perturbationibus; siquidem illæ præcepta et regulas penitus excutiunt: denique in casu aliquo

novo et insolito; quia tum a consuetudine deseritur. Felices dixerim, quorum indoles naturalis cum vitæ suæ genere congruit: alias vere dicere possint: *Multum incola fuit anima mea.* In studiis, quicquid a natura tua alienum repereris, stata tempora tibi præfigas ad ejusdem exercitationes et meditationes: sin autem cum genio tuo convenerit, de statis horis ne sis sollicitus; cogitationes enim tuæ sponte illuc convolabunt, prout negotia et studia cætera permittent. Natura cujusque, ex vi innata, aut bonas aut malas herbas producit; itaque sedulo et tempestive illas irriget, has evellat.

### XXXVII. DE CONSUETUDINE ET EDUCATIONE.

COGITATIONES hominum sequuntur plerunque inclinationes suas; sermones autem, doctrinas et opiniones quas imbiberunt; at facta eorum ferme antiquum obtinent. Itaque, ut bene notat Macciavellus (licet in exemplo scelerato) minime fidendum est aut naturæ violentiæ, aut verborum grandiloquentiæ, nisi corroborentur consuetudine. Instantia ejus hæc est: in facinore aliquo audaci et crudeli patrandò, non acquiescendum esse aut in naturæ alicujus ferocia, aut in promissis constantibus, nedum juramentis; sed committendum scelus esse viris sanguinolentis, et jamdudum cædibus assuetis. Sed Macciavello de fratre quopiam Clemente, aut Ravillaco, aut Jauregua, aut Baltazare Gerardo, aut Guidone Faulxio, nihil innouit. Verum tenet regula ejus; naturam, aut promissorum fidem et ferociam, viribus consuetudinis haud æquipollere. Solummodo, superstitione, nostris temporibus, eo provecta est, ut primæ classis sicarii laniis obfirmatis minime cedant; atque decreta votiva, etiam in re sanguinaria, consuetudinis vires exæquent. In aliis quibuscunque consuetudinis potentia clare elucescit: adeo ut miraculi instar sit audire quot professiones, protestationes, promissa, verba grandia, jactitent plurimi; et tamen, istis omnibus posthabitis, pro more consueto agere; acsi imagines essent, et machinæ plane

inanimis, solis consuetudinis rotis impulsæ et actæ. Videre etiam licet consuetudinis tyrannidem in aliis multis. Indi (loquor de gymnosophistis et veteribus et modernis) se leniter super pyram componunt, atque hoc modo se ipsos igne sacrificant. Quin et fœminæ cum maritis in rogam immitti properant. Pueri Spartani, antiquis temporibus, flagris cædi sustinebant super aram Dianæ, vix ejulatu, aut gemitu ullo emisso. Memini, sub initiis reginæ Elizabethæ, rebellem quendam Hibernum supplicationem deputato obtulisse, ut torque lignea, non fune, suspenderetur; quia illud magis in more rebellibus erat. Inveniuntur monachi in Russia, qui, ad pœnitentiam complendam, tota nocte hiemali in vase aqua repleto non recusabant sedere, donec glacie constringantur. Plurima denique exempla adduci poterunt, plane stupendas consuetudinis vires, tam super animum, quam super corpus, prudentia. Quandoquidem igitur mos veluti summus sit humanæ vitæ moderator et magistratus, curæ sit imprimis, ut mores bonos asciscamus. Certe consuetudo validissima, cum a pueritia incipit: hanc educationem appellamus; quæ nihil aliud est, quam a teneris annis imbibita consuetudo. Ita videre est, in linguis ediscendis linguam ipsam magis commode se applicare omnibus expressionibus et sonis; artus quoque magis agiles et flexiles ad omnes posituras et motus esse in pueritia aut adolescentia, quam postea. Verissimum enim est, opsimes istos novam plicam non bene admittere: nisi fuerit in nonnullis hominibus, quibus animi nondum fixi, sed eosdem apertos ad omnia præcepta conservarunt, quo continuo emendationem reciperent; id quod rarissimum est.

Verum si consuetudinis vires, cum simplex solummodo sit, et sejuncta, tantæ sint; multo magis consuetudo copulata, et conjuncta, et in collegium coacta, excellit. Isthic enim exemplum docet, relevat societas, æmulatio stimulat, gloria animos extollit: ita ut in hujusmodi locis vires et influxus consuetudinis tanquam in exaltatione sint. Certe multiplicatio et (ut chemicorum vocabulo utar) projectio super naturam huma-

nam consistit in societatibus bene institutis, et disciplina salubri informatis. Etenim respublicæ recte administratæ, quin et leges bonæ, alunt virtutem in herba, sed semina ipsius non multum promovent. Verum infelicitatis orbis hoc habet, ut media maximarum virium applicentur quandoque finibus minime expendendis.

## XXXVIII. DE FORTUNA.

NEGARI non potest, quin accidentia et casus externi ad hominum fortunas promovendas, vel deprimendas, plurimum possint. Gratia alicujus ex magnatibus, opportunitas, aliorum obitus, occasio virtuti cujusque congrua. Veruntamen fortunam suam fingere cuique præcipue in manu propria est. *Faber quisque fortunæ suæ*, inquit comicus. Atque inter externas causas illa frequentissima: *Stultitiam unius alterius fortunam promovere*. Nemo enim ita subito evebitur, ac occasione errorum alterius. Ut inquit adagium: *Serpens, nisi serpentem comederit, non fit draco*.

Virtutes apertæ et conspicuæ laudes pariunt: at insunt virtutes quædam occultæ et latentes, quæ pariunt fortunam. Nimirum, facultates nonnullæ se expediendi, quæ nomen non habent. Hispanum vocabulum (*desemboltura*) eas quadam ex parte innuit. Scilicet, cum non inveniuntur in natura alicujus obices aut impedimenta: sed rotæ animi ad motum rotarum fortunæ versatiles sunt. Ita enim Livius (postquam Catonem majorem his verbis descripsisset: *In illo viro tantum robur corporis et animi fuit, ut, quocunque loco natus esset, fortunam sibi facturum videretur*) illud diserte notat, quod ei fuisset *ingenium versatile*. Quare si quis limis et adductis oculis aspiciat, videbit Fortunam: cæca enim licet sit, haud tamen prorsus invisibilis. Etenim via fortunæ similis est galaxiæ in æthere; quæ concursus est, sive coacervatio complurium stellarum minutarum, seorsum invisibilium, sed conjunctim luminosarum. Eodem modo, complurès virtutes sunt exiguæ, et vix in notam incurrentes, sive potius facultates et

consuetudines appositæ, quæ fortunatos reddunt. Itali ex ipsis nonnullas notant; quales quis minime putaret. Cum hominem innuunt, cui prosperam fortunam spondent, inter cæteras ejus qualitates adjicient, quod habeat *poco di matto*. Neque sane inveniuntur aliæ duæ qualitates magis ad hanc propitiæ, quam si quis habeat modicum ex stulto, et non nimium ex honesto. Itaque, quibus patria, aut principes sui, nimio plus chari exstiterunt, iidem nunquam fortunati fuerunt; neque profecto esse possunt. Quando enim cogitationes suas extra se ipsum quis collocaverit, viam suam bene inire nequit.

Fortuna præpropera, magna molientes et nonnihil turbulentos reddit; at fortuna exercita ea est, quæ efficit prudentes et cordatos. Fortuna proculdubio, saltem propter filias suas, honorem meretur; confidentiam scilicet, et existimationem; etenim has duas parit fortuna prospera: alteram intra nos ipsos; alteram in aliis erga nos; æque vicissim pariunt animos et auctoritatem. Viri cuncti prudentes, quo invidiam suarum virtutum amoliantur, omnia providentiæ et fortunæ imputare solent: ita enim decentius et liberius eas sibi assumere possint: quin etiam majestatem homini quandam addit, si videretur Numini curæ esse. Sic Cæsar, dum animaret gubernatorem navis in tempestate, dixit: *Cæsarem portas et fortunam ejus*. Sic Sylla, nomen Felicis elegit, non Magni. Atque illud observationem non præteriit; eos, qui ex professo sapientiæ et artibus propriis nimium tribuerunt, in fine infortunatos evasisse.

Narratur de Timotheo Atheniensi, postquam in reddendis rationibus præfecturæ suæ hanc clausulam ad ravim usque inseruisset: *Atque in hoc nullæ erant fortunæ partes*; deinceps illi nihil cessasse prospere. Sunt certe, quorum fortuna similis carminibus Homeri, quæ majore cum facilitate fluunt, quam aliorum poëtarum versus: id quod Plutarchus de fortuna Timoleontis, ad fortunas Agesilai, aut Epaminondæ, comparata, prædicat. Hoc vero ut fiat, sine dubio in nobis ipsis maxime situm est.



## XXXIX. DE USURA SIVE FÆNORE.

PLURIMI invectivas quasdam ingeniosas in fœneratores commenti sunt. Dicunt; miserum esse, diabolum in Dei partem involasse, decimas scilicet. Fœneratorem maximum esse sabbathi violatorem; aratrum siquidem suum non cessare sabbathis. Fœneratorem fucum esse, de quo Virgilius:

*Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.*

Fœneratorem, legem primitivam, post lapsum hominis latam, pessundare: quæ fuit, *In sudore vultus tui comedes panem tuum*; minime vero, in sudore vultus alieni. Fœneratores pileis luteis indui oportere, quia judaizant. Rem esse contra naturam, ut pecunia generaret pecuniam; et hujusmodi alia. Ego vero hoc dico tantum: *Fœnus esse inter concessa propter duritiam cordis*. Cum enim necesse sit hominibus ut pecunias mutuo dent et accipiant; sintque tam duro corde, ut eas gratis commodare nolint; reliquum est ut permittantur usuræ. Alii nonnulli in medium adduxerunt callidas quasdam et suspectas propositiones de argentariis, et excambiis publicis, detectione fortunarum hominum singulorum, et aliis hujusmodi artificiis. Verum pauci de fœnore disseruerunt solide et utiliter. Optimum fuerit proponere nobis ante oculos fœnoris commoda et incommoda; ut bonum vel ponderetur, vel separetur; quinetiam cavere inprimis ne, dum fœnore feramur in melius, interceptiamur et incidamus in pejus.

Incommoda fœnoris hæc sunt. Primum, quod mercatorum numerum minuit. Nam si iguava hæc pecuniæ in fœnus erogatio e medio tolleretur, nummi non delitescerent præ socordia, sed magna ex parte in mercaturam impenderentur; quæ instar venæ portæ cuivis regno est ad opes introducendas. Secundum, quod mercatores inopes reddit: sicut enim colonus terram colere ita fructuose nequit, si redditum solvat nimis gravem; ita mercator tam commode et lucrose mercaturam suam exercere vix potest, si pecuniis fœnore

sumptis negotietur. Tertium incommodum duorum priorum appendix quædam est, porteriorum et vectigalium publicorum imminutio, quæ fluunt et refluent pro modo commercii. Quartum, quod thesaurum et pecunias regni, sive reipublicæ, in paucorum manus reducit: cum enim fœneratoris lucrum certum sit, cæterorum incertum, eveniet in fine ludi, prout fit sæpe in alea, ut maxima pars pecuniæ promo cedat. Illud autem pro inconcusso tenendum, florere rempublicam imprimis, cum pecuniæ dispergantur, non coacerventur. Quintum, quod terræ et prædiorum pretium deprimit: etenim pecuniæ insumuntur, vel in mercaturam, vel in prædiorum coëmptiones: fœnus autem utrique obviare videtur. Sextum, quod omnes labores, molimina, et inventa nova quæcunque enervat et hebetat; in quibus pecunia minime sibi deesset, nisi a torpedine ista impediretur. Postremum, quod tinea est et teredo facultatum quam plurimorum hominum; id quod tractu temporis egestatem publicam parit.

E contrario, commoda fœnoris hæc sunt. Primo, quod, utcunque usuræ in aliquibus mercaturæ noceant, in aliis nihilominus prosunt: certissimum enim est, maximam mercaturæ partem a junioribus mercatoribus exerceri, fœnore sumptis pecuniis; unde si fœnerator pecunias suas vel exigat, vel non emittat, secutura necessario est magna mercaturæ clades. Secundum est, quod, nisi prompta hæc a fœneratoribus pecuniarum mutuatio hominum necessitatibus subveniret, in extremas angustias cito redigerentur; quandoquidem cogentur res suas (sive bona mobilia fuerint, sive prædia) nimis vili pretio vendere: itaque, ubi fœnus rodit tantum, distractiones præproperæ penitus absorberent. Nam quantum ad oppignerationes, aut ea, quæ a jureconsultis appellantur mortua vadia, huic certe malo remedium vix exhibebunt: siquidem aut ea prorsus non accipient homines sine fœnore; aut si accipiant, solutione ad diem minime præstita, summo jure agent. Memini pecuniosum quendam, virum durum, rure agentem, qui solebat dicere: *In malam crucem abeat ista fœneratio; impedimento est, quo minus pignorum et*

*obligationum pœnas exigere possimus.* Tertium et ultimum hoc est: nugas meras dico, si quis existimet mutuacionem pecuniarum facilem, non admisso fœnore, fieri posse: neque rursus quis animo comprehenderit innumera quæ sequentur mala, si contractus illi mutui dati et accepti convellantur. Itaque de abolendis prorsus usuris sermones facere ineptum foret. Respublicæ omnes, pro diversa tamen ad sortem ratione, eas tolerarunt; adeo ut opinio illa in Utopiam protinus releganda.

Dicamus jam de reformatione et norma usurarum. Quibus nimirum modis incommoda earum optime evitentur, commoda retineantur. Patet jam, conferendo inter se commoda et incommoda usurarum (quod modo fecimus) duo esse, quæ reconciliare oportet. Prius, ut retundantur dentes fœnoris, ne nimium mordeat: secundum, ut viris pecuniosis aperiatur via, qua ad pecunias mercatoribus præstandum invitentur, ne commercium intercيدات aut languescat. Hoc autem fieri non potest, nisi in fœnore duas proportiones introducas; minorem et majorem. Si enim fœnus ad unicam tantum proportionem eamque minorem redigas, mutuo accipientem aliquantulum levabis, sed mercator pecunias non facile reperiet. Atque insuper notandum est, mercaturam, cum sit omnium maxime lucrosa, fœnus ad proportionem bene magnam ferre posse; alios contractus minime.

Ut his duabus intentionibus satisfiat, hac via insistere licet. Duæ sunt fœnoris proportiones: prior omnibus permittatur; posterior cum licentia, aliquibus tantum hominibus, et in aliquibus reipublicæ locis ubi mercatura fervet, concedatur. Primo igitur (si nos audias) reducatur fœnus ad partem vicesimam sortis pro mutuacione in annum: ea proportio edicto promulgetur ut libera sit omnibus. Pro ea accipienda princeps, sive respublica, mulctæ omni renunciēt. Hoc ab obstructione aliqua generali, aut difficultate majore, mutuacionem conservabit. Hoc innumeris mutuatoribus, ruri et alibi degentibus, solamini erit. Hoc magna ex parte prædiorum pretia adaugebit. Quandoquidem annuus valor prædiorum, hic apud nos in Anglia, excedet illam

fœnoris ad hanc proportionem redacti, quantum annuus valor sex librarum excedit illum quinque tantum. Hoc denique industrias hominum ad utilia et lucrosa inventa acuet et excitabit: eo quod plurimi hujusmodi inventis potius se dedent, quam lucro tam exili, quale diximus, ex usuris acquiescere; præsertim cum lucro jampridem majori ex iisdem assuevissent. Secundo, certis quibusdam hominibus commodandi mercatoribus notis, et non aliis quibuscunque hominibus, licentia concedatur: Hoc autem fiat, additis cautionibus quæ sequuntur. Sic proportio (etiam hæc de qua loquimur) illa paulo remissior, quam antea solvere solebant: hoc pacto, universi, tam mercatores, quam alii, reformatione hac recreabuntur. Princeps autem, sive respublica, exiguam aliquam summam percipiat, pro licentiis singulis; reliquum lucri fœneratori cedat. Si enim lucrum fœneratoris leviter tantum minuatur, eum nullo modo a fœnore exercendo deterrebit: exempli gratia; si quis antea decem aut novem libras, pro sorte centum librarum, quotannis accipere solebat; is etiam octo potius libris contentus erit, quam fœnerationem exuet, aut certa cum incertis commutabit. Sint isti, quibus licentia scilicet conceditur, numero minime definiti; sed tamen ad urbes aliquas, et oppida quæ mercatura florent, restringantur: ita enim, prætextu licentiarum, opportunitatem non habebunt pecunias aliorum pro suis commodandi; nec novem aut octo librarum proportio, licentia munita, generalem illam quinque librarum absorbebit: nemo siquidem pecunias suas procul a se mittere, aut in manus ignotas concredere, præoptabit.

#### XL. DE JUVENTUTE ET SENECTUTE.

JUVENIS annis poterit esse senex horis, si temporis jacturam non fecerit. Sed hoc raro contingit. Generaliter, juvenus similis est primis cogitationibus, quæ secundis sapientia cedunt. Etenim inest cogitationibus juvenus quædam non minus, quam ætatibus. Attamen inventio juvenum vivacior est, quam senum: atque imaginationes in mentes eorum illabuntur melius, et veluti divinius. Ingenia præfervida, et quæ cupidi-

tatibus violentis ac perturbationibus huc illuc impelluntur, non matura fiunt ad res gerendas, donec meridiem ætatis suæ attigerint. Ut videre est in Julio Cæsare et Septimio Severo. De quorum posteriore dictum est: *Juventutem egit erroribus, imo furoribus, plenam*: qui tamen in serie imperatorum universa fuit propemodum celeberrimus. Sed ingenia sedata et composita etiam in juventute florere possint. Cujus rei exempla cernuntur, in Augusto Cæsare, Cosmo duce Florentiæ, Gastono de Foix, et aliis nonnullis. Ex altera parte, calor et vivacitas, si in senectute inveniantur, temperamentum optimum constituunt ad negotia. Juvenes ad invenendum magis idonei sunt, quam ad judicandum; et executione potius, quam consiliis validi; et ad negotia nova melius adhibentur, quam ad consueta. Etenim experientia senum in iis, quæ sub experientia eorum cadunt, eos dirigit; sed in rebus novis eos seducit. Errores juvenum negotia sæpenumero pessundant; verum errores senum non ultra fere procedunt, nisi ut plus fieri potuisset, aut citius. Juvenes in rebus gerendis et tractandis majora amplectuntur, quam comprehendere valeant; plura movent, quam componere rursus sciunt; ad fines advolant gradibus et mediis non bene pensitatis; præcepta quædam absurde persequuntur, in quæ casu inciderunt; extrema remedia a principio usque tentant; denique, quod errores conduplicat, errores agnoscere aut revocare detrectant: similes equis male domitis, quæ nec se sistere nec vertere volunt. Senes plus satis objiciunt; in consultationibus nimium morantur; pericula plusquam expedit reformidant; pœnitentia præproperea vacillant; atque negotia raro admodum ad periodum justam deducunt; sat putantes, mediocritate quadam successus frui. Bonum certe fuerit in negotiis mixturam adhibere et senum et juvenum: illud enim in præsens utile erit, ut virtutes utriusque ætatis defectus earum corrigant; utile etiam futuro, ut juvenes perdiscant dum senes moderentur; postremo accidentia externa melius compescit, quia senes auctoritate, juvenes gratia et popularitate, pollent. At in moralibus juvenus fortasse primas tenebit, ut senectus in politicis. Ex

Rabbinis quispiam, super textum illum (*Juvenes vestri videbunt visiones, et senes vestri somniabunt somnia*) sic infert; quod juvenes propiore ad se aditu Deus dignatur, quam senes: quia visio revelatio clarior et manifestior est, quam somnium. Et sane, quanto quis magis de mundo bibit, tanto plus toxico ejus inficitur: tum senectus, potius in facultatibus intellectus, quam in virtutibus voluntatis et affectuum, proficit. Sunt, qui in juventute admodum præcoces sunt, sed currentibus annis cito marcescunt, et deveniunt evanidi. Tales sunt, primo, qui ingenia nacti sunt fragilia, quorum acies facile retunditur: qualis fuit Hermogenes rhetor; cujus libri subtilissimi sunt; verum ipse paulo post stupidus evasit. Secundum genus eorum, quibus naturales quædam facultates insunt, quæ magis juventutem decent, quam senectutem; qualis est oratio fluens et luxuriosa; quæ in juvene laudatur; in sene non item. Ita Cicero loquitur de Hortensio: *Idem manebat, neque idem decebat*. Tertium eorum, qui sub initiis nimium efferuntur; et magnanimitate præditi sunt, supra quam ætas provecior ferre valeat: qualis fuit Scipio Africanus, de quo Livius ita prædicat: *Ultima primis cedebant*.

#### XLI. DE PULCHRITUDINE.

VIRTUS, instar gemmæ pretiosæ, optima est sine ornamentis inserta. Atque profecto eadem præstat in corpore decoro, licet non delicato; quodque aspectus dignitatem potius præ se ferat, quam pulchritudinem. Neque fere reperies eximie formosos virtutibus pollere: acsi natura in hoc magis incubuisset, ut non turpiter erraret, quam ut aliquid excellens produceret. Itaque conversationibus apti sunt, at excelsos spiritus non gerunt: et urbanitati potius student, quam virtuti. Sed hoc in omnibus non tenet. Siquidem Augustus Cæsar; Titus Vespasianus, Philippus Pulcher rex Gallus, Edwardus Quartus rex Angliæ, Alcibiades Atheniensis, Ismaël Persa, viri prorsus magni fuerunt; et nihilominus perpulchri.

In pulchritudine præfertur venustas colori; et deco-

rus ac graciosus oris et corporis motus ipsi venustati. Ea præcipua pulchritudinis portio, quam pictura repræsentare non potest; imo nec effigies ipsa viva, primo aspectu. Non reperitur pulchritudo aliqua excellens, cui non insit aliquid minus conforme in compagine. Haud facile quis dixerit, utrum Apelles, aut Albertus Durerus, nugator major fuerit; quorum alter hominem secundum proportionem geometricas effingere voluit; alter, ex compluribus faciebus, optimas quasque partes desumendo, unam satagebat depingere excellentem. Tales (credo) effigies vix ulli placebunt, præterquam pictori ipsi. Non quin existimeni elegantio rem faciem depingi a pictore posse quam unquam in vivis fuit; sed hoc ei contingere oportet ex felicitate quadam et casu (veluti musicis sui cantus) non autem ex regulis artis. Videre est facies nonnullas, quarum partes singulæ examini si subjiciantur, vix unam reperies quam separatim probes: quæ tamen in consortio satis placent. Quod si verum sit, pulchritudinem præcipuam sitam esse in motu decoro, mirum sane non est si proveciores ætate aliquando videantur junioribus amabiliores: secundum illud Euripidis: *Pulchrorum autumnus pulcher*: etenim fieri non potest, ut juvenis per omnia decus tueatur, nisi forte juventutem ipsam ad supplementum decoris assumas. Pulchritudo est instar fructus horarii, qui facile corrumpitur; nec diu durat; atque sæpe juventutem inducit dissolutam, senectutem autem sero pœnitentem: attamen si bene collocetur, virtutes splendere facit, vitia erubescere.

## XLII. DE DEFORMITATE.

DEFORMES naturam fere ulciscuntur: sicut enim natura minus illis propitia fuit, ita et illi naturæ vicissim adversi; cum sint plerique ipsorum (ut loquitur Scriptura) *sine affectione naturali*. Est proculdubio consensus inter animam et corpus; atque natura, ubi peccat in uno, periclitatur in altero. Sed quia in fabrica animæ conceditur homini electio, in fabrica corporis imponitur necessitas; astra inclinationis naturalis obscurantur nonnunquam a sole virtutis et disciplinæ.

Consentaneum itaque fuerit de deformitate dicere, non ut signo, quod quandoque fallit; sed ut causa, quæ per raro effectu destituitur. Quicumque in persona sua aliquid habet, quod contemptum inducit, perpetuum habet in se stimulum, quo a contemptu se vindicet: itaque deformes semper audacissimi; in principio, veluti in defensione sua, utpote qui contemptui exponuntur; sed processu temporis, ex habitu acquisito. Iterum deformitas industriam acuit; ejus generis industriam, ut aliorum defectus et infirmitates sedulo rimentur, unde habeant quod rependant. Præterea in potentioribus suspiciones et zelotypiam versus eos exstinguit; veluti homines, quos tuto despiciere liceat: competitores autem et æmulos consopit; utpote nihil suspicantes de promotione eorum ad honores, donec ipsos in possessione honorum videant. Adeo ut, si rem diligenter introspicias, in magnis ingeniis deformitas ascensum ad honores patefaciat. Reges, antiquis temporibus (atque hodie etiam in imperiis nonnullis) eunuchorum fidei magnopere inniti solebant: qui enim erga omnes invidi sunt, uni magis fidi sunt et obnoxii. Attamen fidem illis adhibebant, potius ut rimatoribus bonis et susurronibus, quam aut magistratibus aut ministris publicis. Similis etiam est ratio deformium. Manet illa regula, quam antea posuimus: deformes, si animosi sint, a derisu et ignominia liberare se gnaviter contendunt: quod fieri non potest, nisi aut per virtutem, aut per malitiam. Itaque nil mirum cuiquam videatur, si quandoque in viro egregios evadant; qualis fuit Agesilaus, Zangerus Solymani filius, Æsopus, Gasca Peruviae præfectus; quin et Socrates illus annumerari possit; cum aliis.

### XLIII. DE ÆDIFICIIS.

ÆDES exstruuntur ut in iis habitemus, non ut eas spectemus: pulchritudini igitur præponatur usus, nisi forte utrunque obtineri possit. Relinquamus fabricas ædium speciosas, quæ admirationem incutiunt, palatiis poëtarum incantatis; qui eas exstruunt sumptu parvo. Qui domum elegantem ædificat, sed in situ malo, carceri seipsum mandat. Situm autem malum intelligo,



non tantum ubi aër insalubris, sed etiam ubi aër inæqualis est: quales sunt aedes, quæ exstruuntur quidem in colliculo paululum elevato, sed cincto undique, more theatri, collibus altioribus; ubi ardor solis constringitur, venti autem, veluti in canalibus, variis aëstibus reciprocantur: adeo ut in hujusmodi situ subito sentias diversitatem non minorem, caloris et frigoris, quam si in locis diversis habitares. Neque malum situm facit aëris solummodo conditio prava; verum etiam viarum et adituum incommoditas; fora rerum venalium indiga; et (si Momum consulas) vicini mali. De compluribus aliis non loquor; qualia sunt: aquarum absentia; sylvarum defectus, quæ et focum et umbram præbeant; sterilitas soli, aut quod ex variis glebarum generibus minime commistum sit; prospectus coaretatus; defectus terræ planæ et æquabilis; locorum defectus in propinquo, qui venationibus, aucupiis, cursibus equorum, idonei sint; mare nimis in vicino, aut nimis in remoto; commoditas nulla fluviorum navigabilium, aut etiam incommoditas ipsorum ob inundationes; situs remotior ab urbibus magnis, quod negotiis obest, aut etiam propinquior, quod victui necessaria absorbet, et omnia cara reddit; locus ubi quis latifundia ampla possideat, aut acquirere possit, et locus contra ubi pennas extendere nequeat: quæ singula minime eo animo enumeramus, acsi domus aliqua his incommodis omnibus vacare possit, verum ut tot ex illis evitemus, quot evitari concedatur; atque rursus si quis domos plures ædificet, ita rem disponat, ut quæ in una desint commoditates, adsint in altera. Responsum Luculli Pompeio bellulum erat: qui, cum in palatio Luculli immensas et luminosas porticus et cameras conspexisset, sic inquit: *Optime proculdubio hic habitatur æstate, sed quomodo hiemem toleras? Cui Lucullus: Quid, numnam me putas avium prudentiam non assequi; quarum nonnullæ, hieme ingruente, sedes mutant?*

Transeundum jam a situ domus ad domum ipsam. Imitabimur Ciceronem; qui libros conscripsit *De Oratore*, et librum unicum qui inscribitur *Orator*; quorum priores præcepta artis tradunt, posterior perfectionem. Describemus igitur palatium regium, atque ejusdem modulum quendam conficiemus. Prorsus enim mira-

bilis res est, tam vastas hodie existere moles in Europa, quales sunt Vaticanum et Escuriale, et nonnullæ aliæ; in quibus tamen cameram aliquam vere magnificam vix reperies.

Primum igitur statuo, palatium perfectum ne utquam esse, nisi duas habeat portiones diversas; portionem convivii, ut loquitur liber *Hester*; et portionem mansionis sive familiæ: alteram ad pompas, magnificentias, et celebritates; alteram ad habitationis usum. Intellego, portiones istas duas exstrui debere, non ut latera domus, sed ut frontis ipsius partes; easque exterius uniformes esse, licet interius longe diversas. Conjungi autem volumus portiones istas per turrinam sublimem et splendidam in medio frontis. Atque quoad portionem convivii, unicam tantum illic cameram poni velim; eamque supra gradus quinquaginta pedes ad minus altam; et subter eam cameram item alteram similis longitudinis et latitudinis; quæ apparatus et instructionem ad festa, ludos, et ejusmodi magnificentias; actores etiam dum se ornent et parent, commode recipiat. Alteram portionem, mansionis scilicet, dividi velim præcipue in aulam et sacellum, utramque amplam et pulchram: eas vero per universam portionis longitudinem extendi nolim; sed relinqui in exitu cœnacula duo, hiemale et æstivale: atque subter hæc omnia (excepto sacello) cellas amplas subterraneas collocari volo; quæ culinæ privatis, promptuariis, panariis, et similibus, inserviant. Quantum ad turrinam; eam elevari volo usque ad duo tabulata; utrunque quindecim pedes altum, supra duas alas frontis; coopertam plumbo æquabili, atque staturis per fulcra laterum in summitate decoratam: eandem turrinam in cubacula distingui volo. Gradus autem turris apertos esse, et in se revertentes, et per senos subinde divisos; utrinque staturis ligneis inauratis vel saltem ænei coloris cinctos; cum statione spatiosa et lata in vertice. Verum cavendum ne locus, ubi famuli comedant, sit ad imum gradum vel prope: si enim sit, ciborum nidor ascendet tanquam in tubo quodam. Et de fronte ædificii hactenus. Tantum intellego gradus primos ascensus ad viginti pedes sustolli debere; altitudinem scilicet tabulati inferioris.

Ultra frontem ædificii, aream spatiosam designo, cujus latera tria sint, ipsa ædium fronte haud paulum humiliora; atque in quatuor angulis ejusdem areæ turres exstruantur, altitudinem laterum prædictorum nonnihil superantes ad gradus, quibus in superiora ascendatur, capiendos: quæ turres non recipiantur in planum ædificii; sed extra promineant. Area autem integra lapidibus latis quadrangulis minime substernatur; nam hujusmodi pavimenta calorem molestum æstate, et similiter frigus asperum hieme, immittunt; sed habeat ambulacra ex ejusmodi lapidibus per latera tantum ædificii; et formam crucis ex iisdem in medio; cum quadris interpositis, quæ gramine vestiuntur, detonso quidem, sed non nimis prope terram. Latus universum areæ, ex parte convivii, occupent spatiosæ et speciosæ porticus. In quibus singulis porticibus sint in laquearibus tres aut quinque sphaeræ concavæ (cupolas vocant) pulchræ, in longitudine positæ, ad æqualem distantiam: sint quoque fenestræ ex vitro colorato, ubi pingantur columnæ, imagines omnigenæ, flores, et similia. At latus ex parte familiæ, simul cum latere tertio e regione frontis, complectatur cameras præsentiales, et alias usus ac decoris ordinarii; atque rursus cubicula: sintque etiam tria ista latera ita exstructa, ut exhibeant ædificium duplex; non translucida, sed ex altera tantum parte fenestrata; ut tam matutinis, quam vespertinis temporibus, præsto sint cameræ, in quas sol non intret. Accommodentur etiam eo modo, ut habeantur ibi cubicula et cameræ tam æstivales ad refrigerium, quam hiemales ad frigus arcendum. Invenies non raro ædes pulchras, sed tamen ita vitro et fenestris repletas, ut vix locum suppeditent, ubi te recipias aut ad solem, aut ad frigus, evitandum. Quantum ad fenestras prominentes sive arcuatas, eas probo tanquam res commodas (urbibus sane fenestræ ad planum ædificii, et minime protuberantes, magis conveniunt; propter uniformitatem structuræ plateas versus) sunt enim receptus colloquiis opportuni: atque insuper tam ventum, quam solem, summovent; quod enim alias per totam fere cameram pertransisset, vix ultra fenestram penetrabit. Raræ tamen sint hujusmodi fenestræ

arcuatæ, non ultra quatuor; duæ scilicet ex utroque latere areæ.

Ultra hanc, quam diximus, aream sit alia interior paris et amplitudinis et altitudinis; horto per exterius circumcincta; interius autem ambulacris pulchris arcuatis, usque ad primum tabulatum, circumdata. Pars autem exterior solarii inferioris versus hortum, quatenus ad duo latera, convertatur in specum sive cavernam (grottam moderni vocant) ad umbram et æstivationem, apertam aut fenestratam tantum ex parte horti: sit autem caverna illa solo æqua, non omnino depressa; et eleganti pavimento strata ad terræ vapores excludendos. Erigatur autem in medio istius areæ fons splendidus; aut opus aliquod ex statu magnifico: pavimento autem simile sit areæ illi antedictæ. Hujus areæ ædificia ex utroque latere destinentur cameris et conclavibus secretioribus; latus autem transversum, porticibus etiam secretioribus. Curaudum vero ut aliquæ tam ex cameris et conclavibus, quam ex porticibus, designentur ad usum infirmorum; si forte princeps, aut quivis e grandioribus, ægrotaverit. Habeant autem portiones singulæ ægris destinatæ (ut moderni loquuntur) antecameram, cameram ad cubile, et recameram. Hæc autem, quæ diximus, supra secundum solarium collocentur. At latus transversum solarii inferioris versus hortum convertatur in porticum speciosam, patentem, et columnis fultam. Rursus, supra solarium tertium, ex omnibus tribus lateribus, statuatur porticus elegantes, columnares, et apertæ ad prospectum et refrigerium horti excipiendum. Verum ad angulos duos lateris transversi in solario secundo accommodentur et ornentur duo splendida et delicata conclavia (cabinetos moderni vocant) pavimento nitente, aulæis sumptuosis instructa, vitro crystallino fenestrata, cum cupola elegante in medio. Sint autem conclavia illa rebus curiosis omnigenis, et spectatu dignis, referta. In supremis quoque porticibus (si fieri posset) optarem collocari, juxta parietes, in locis diversis fonticulos quosdam aquam emittentes; qui per secretos tubos iterum transeant. Interior autem pars in solario superiore versus aream formetur in porticus et ambulacra bene

munita et obducta ad usum convalescentium. Atque hactenus de modulo palatii ipsius: nam de balneis et piscinis non loquor. Superest tamen, ut antequam ad frontem ædium pervenias, collocentur aræ tres; area viridis, gramine vestita, cum pariete in circuitu, et juxta parietem arboribus, ordine positis, sata; area altera, ejusdem amplitudinis, sed in pariete cujus sint turriculæ exstructæ, aut simile quid ejusmodi elegantia: area item tertia, quæ cum fronte ipsa ædium quadrangulum constituat, quam ædificio certe aliquo circumdatam nolo; neque rursus nudis parietibus cinctam; sed ambulacris supra columnas, non arcus, erectis; in summitate vero plumbo, vel lapide quadrato, coopertis, et ad latera elegantibus statuis parvis, ænei coloris, munitis, clausam. Quatenus vero ad ædificia omnia, quæ usibus familiaribus inserviunt, summoveantur illa ad aliquam distantiam a palatio ipso; ita tamen ut interponantur porticus humiliores et obtectæ, intra quas ad palatium transire possis.

#### XLIV. DE HORTIS.

DEUS ipse primus plantavit hortum. Atque revera intersolatia humana illud horti est purissimum. Etenim spiritus hominum maxime reficit et oblectat; quo sine, ædificia et palatia manus tantum sunt opera, nec sapiunt naturam. Quinetiam notabis secula, cum proficiunt in cultura et magnificentia, citius pervenire ad ædificiorum pulchritudinem, quam ad hortorum elegantiam et amœnitatem; quasi elegantia illa hortorum esset res perfectior.

Statuo, in hortis regalibus assignari oportere hortos pro singulis anni mensibus: in quibus, separatim, plantæ, quæ illo mense florent et vigent, producantur. Pro Decembri, Januario, et fine Novembris, eligendæ sunt plantæ, quæ per totam hiemem virescunt; quales sunt: aquifolia; hederæ; laurus; juniperus; cupressus; taxus; buxus; pinus; abies; rosmarinus; lavendula; pervinca, flore albo, purpureo, et cæruleo; chamædrydys; irides quoad folia; aurantia, limones, et myr-

tus, si calidariis conserventur; et amaracus juxta parietem et versus solem satus. Sequenter pro fine Januarii et Februarii: arbustum chamælææ germanicæ sive mezereonis, quæ eo tempore floret; crocus vernus, flore luteo et glauco; primulæ veris; anemones; tulipa præcox; hyacinthus orientalis; chamæiris; fritellaria. Pro Martio: omne genus violarum, præcipue purpureæ simplici flore, quæ sunt præcocissimæ; pseudonarcissus luteus; bellis; amygdalus, quæ tunc floret; malus persica, et cornus, quæ etiam tunc florent; rubus odoratus. Pro Aprili; viola flore albo multiplice; parietaria lutea; leucoium; herba paralysis; irides, et lilia omnigena; flores roris marini; tulipa; pæonia, flore multiplici; narcissus verus; periclymenum sabaudicum; cerasus, et pirus, et prunus diversi generis in flore; acanthus, quæ tum folia emittit; arbor lelac. Pro Maio et Junio: camæ-caryophylla omnium generum, præcipue virginea; omne genus rosarum, moschata sola excepta, quæ serius floret; periclymenum commune; fraga; buglossum; columbina; flos africanus, simplex et multiplex; cerasus, quæ tum fructum profert; ribes; ficus in fructu; baccæ rubi idæi; vitis flores; lavendula florens; satyrium hortense flore albo; herba muscaria; lilium convallium; malus florens; flos cyaneus. Pro Julio: caryophyllata omnium generum; rosa moschata; tilia florens; pyra, et poma, et pruna præcocia. Pro Augusto: pruna omnium generum; pyra; mala armeniaca; baccæ oxyacanthæ; nuces avellanæ; melones moschatellini; et omnigeni coloris delphinium, sive consolida regalis. Pro Septembri: uvæ; poma; papaver variorum colorum; mala persica; melo-cotonea; nectarinæ; corna; pyra hiemalia; cydonea. Pro Octobri, et principio Novembris: sorba; mespila; pruna sylvestria; rosæ seræ; malvæ arborescentes flore roseo; et similia. Hæ vero, quas enumeravimus, plantæ climati Londinensi convenient. Sed hoc volo, ut sit alicubi quasi ver perpetuum, prout fert loci conditio.

Quoniam autem odor florum, spirans in aëre (ubi undulat more modulationis musicæ) gratior multo est, quam si eos decerpas manu, ideo nihil magis confert ad

delectationem illam, quæ ex odore florum percipitur, quam nosse eos flores et plantas, quæ adhuc crescentes, nec avulsæ, maxime emittunt auras suaves, et aërem odore perfundunt. Rosæ tam pallidæ, quam rubeæ, dum crescunt, odoris sui sunt tenaces, nec aërem tingunt; adeo ut juxta sepem earum ambulans, nihil odoris percipies, etiamsi hoc experiaris tempore roris matutini. Laurus itidem dum crescit, odoris parum emittit: neque etiam rosmarinus aut amaracus. Id, quod ante omnia suavissimo odore aërem (crescens) imbuit, est viola; præcipue alba, flore multiplici, quæ bis quotannis floret; medio Aprilis, et sub finem Augusti. Ei proxime accedit rosa moschata: tum folia fragariæ marcescentis, quæ halitum emittunt plane cardiacum: tum flores vitis, qui apparent in racemis noviter protrusis ad instar pulveris, qualis est in caule plantaginis: tum rubus odoratus: tum parietaria lutea, quæ gratissimum edit odorem, sata juxta fenestras conclavis, aut cubiculi in imo solario siti: tum caryophyllatæ tam minores quam majores: tum flores tiliæ: tum periclymeni flores, emius locati: tum flores lavendulæ. De floribus fabæ non loquor, quoniam campestres sunt. At ea, quæ aërem jucundissimo odore perfundunt, sed non nisi calcata aut contusa, sunt tria: pimpinella, serpillum, et mentha aquatica. Itaque ambulacra integra his sunt conserenda, ut odorem eorum calcando exprimas.

Horti contentum (loquor autem de hortis regiis, sicut feci de ædificiis haud minus triginta jugerum esse debet: atque illud in tres partes dividi convenit: graminetum in introitu; fruticetum sive eremum in exitu; et hortum præcipuum in medio: præter ambulacra utrinque ad latera. Mihi quidem placet, quatuor jugera gramineto assignari; sex fruticeto; bis quatuor ad ambulacra ad latera: et horto præcipuo duodecim. Oblectamentum ex gramineto duplex est: primum quidem oculis, quibus nihil jucundius est, quam gramen subinde tonsum, et virescens: alterum, quoniam in medio orbita purganda est, qua iri possit versus frontispicium sepis magnificæ, quæ hortum præci-

puum includat. At quoniam orbita ista longa erit, neque in magnis ardoribus anni, aut diei, umbra horti enenda est ambulatione per graminetum exposito sole; ideo ambulacra obtecta, duodecim pedes alta, ex opere lignario, utrinque ad latera gramineti exstruenda sunt, per quæ hortum introire possis in umbra continua. Quantum autem ad schemata et figuras, ex varii coloris terra distinctas, quæ subiaceant fenestris ædificii, nugæ plane sunt. Sæpius videas in placentis talia. Figura quadrata horto optime convenit; quam undique sepi pulcherrima et arcuata claudi oportet. Arcus extollantur supra columnas ex opere lignario pedes decem alti, lati sex: spatia autem inter columnas ejusdem dimensionis sint cum latitudine arcus. Supra arcus sit sepes continuata pedes quatuor alta, ex opere itidem lignario; et hanc supra sit turricula in summitate arcus cujusque exstructa, cujus interior capacitas sufficiat avicularum caveæ excipiendæ. Et supra interstitia arcuum collocentur aliæ aliquæ figuræ inauratæ, continentes lamellas vitri colorati, quibus varie ludant radii solares. Hanc autem sepem intelligo supra aggerem, haud præcipitem quidem, sed mediocriter declivem, sex pedes altum totum floribus consitum, erigendam esse. Intelligo etiam ut hæc quadra horti non totam soli latitudinem occupet, sed satis spatii, variis ambulacris conficiendis utrinque ad latera relinquat; in quæ obtecta illa gramineti ambulacra, de quibus diximus, deducant. Verum ad introitum et exitum horti, hujusmodi ambulacra cum sepibus omnino omittenda sunt: in introitu quidem ne conspectum amœnæ illius sepis a gramineto impediat; in exitu autem ne prospectum fruticeti per arcus intercipiat.

Dispositionem soli intra claustrum sepis variandam ad placitum relinquo; hoc interim monens, ut, quæcunque ea tandem sit, nimis curiosa et operosa ne sit. Imagines excisas ex junipero, vel alia materia hortensi, non probo: puerilia sunt ista. Humiles sepiculæ rotundæ, instar fimbriarum, cum pyramidibus parvulis, placent. Columnas etiam, et pyramides altas ex opere lignario, in aliquibus locis sparsas, sepibus vestitas,



recipio. Ambulacra ampla et spatiosa esse volo. Ambulacra angustiora et obtectora ad latera summovenda sunt, ne utiquam vero in pomærio horti præcipui collocanda. Consulerem etiam, ut in medio horti sit monticellus pulcher, cum tribus ascensus ordinibus, et tribus ambulacris ejus latitudinis, ut quatuor una ambulare possint. Et hæc insuper ambulacra perfecte circularia esse suadeo, absque figuris propugnaculorum. Altitudo autem monticelli triginta pedum esto: atque in vertice domicellus elegans exstruatur, cum caminis venuste ordinatis, et absque multo vitro.

Fontes quod attinet, magno sunt illi ornamento et refrigerio: sed stagna et piscinæ exulent: hortum enim insalubrem reddunt et scatentem muscis, ranis, et similibus. Fontes duorum generum intelligo; unum, qui aquam salientem verset et dispergat cum crateribus suis; alterum nitidum aquæ puræ receptaculum, quadratum, pedum triginta vel quadraginta, illime sine cœno aut piscibus. Quoad primum, imagines inauratæ aut marmoreæ, quæ in usu sunt, ornamento esse recte possunt. Sed in eo genere cardo rei est, ita aquam regere, ut perpetuo fluat; nec consistat, aut in cratere, aut in cisterna; ita ut quiete non sit decolor, versa aut in viridem, aut rubrum, aut hujusmodi; neque muscum colligat, aut putredinem. Etiam manu purganda est quotidie, ut maneat limpida. Itidem, gradus aliqui ascensus ad fontem, et pavementum circa eum elegans, decori sunt. Illud alterum fontis genus, quod balneum sive lavacrum dici potest, multum ornatus et curiositatis recipere potest; quibus non immoramur. Veluti: ut fundum sit imaginibus decoratum, latera quoque; simul hinc inde vitro variorum colorum, et hujusmodi corporibus politis et radiantibus splendens; circumdatum etiam clausura humilium statuarum. Sed maximum est illud: cujus in priore genere fontium mentionem fecimus; nimirum, ut aqua sit in perpetuo motu; aqua scilicet, quæ balneo superior sit, nutrita; per canales venustos inducta; et rursus per tubos subter terram æqualis dimensionis, ne aqua diutius consistat, educta. Verum quoad curiosas inventiones, arcuandi aquas

sine earum effusione: et eas effingendi in varias formas (plumarum, poculorum vitreorum, conopæorum, campanarum, et similibus) etiam rupes artificiosas et hujusmodi; sunt illa quidem spectatu jucunda, sed nihil ad salubritatem, aut suavitatem.

Fruticetum autem, quod tertiam totius horti partem posuimus, velim ut ad similitudinem naturalis deserti prope accedat. Arborea in illo plantari nolo; nisi quod in aliquibus locis erigi præcipio arborum series, quæ in vertice ambulacra contineant, ramis arborum cooperta, cum fenestris. Subjaceat autem pars soli, floribus odoris suavis abunde consita, qui auras in superius exhalent; alias fruticetum apertum esse sine arboribus velim. Dumeta tamen spargi placet ex rubo odorato, periclymeno, et vite sylvestri: terram autem ubique consitam volo, violis, fragis præcipue, et primulis veris. Hæ enim plantæ jucundum spirant odorem, et in umbra feliciter crescunt. Dumeta autem, et ambulacra super arborea, spargi volumus ad placitum, non ordine aliquo collocari. Probo etiam cumulos parvos, instar eorum quos talpæ erigunt (quales in ericetis campestribus esse solent) alios serpilli, caryophyllatis minoribus alios, alios chamædri quæ florem præbet pulchrum, alios pervinca, alios violis, fragis alios, floribus paralysis alios, bellidibus alios, alios rosis rubris, alios liliis convallium, alios armeriis rubris, alios helleboro flore purpureo, et floribus similibus suavibus et bellis, consitos. Pars etiam cumulorum habeat in vertice frutices; hæ sint; rosa; juniperus; aquifolia; oxyacantha (sed hæc rarior propter odoris gravitatem dum floret) ribesii baccis rubris; uva crispa; rosmarinus; laurus; rubus odoratus; et id genus aliæ. Frutices autem ferro resecandæ sunt, ne deformiter excrescant.

Jam solum utrinque ad latera in ambulacra privata, pro quavis diei parte umbrosa, distribuendum est. Ex iis etiam quædam a ventis asperioribus ita munienda sunt, ut in iis spatium possit quis, tanquam in porticu. Quinetiam ob eandem causam, videlicet ut venti arceantur, ad exitus claudenda sunt. Et hæc clausa ambulacra præcipue sabulo substernenda sunt,

absque gramine, ne in udo ambulatio sit. In plerisque horum ambulacrorum arbores fructiferæ omnigenæ collocandæ sunt, tam ad parietes externos, quam in ordinibus interius. Et hoc in genere observari debet, ut terra elevata, in qua arbores fructiferæ plantantur, sit lata, humilis, et molliter ascendens; et floribus suavibus consita, sed raris, ne succo defraudent arbores. Ad exitus soli lateralis utrinque monticellos fieri probo ad talem altitudinem parietis exterioris, ut in monticello stanti in agros pateat prospectus.

Rursus, quoad hortum præcipuum, non negarem in eo confici debere ambulacra quædam, eaque minime angusta, arboribus fructiferis utrinque consita. Quin et arboreta aliqua arborum fructiferarum prope consitarum; et umbracula artificiosa et bella, cum sedibus ordine elegante locata. Verum hæc nullo modo nimis confertim. Relinquendus est enim hortus præcipuus apertior, et aëre perflabilis et liber. Umbram enim quæras velim in ambulacris lateralibus, ubi in ardoribus anni, vel diei, ambules. Hortus siquidem præcipuus comparatus est in temperatiores anni partes, vernas, et autumnales; æstate autem ad matutina et vespertina tempora, aut etiam ad dies nubilosos.

Aviaria non probo, nisi tantæ sint amplitudinis, ut cespites graminei substerni queant; fructicibus etiam et arbusculis vivis conserantur; ut aves liberius volitent, et se per diversa oblectare et componere possint; utque nulla in area aviarii conspiciatur spurcities.

Quantum vero ad ambulacra in clivis, et variis ascensibus amœnis conficienda, illa naturæ dona sunt, nec ubique exstrui possunt: nos autem ea posuimus, quæ omni loco conveniunt.

Horti itaque regii figuram jam delineavimus, partim præceptis, partim modulo generali, sed minime accurato. Et hac in re sumptibus minime pepercimus. Sed ad principes id nihil est, qui, ut nunc fit, plerunque hortulanos consulunt; atque haud minore sumptu varia, parum cum iudicio, componunt: ad dentes etiam quandoque statuas, et alia, ad magnifi-

centiam et pompam; sed ad genuinam hortorum voluptatem et amœnitatem nihil conducentia.

#### XLV. DE NEGOTIATIONE.

GENERALITER melius est per verba negotiari, quam per literas; et per intercessionem personæ tertiæ, quam per se ipsum. Literæ utiles sunt, cum quis per literas itidem responsum elicere desiderat; vel, ubi sua intersit, exemplaria literarum, quas scripsit, producere et monstrare: denique ubi metuere quis merito possit ne sermo interrumpatur, aut per portiones audiatur. Contra viva voce tractare præstat, cum facies hominis reverentiam incussura sit; ut fit plerunque in colloquio cum inferiore: aut in rebus, quas extremis tantum digitis tangere convenit; in quibus oculus loquentis, in vultum et gestum alterius intentus, monere possit quousque procedere liceat: et generaliter quando libertatem quis sibi retinere cupit vel deducendi, vel interpretandi ea quæ dixerit. In tractando per alios, cautius et melius fuerit eos eligere, qui simplicioris sunt ingenii; quos probabile est illa, quæ in mandatis habent, exsecuturos, et successum rei fideliter narraturos: quam eos, qui ex aliorum negotiis aliquid in se honoris aut utilitatis transferre callidi sunt, atque ea, quæ referent, verbis emollient ut impense placeant. Tales etiam adhibe qui negotio, cui præficiuntur, faveant; id enim industriam acuit: atque insuper tales, qui cum re, quam tractant, congruitatem quandam habent; veluti, audaces ad expostulandum; blandos ad persuadendum; astutos ad observandum et rimandum; protervos et paulo absurdiores ad res, quæ aliquid iniqui habent, transigendas. Tales etiam adhibe, qui in negotiis tuis antea tractandis felices fuerunt et obtinuerunt; hoc enim confidentiam parit; et omnem lapidem movebunt, quo veluti præscriptionem tueantur. Melius fuerit hominem, cum quo negotiaris, primo leviter degustare, et quasi ex longinquo, quam ab initio summam rei proponere; nisi forte in animo sit, brevi illum aliqua quæstiuncula irretire

et opprimere. Præstat cum illis negotiari, qui in ambitu sunt, quam cum illis, qui desideria sua sunt adepti. Si cum alio sub conditione negotieris, prima veluti occupatio aut possessio votorum in præcipuis numeranda: id autem cum ratione postulare nequis, nisi aut natura rei talis sit quæ præcedere debeat; aut alteri commode insinuare possis, illum opera tua in aliis usurum; aut denique habearis ipse pro homine inprimis integro et verace. Omnis negotiatio eo spectat; aut ut detegat aliquid; aut ut efficiat. Detegunt se homines, vel animum suum communicando; vel cum ira commoti sunt, nec se bene cohibere sciunt; vel cum ex improvise opprimuntur; vel cum necessitate quadam adiguntur, non habentes quod prætexant. Si quem ad nutum fingere cupias, ut inde efficias aliquid: aut inclinationes et mores ejus bene cognoscendi ut eum manu ducas: aut fines ejus perspicendi ut suadeas: aut infirmitates ejus, et ea, quibus obnoxius est, exploranda ut terreas; aut denique amici ejus, qui plurimum apud eum valent, conciliandi ut eo modo regere possis. In tractando cum callidis et dolosis, verbis eorum minime credendum, nisi fines et intentiones eorum habeas verborum interpretes: quin et optimum fuerit pauca apud illos loqui, et quæ minime expectant. In rebus quibuscunque difficilioribus non expectandum ut quis simul et serat et metat; sed præparatione opus est, ut per gradus maturescant.

#### XLVI. DE CLIENTIBUS, FAMULIS, ET AMICIS.

CLIENTES sumptuosi minime admittendi; ne dum quis caudæ pennas adauget, alarum pennas præscindat. Eos autem sumptuosos intelligo, non solum qui impensis gravant, sed etiam qui petitionibus molesti et importuni sunt. Clientes communes, conditiones alias expectare non debent extra favorem, commendationem si opus sit, et ab injuria protectionem. Clientes autem et amici factiosi, adhuc magis vitandi, qui alicui se applicant non tam ex amore ipsius, cui famulantur, quam ex odio versus alium concepto.

Unde sæpenumero sequitur animorum illa abalienatio, quam videre est inter potentiores. Similiter, clientes illi gloriosi, qui in hoc incumbunt ut loco buccinarum sicut ad laudes eorum resonandos, quibus famulantur, haud parum nocent: etenim negotia futilitate sua corrumpunt: tum vero honorem domini sui (si quis vere rem reputet) exportant, et mercem invidiæ invehunt. Est et aliud genus clientum prorsus periculosum; qui nil aliud quam speculatores sunt, et secreta familiæ rimantur, ac rursus aliorum auribus insusurrant: attamen hujusmodi homines apud dominos suos sæpenumero in summo pretio habentur; siquidem officiosi sunt, et susurros fere commutaut. Clientelæ hominum ordinis cujuscumque, si ejusdem cum patrono ordinis sint (veluti militum versus illum qui præfecturam in bellis gessit, et hujusmodi) semper pro re decora habitum est, et in bonam partem acceptum etiam in monarchiis; modo absit pompa nimia et popularitas. Verum clientela omnium maxime honorifica ea est, ut quis patronum se profiteatur eorum qui virtute et meritis clarent, cujuscunque ordinis sint vel conditionis. Attamen ubi nulla insignis cernitur in meritis dissimilitudo, præstat mediocribus patrocinari, quam eminentioribus. Atque insuper, si verum omnino dicendum sit, in seculis aliquanto corruptioribus, homines industrii et satagentes usui magis sunt, quam vera virtute præditi. Certe in imperando optimum est, ejusdem gradus subditos pari comitate tractare: paucos enim immensa gratia prosequi, ipsos magis insolentes, reliquos malevolos efficiet; quandoquidem ordinis paritas æquas gratiæ conditiones tanquam ex debito poscit. Verum e contra in iis, quæ favoris meri sunt, prodest cum delectu afficere; nam eos, qui benignius tractantur, impense gratos reddet, cæteros imprimis officiosos: neque de hoc merito conqueratur quisquam, cum omnia ex gratia non ex debito prodeant. Recte cavetur ne sub initiis immoderatus aliquem favore prosequaris; nam quæ tractu temporis sequentur, vix istis initiis respondere possunt. Fingi (quod aiunt) et regi ab amico aliquo tutum non est: etenim mollitiem quandam animi prodit: tum

vero convitiis et scandalo occasionem præbet : plurimi enim, qui nos ipsos immediate non perstrinxissent, amicum illum nostrum contumeliis afficere non verebuntur; atque eo modo honorem nostrum vulnerabunt. Attamen plurimum potestati subjici et veluti in partes distrahi, adhuc pejus; hoc enim nos reddet postremæ (ut nunc loquuntur) editionis, et plenos inconstantia. Deliberare cum amicis aliquot paucis, honorabile sane et utile: *Spectatores enim sæpenumero plus vident, quam lusores*: atque (ut adagio dicitur) *vallis optime collem monstrat*. Amicitia vera in orbe, rara abmodum; et minime omnium ea quæ inter æquales; quod genus apud veteres celebrari solebat. Si qua est, ea reperietur inter superiorum et inferiorem; fortunæ quorum altera alteram comprehendere possint.

#### XLVII. DE SUPPLICANTIBUS.

SUSCIPUNTUR complura negotia et inventa mala; et petitiones privatae bonum corrumpunt publicum. Suscipiuntur etiam complura negotia in se bona, sed animo non bono; intelligo non solum corrupto, sed etiam callido; absque ulla perficiendi negotii intentione. Non desunt, qui petitiones in manus suas recipiunt, et operam avide pollicentur, quibus tamen ut cum effectu procedant curæ non est: verum si animadvertant rem aliorum conatu successuram, ipsi quoque gratiam aucupabuntur; aut certe mercedem aliquam secundariam captabunt; aut denique supplicantis spes, dum negotium vertitur, in usum proprium convertent. Alii petitiones amplectuntur eo solum animo, ut negotiis aliorum, quæ simul tractantur, impedimenta injiciant: vel ut aliquid obiter deferant et informent, cujus alias prætextum idoneum parare non potuerint; de petitione ipsa, cum sibi hoc modo consuluerint, nihil solliciti; vel generaliter, ut per aliorum negotia negotiis suis pontem sternant. Imo et alii tam mala fide agunt, ut petitiones suscipiant consilio deliberato eos destituendi, quo competitori aut adversario gratificentur.

Certe, si quis rem rite perpendat, comitatur omnem petitionem jus quoddam, vel æquitatis, si sit petitio justitiæ; vel meriti, si sit petitio gratiæ. Si quem moveat

inclinatio propria, ut parti iniquiori faveat in causa judiciali, utatur potius auctoritate sua ut rem componat, quam ut obtineat. Si quem moveat inclinatio propria, ut favore suo minus merentem impertiat in causa gratiæ; abstineat saltem ab omni calumnia et maledictentia in melius merentem. Petitiones quas ipse non satis intelligis, amico alicui fido et sagaci demanda; qui referat au ejusmodi sint, quas salvo honore promovere possis: verum prudenti et anxio judicio amicus ille deligendus; alias quidlibet tibi imponet. Supplicantibus his temporibus adeo mora et procrastinationibus cruciantur, ut veracitas et candor, vel in negotium primitus recusando; vel in successum ejus, qualem qualem, animo simplici referendo; vel in gratiam non ultra, quam par est, captando; res facta sit non solum laudabilis verum etiam gratiosa. In petitionibus gratiæ, prima petitionis oblatio nullius debet esse momenti; eo usque supplicantis fides in re illa patefacienda valere possit, ut si notitia ejus aliunde, quam per eum, haberi non potuisset, hoc ei fraudi non sit, sed potius remuneretur. Valorem ejus, quod petitur, ignorare imperitia quædam est, non secus, ac æquitatem ejusdem oscitanter prætervehi, malam arguit conscientiam. Petitiones sedulo occultare, non modicum prodest ad obtinendum; spes enim jactare, competitorum licet alios detertere possit, alios tamen acuet et excitabit. Verum temporum opportunitates ante omnia in petitionibus valent. Temporibus, inquam, non tantum respectu eorum, in quorum potestate positum est petitiones vel rejicere, vel concedere; verum etiam respectu eorum, a quibus juste metuendum ne se illis opponant. In delectu ejus, cui petitionis tuæ curam demandes, respicias magis aptitudinem, quam amplitudinem; atque eum potius adhibe, qui paucioribus negotiis se immiscet, quam qui omnia amplectitur. Denegatæ petitionis iteratio concessionem ipsi quandoque æquipollet; modo quis se nec animo dejectum, nec male affectum, ostendat. *Iniquum petas ut æquum feras*; regula non mala, ubi quis gratia floreat: alias enim consultius foret gradibus quibusdam ad id quod petis ascendere, et aliquid saltem impetrare: qui enim in principio supplicantis erga se



studium amittere non dubitasset; is, in fine, et studium supplicantis, et beneficium prius collatum, simul amittere non sustinebit. Nihil tam leve videtur, quam viros præpotentes de literis suis interpellare; cum tamen, si literæ illæ in causis minus honestis et justis volitent, tantum de existimatione scribentis depereat. Non invenitur in rebus publicis perniciosius hominum genus, quam generales isti petitionum concinnatores; etenim pestes plane sunt et lues negotiorum publicorum.

#### XLVIII. DE STUDIIS, ET LECTIONE LIBRORUM.

STUDIA et lectiones librorum, aut meditationum voluptati, aut orationis ornamento, aut negotiorum subsidio, inserviunt. Usus eorum quatenus ad voluptatem, in secessu et otio imprimis percipitur; quatenus ad orationis ornamenta, in sermone tam familiari, quam solenni, locum habet; quatenus vero ad negotiorum subsidium, huc spectat, ut accuratiore judicio res et suscipiantur et disponantur. Etenim homines, rerum gerendarum gnari, ad negotia exsequenda idonei fortasse sunt; et in specialibus judicio non malo utuntur; verum consilia de summis rerum, eorumque inventio et administratio recta, feliciter a literatis promanant. Temporis nimium in lectione et studiis terere, speciosa quædam socordia est; iisdem ad ornatum mollius abuti, affectatio mera est, quæ se ipsam prodit; de rebus autem ex regulis artis judicare scholam omnino sapit, nec bene succedit. Naturam literæ perficiunt, ab experientia autem ipsæ perficiuntur. Dotes enim naturales instar plantarum sunt sponte provenientium, quæ culturam et falcem artis desiderant: literæ, e contra, generalia nimis præcipiunt, nisi ab experientia determinantur. Callidi literas contemnunt; simplices admirantur; prudentes, opera earum, quantum par est, utuntur: neque enim literæ verum sui usum satis edocent; sed hæc res prudentia quædam est, extra eas et supra eas sita, observatione tantum comparata. Libros non legas animo contradicendi, et disputationum præliis concertandi; neque rursus omnia pro concessis accipiendi, aut

in verba auctoris jurandi; neque denique in sermonibus te venditandi; sed ut addiscas, ponderes, et iudicio tuo aliquatenus utaris. Sunt libri, quos leviter tantum degustare convenit; sunt quos deglutire, cursumque legere oportet; sunt denique, sed pauci admodum, quos ruminare et digerere par est: hoc est, libri quidam per partes tantum inspiciendi; alii perlegendi quidem, sed non multum temporis in iisdem evolvendis insumendum; alii autem pauci diligenter evolvendi, et adhibita attentione singulari. Invenies etiam libros haud paucos, quos per alios et vicaria opera legere sufficiat, eorumque compendia tantum desumere. Verum hoc fieri nolim, præterquam in argumentis humilioribus et auctoribus minoris pretii: alias enim libri (ut sic dicam) distillati, instar aquarum distillatarum, quas vulgo mercantur, erunt penitus insipidi. Lectio copiosum reddit, et bene instructum; disputationes et colloquia promptum et facilem; scriptio autem et notarum collectio perlecta in animo imprimat et altius figit. Itaque si quis in notando segnis sit aut fastidiosus, memoria illi opus est bona; si colloquiis se non exercent, requiritur ei ingenium promptum; sin in legendo parcus sit, hoc solum relinquatur, ut artificio quopiam utatur, quo videatur ea scire quæ nescit. Historiarum lectio prudentes efficit; poëtarum, ingeniosos; artes mathematicæ subtilitatem donant; naturalis philosophia iudicium profundum parit; moralis gravitatem quandam morum conciliat; dialectica et rhetorica pugnacem reddunt, et ad contentiones alacrem: *Abeunt* (ut ait ille) *studia in mores*. Quin et vix occurrit in intellectu impedimentum aliquod insitum, aut naturale, quod non studio quopiam idoneo emendari et edolari possit: quemadmodum morbi corporis exercitiis quibusdam propriis levari possint. Globulorum lusus calculo et renibus salubris; sagittatio pulmonibus et thoraci; lenis deambulatio ventriculo; equitatio capiti, et similia. Eodem modo, si cui sit ingenium vagum et volucre, mathematicis incumbat: in demonstrationibus enim mathematicis, si mens vel minimum aberret, de novo incipiendum est: si cuiquam ingenium sit minus aptum ad rerum differentias et distinctiones eruendas, ad scholasticos se

conferat; illi enim cymini sectores sunt: si quis ad transcursus ingenii segnis sit, nec alia in aliorum probationem et illustrationem accersere, et arripere dextre, noverit, jure-consultorum casus evolvat: adeo ut singuli intellectus morbi ex literis medicinas proprias comparare sibi possint.

#### XLIX. DE FACTIONIBUS.

PLURIMI opinionem minime sanam foverunt; hanc nimirum; principi in status sui administratione, et viro magno in actionum suarum directione, ad factiones, quæ invaluerunt, præcipue respiciendum; atque hanc principalem prudentiæ partem esse: cum e contra facultas hæc prudentiæ quam maxime vigeat, vel in disponendis rebus, quæ ad omnes sine discrimine pertinent, et in quibus homines diversarum factionum coëunt; vel in palpandis, conciliandis, et tractandis singulis. Neque tamen assero, factionum debitam considerationem esse negligendam. Humilioris fortunæ viri, cum in ambitu sint, alicui parti adherere debent; verum potentioribus, et jampridem honorem adeptis consultius est æquos se præstare, in neutram partem propendendo. Quin et in ambientibus ita caute adherere, ut videatur quis alteri ex partibus addictus, et tamen parti adversæ minime odiosus, viam quandam sternit ad honores, per medium factionum. Factio inferior et debilior in conjunctione plerunque firmior et constantior: et non raro observari poterit paucos, qui obstinati et pertinaces sint, factionem numerosiorem, sed tamen moderatam, in fine defatigare et depellere. Factionum altera postquam extincta fuerit, illa, quæ manet, in factiones novas dirumpitur; veluti, factio Luculli et optimatum ad tempus aliquod se in satis magno vigore, contra factionem Pompeii et Cæsaris, sustinuit: verum postquam auctoritas senatus et optimatum deprimebatur, factio ipsius Cæsaris et Pompeii in partes propediem scissa est. Similiter, factio Antonii et Octaviani Cæsaris, contra Brutum et Cassium, ad tempus aliquod duravit; sed, deletis copiis Bruti et

Cassii, Antonius et Octavianus, cum partibus suis, paulo post dissilierunt. Exempla hæc (dices) ad factiones bellicosas spectant. Sed idem in factionibus privatis tenet. Itaque in factionibus, qui secundas antea tenebant, factione scissa, sæpius primas tenent: contra tamen haud raro potestate omni excidunt: complures enim in oppositione tantum valent: qua cessante, actutum deveniunt inutiles. Observatum dignum, quod sæpe evenit; plurimos nimirum, postquam voti compotes sint, et in dignitate, quam ambierunt, collocati, continuo se applicare contrariæ factioni; existimantes forsitan se de alterius factionis affectu et studiis jamdudum certos esse; itaque ad amicos novos conciliandos se comparare. Proditor in factionibus plerunque rem obtinet; postquam enim res diutius tanquam in æquilibrio suspensæ hæssissent, tum demum unius alicujus in partes contrarias transitio victoriam refert; in eumque gratiæ omnes cumulatae. Indifferens illa inter partes processio, neutri inclinando, non semper ab animo moderato procedit; sed a consilio callido: quandoquidem proximus sibi quisque sit, atque ex utraque factione utilitatem demetere speret. Certe in Italia in suspicionem incurrit papa, de quo vox illa in vulgus volitat: *Padre commune*. Tum etiam in signum trahitur, papam illum, omnia ad familiæ suæ amplitudinem referre in animo habere. Regibus inprimis cavendum est, ne factioni alicui subditorum suorum se ex professo adjungant: ligæ enim confæderationis intra statum quempiam monarchiis semper exitiales: siquidem obligationem introducunt obligatione ipsa imperii validiorem, atque regem constituunt tanquam unum ex nobis: id quod cernere erat in liga Franciæ. Cum factiones manu forti et palam concertant, signum est imperii in regibus labascentis; multumque præjudicat ipsorum et auctoritati et negotiis. Motus factionum, sub regibus, similes esse debent motibus (ut astronomi loquuntur) orbium inferiorum; qui suos habent motus proprios, sed interim conversione primi mobilis cum obsequio circumferentur.

## L. DE CÆREMONIIS CIVILIBUS, ET DECORO.

QUI realis solummodo est, ei multa virtute opus duco; sicut gemma, quæ sine ornamento omni inseritur, e purissimis et nitidissimis esse debet. Verum, si quis diligenter animadvertat, fit in laude, quod fit in lucro: obtinet enim proverbium illud: *Lucra levia crumenam efficere gravem*. Siquidem, lucra levia frequenter redeunt, cum majora rarius se offerant. Similiter, verissimum est, virtutes exiguas magnas conciliare laudes, quia perpetuus earum usus est; tum in observationem hominum incurrunt: cum, e contra, virtutis alicujus magnæ exercendæ occasio raro admodum obtingit. Itaque ad famam et existimationem alicujus multum juvat, et (quemadmodum Isabella regina Castiliana dicere solebat) *instar epistolarum commendatitiarum, quæ nunquam non præsto sint*, haberi possit; si quis formulis utetur discretis et decoris. Ad has addiscendas nihil ferme aliud requiritur, quam ut eas quis non contemnat: ita enim in aliorum moribus easdem observabit: de reliquo autem nemo sibi diffidat. Si enim majorem illis operam navabit, de pretio decident: quod in illo potissimum situm est, ut tanquam nativæ videantur, et minime affectatæ. Nonnullorum vultus et gestus, et externa alia instar versus sunt, in quibus syllabæ singulæ mensurantur: qui poterit magna comprehendere, qui se tam pusillis rebus submittit? Cæremoniis decentibus erga alios omnino abstinere perinde est, ac si doceas easdem illos erga te negligere; quo pacto te ipsum facies viliorum. Præcipue nequaquam omittendæ erga illos quibuscum familiaritate minime conjunctus es; neque erga homines ingenio fastidioso. Verum excessus in illis, et locutio plane hyperbolica (quali nonnulli utuntur) non solum res molesta; sed etiam fidem et pondus eorum quæ dicuntur omnino minuit. Est proculdubio modus artificiosæ cujusdam insinuationis in verbis ipsis inter formulas communes, qui homines revera inescat et mirifice afficit; qui eximie alicui prodest, si quis ejus viam calleat. Inter æquales de

familiaritate sollicitum esse nihil opus est; quare reprime te paululum, et dignitatem tuam tuere; at inter inferiores non deerit reverentia; itaque inter illos benigne te gerere, et cum familiaritate quadam non incongruum est. Qui in sermone aliquo aut re nimius est, adeo ut satietatem inducat, valorem sui ipsius minuit. Aliis se applicare bonum est; modo cum significatione quadam fiat, hoc non ex facilitate prodire, sed ex comitate et urbanitate. Præceptum non contemnendum est; cum in alterius sententiam iveris, aliquid semper de proprio addere. Exempli gratia, Opinioni ejus suffragaris? cum distinctione, et non alias, fiat. Propositioni ejus annuere libet? fiat sub modo aliquo vel conditione. Consilium ejus sequi et amplecti visum est? novi alicujus argumenti pondus addas, propter quod in partes ejus transire videaris. Cavendum imprimis, ne magister in cæremoniis et formulis habearis: id enim si fiet, utcunque virtute vera emineas, audies tamen ab invidis, in nominis tui detrimentum, urbanus tantum et affectator. Etiam negotiis damnosum est, si quis formulas nimium affectet, vel in opportunitatibus et temporibus deligendis impense curiosus sit. Salomon inquit: *Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet.* Prudens opportunitates plures faciet, quam inveniet. Mores hominum externi vestibis eorum similes esse debent; non sint nimis concinni, nec corpus coarctantes; sed qui libertatem præbeant ad exercitia et motum quemlibet.

## LI. DE LAUDE.

LAUS virtutis reflectio est. Atque, ut fit in speculis, trahit aliquid e natura corporis, quod reflectionem præbet. Si a vulgo proficiscitur, ut plurimum reflectio illa prava est, et falsa: et vanos potius ac tumidos, quam vera virtute præditos, comitatur. Sub captum siquidem vulgi virtutes complures, quæ excellunt, non cadunt. Virtutes minores ab iis laudes extorquent; mediæ admirationem quandam, vel stuporem, illis incutiunt; sublimes autem in sensum aut perceptionem eorum prorsus

non veniunt. Sed apparitiones virtutum, et species virtutibus similes, illos afficiunt quam maxime. Sane fama fluvio similis est, quæ levia et inflata attollit, gravia et solida mergit. Quod si viri etiam iudicii profundioris et dignitatis cum vulgo concurrunt, tum id, quod Scriptura dicit, contingit: *Nomen bonum instar unguenti fragrantis*. Omnia undique replet, neque facile evanescit. Etenim odores unguentorum durabiles magis sunt, quam florum. Laudum tot conditiones fallaces sunt, ut laus merito in suspicionem venire possit. Laudes quædam ab adulatione sola prodeunt; quod si adulator sit vulgaris, attributis quibusdam utetur communibus, et quæ omnibus competere possint; non quæsitis aut appositis; adulator callidior si sit, vestigia premet adulatoris principalis: intelligo, tui ipsius; et in quibus tibi places, aut te ipsum excellere putas, iis adulator inhærebit maxime; sin adulator sit impudens, et perfrictæ frontis, tum demum in quibus conscius tibi sis defectus tui, et ad quæ maxime erubescis, ea adulator tibi vel præcipue imputabit, et affiget per vin, sprete conscientia. Laudes nonnullæ a voluntate bona cum reverentia conjuncta proficiscuntur; quæ sane laudum formula principibus et viris quibuscunque dignioribus debetur: *Laudando præcipere*: cum scilicet apud illos prædicando quales sint, humiliter moneas quales esse debeant. Sunt qui laudibus quandoque onerantur animo malitioso; ad conflandam invidiam, et odia concitanda; *pessimum genus inimicorum laudantium*; ut ait ille: adeo ut apud Græcos in proverbium exierit: *Ei, qui in malum suum laudaretur, pustulam nari continuo adnascituram*: sicut apud nos vulgo dicitur: *Cum quis mentiatur, metuendum ne ejus linguæ scabies propediem oboriatur*. Illud asserere licet, laudes moderatas, tempestive irrogatas et minime vulgares, honori vel maxime esse. Dictum est Salomonis: *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit*. Etenim, vel hominem vel rem aliquam ad cælum usque evehere, contradictionem irritat et derisui exponit. Veruntamen ut seipsum laudare, servato decoro, vix conceditur, nisi in casibus admodum raris; ita vocationem suam, et munus quod gerit, aut studia

quibus se addixit, laudare quis cum venia possit, imo cum specie quadam magnanimitatis. Cardinales Romani (qui theologi sunt, et fratres, et scholastici) verbum usurpant extremi contemptus et convitii erga negotia civilia: vocant enim negotia civilia (veluti belli, legationum, judiciorum, et hujusmodi) Hispanico vocabulo, *Sbirrarias*; quod sonat, munera licitorum et scribarum. Ac si artes illæ memoratæ magis ejusmodi homines, quam in fastigio cardinalatus positos, decerent. Et tamen (si res rite ponderetur) speculativa cum civilibus non male miscentur. Sanctus Paulus cum de se ipso gloriatur, illud nonnunquam interponit: *Ut stultus loquor*: at cum de vocatione sua verba facit, nihil veretur dicere: *Magnificabo apostolatium meum*.

## LII. DE VANA GLORIA.

ELEGANTER quidem Æsopus: *Musca sedens super radium rotæ currus, ita secum: Quantum pulverem moveo?* Similiter existunt quidam futiles et vani, qui, cum aliquid vel sponte procedit, vel manu potentiore cietur, si modo ipsi vel minimam rei partem attigerint, continuo putant se machinam totam vetere. Gloriosi semper factiosi; etenim nulla ostentatio sine comparatione sui est. Quin et violenti ut sint necesse est, ut quæ verbis jactitarunt, revera præsent. Neque taciturni omnino esse possunt; ideoque opere ut plurimum destituuntur; sicut Gallis in proverbium abiit: *Beaucoup de bruit, peu de fruit: Strepitus multum, fructus parum*. Attamen sine controversia hujusmodi ingeniis in civilibus aliquando uti prodest. Si fama excitanda sit, vel opinio late spargenda, sive virtutis sive potentiae, istiusmodi homines buccinatores egregii sunt. Rursus; sicut prudenter notat Livius, circa tractatus Antiochi et Ætolorum: *Mendacia reciproca, et ex utraque parte, quandoque magno usui esse possunt*; veluti cum quis inter principes duos negotietur, ut eos ad bellum indicendum principi tertio concitet; atque hoc ut efficiat, unius copias apud alterum supra modum et veritatem vicissim attollat. Quin et hoc fit quandoque, ut qui inter privatos tractet, apud utrumque existimationem



suam augeat, artificiose insinuando, se apud alterutrum plus posse, quam revera potest. Atque in his et hujusmodi haud raro accidit, ut aliquid ex nihilo producat: mendacia enim opinionem ingenerare sufficiunt; opinio autem rem et substantiam progignit. In ducibus et viris militaribus, gloriosum esse non inutile est; sicut enim ferrum acuit ferrum, ita per gloriam hanc animi invicem acuuntur et excitantur. Insuper, in actionibus magnis, quæ sumptibus, et periculo privatorum, suscipiuntur, ingenia jactabunda vivacius negotia impellunt: qui enim ingenio sobrio sunt et solido, plus habent saburræ, quam veli. Rursus, in existimatione doctrinæ et literarum cujuscumque, non volitabit fama illius per ora virum, neque bene alata erit, sine plumis aliquibus ostentationis. *Qui de contemnenda gloria libros scribunt, nomen suum inscribunt*; inquit ille. Socrates, Aristoteles, Galenus (magna nomina) ingenio jactabundo erant. Certe gloria vana ad propagandam et perpetuandam memoriam magnopere juvat: neque virtus ipsa tantum humanæ naturæ debet, propter nominis sui celebrationem, quantum sibi ipsi. Fama siquidem Ciceronis, Senecæ, Plinii secundi, ad hunc usque diem vix durasset, aut saltem non tam vegeta, nisi conjuncta fuisset cum aliqua vanitate et jactantia in se ipsis. Jactantia enim instar vernicis videtur esse, quæ ligna non solum splendere facit, verum etiam durare. Atqui, dum hæc de vana gloria dissero, minime eam qualitatem intelligo, quam attribuit Tacitus Muciano: *Omniū, quæ dixerat faceratque, arte quadam ostentator*: hæc enim ex vanitate neutiquam procedit, sed ex arte et prudentia, cum magnanimitate quadam conjuncta: et in aliquibus hominibus, qui natura veluti comparati ad eam sunt, res est non solum decora, sed et gratiosa. Excusationes enim decoræ, concessionem tempestivæ, quin et modestia ipsa bene temperata, nihil aliud sunt, quam ostentationis artes. Neque inter artes hasce reperitur aliqua felicior, quam illa, de qua loquitur Plinius secundus: hoc est, liberaliter et copiose id in aliis laudare, in quo ipse emineas. Nam ad hunc modum ille ingeniose satis:

*In alio laudando, tibi ipsi ministras : is enim, quem laudas, aut superior tibi est, aut inferior ; si inferior, et tamen laudandus, tu multo magis ; si superior, neque jure laudandus, tu multo minus. Gloriosi prudentibus derisui sunt ; stultis admirationi ; parasitis prædæ et escæ ; sibi ipsis et gloriæ vanæ mancipia.*

### LIII. DE HONORE ET EXISTIMATIONE.

HONORIS et existimationis vera et jure optimo acquisitio ea est ; ut quis virtutes et facultates suas dextre, et absque detrimento, revelet. Nonnulli enim in actionibus suis proci famæ sunt, et veluti venatores : quod genus hominum sermonibus plerunque celebratur, sed interiorem animi reverentiam vix assequitur. Alii, contra, virtutem suam inter monstrandum obscurant ; ex quo fit ut opinione minores sint, quam merita ipsorum postulant. Si quis rem suscipiat, simulque perficiat, quæ prius intentata fuerat ; aut tentata quidem, sed deserta ; aut ad exitum forsitan perducta, sed minus commode et feliciter ; is honorem adipiscetur majorem, quam si quid perfecisset gravioris sane difficultatis et momenti ; sed in quo alterius tantum vestigia, et non ultra, premeret. Si quis actiones suas ita inter se committat et contemperet, ut in aliquibus earum singulis factionibus, vel populi combinationibus, satisfaciat, harmonia erit tanto perfectior. Honoris sui minime frugalis dispensator est, qui rem quamvis suscipit, in qua dedecoris plus fuerit votis excidere, quam, obtinuisse, honoris. Honor, qui comparativus est, et alium prægravat, reflexionem habet maxime vividam ; instar adamantis aut carbunculi cum angulis multiplicibus secti. Itaque, enixe hoc agas, ut competitores tuos, si modo possis, etiam in iis, in quibus ipsi summe gloriantur, superes. Servi et amici familiares, prudentes modo sint et cauti, existimationi cujuscumque non modicum prosunt : ita Quint. Cicero : *Omnis fama a domesticis emanat.* Invidia, quæ honoris veluti tinea et teredo est, optime exstinguitur, si quis id sibi præstituere videatur, ut meritum potius ambiat, quam famam : et

successus suos prosperos magis providentiæ divinæ et felicitati cuidam tribuat, quam artibus aut virtutibus propriis.

Gradus honoris imperialis sic vere et optime ordinantur. Primo loco statuendi conditores imperiorum; quales fuerunt Romulus, Cyrus, Julius Cæsar, Ottomannus, Ismaël. Secundo loco legumlatores; qui etiam vocabantur conditores secundi, aut perpetui principes; quoniam legibus suis etiam post mortem imperia administrant; quales fuerunt Lycurgus, Solon, Justinianus, Eadgarus, Alphonsus Castilianus, cognomine Sapiens, qui *Septem partitiones* edidit. Tertio loco liberatores, vel servatores patriarum suarum; qui bellis intestinis diutinis finem imposuerunt, aut patrias a servitute alienigenarum vel tyrannorum liberarunt: veluti, Augustus Cæsar, Vespasianus, Aurelianus, Theodoricus, Henricus septimus rex Angliæ, Henricus quartus rex Galliæ. Quarto loco propagatores, sive propugnatores imperii; qui bellis honorificis fines imperii protulerunt; vel defensione strenua et nobili invasoribus restiterunt. Ultimo loco patres patriæ; qui juste imperant, et temporibus felicibus, quamdiu vivunt, cives suos beant. In his ultimis duobus exempla non adduco, quandoquidem tanto numero sint. Honorum, qui subditis competere possunt, gradus hi sunt. Primo statuendi participes curarum; ii nimirum, quorum humeris præcipuum pondus rerum suarum principes imponunt: vulgo appellamus manus regum dexteras. Secundo, duces belli; regum suorum intelligo locum-tenentes; qui operam eis egregiam in bellis præstant. Tertio, gratiosi; eos volo, qui non ultra hoc potes sunt, quam ut principibus solatio sint, et populo innoxii. Quarto, negotiis pares; qui magnos sub principibus gerunt magistratus; in quibus juste et prudenter versantur. Est et genus quoddam honoris, quod raro contingit; et tamen inter maximos reponi meretur: hic est eorum, qui se morti, et periculis, devovent, et sacrificant, propter bonum patriæ: quod fecerunt Marcus Regulus, et duo Decii.

## LIV. DE OFFICIO JUDICIS.

MEMINISSE debent judices esse muneris sui, jus dicere, non autem jus dare: leges, inquam, interpretari, non condere. Aliter, deveniet eorum auctoritas simile quiddam auctoritati illi, quam sibi vendicat ecclesia Romana: quæ prætextu intepretationis Scripturarum etiam addit aliquid quandoque et immutat: et pronunciat, quod non invenit; atque specie antiquitatis introducit novitatem. Judicem oportet esse potius eruditum, quam ingeniosum; venerabilem, quam gratiosum; magisque deliberativum, quam confidentem. Ante omnia integritas judicum quasi portio est, virtusque propria. *Maledictus sit (inquit lex) qui terminum terræ movet antiquum.* Sane, qui lapidem, fines distinguentem, transponit, culpa non caret. Verum judex injustus ille est, qui præcipue terminos immutat, cum de terris et rerum proprietate inquam fert sententiam. Una certe iniqua sententia plus nocet, quam exempla plurima. Hæc enim rivulos tantum inficiunt, illa autem fontes. Ita ait Salomon: *Fons turbatus, et vena corrupta, est justus cadens, in causa sua, coram adversario.* Officium judicis relationem habere possit, partim ad litigantes; partim ad advocatos; partim ad scribas et ministros justitiæ subtus; partim ad principem vel statum supra.

Primo, quantum ad causas et litigantes. *Sunt (inquit Scriptura) qui judicium vertunt in absinthium:* sunt etiam certe, qui illud vertunt in acetum. Injustitia enim illud reddit amarum; mora acidum. Judex strenuus hoc præcipue agit, ut vim et dolum compescat: quorum vis magis perniciosa est, quanto aperitior; dolus, quanto tectior et occultior. Adde etiam lites contentiosas; quæ evomi debent, ut crapula curiarum. Judicem decet viam parare ad justam sententiam qualem Deus parat: *Valles exaltando; colles deprimendo:* eodem modo, quando ex alterutra parte videt judex manum elatam, veluti in prosecutione importuna, captionibus malitiosis, combinationibus, patrocínio potentum, advocatorum disparitate et simili-

bus; tum elucescit virtus judicis in æquandis iis quæ sunt inæqualia; ut judicium suum veluti in area plana fundare possit. *Qui fortiter emungit, elicit sanguinem;* cumque torcular vini premitur fortius, vinum prodit acerbum, acinum sapiens. Itaque caveant sibi iudices ab interpretationibus legum duris, et illationibus alte petitis. Neque enim pejor est tortura, quam tortura legum. Præcipue in legibus pœnalibus curæ iis esse debet, ne, quæ in terrorem latæ sunt, vertantur in rigorem: neve in populum superinducant imbrem illum, de quo Scriptura: *Pluet super eos laqueos.* Etenim leges pœnales, si severe executioni demandentur, sunt similes imbri laqueorum, cadenti super populum. Itaque hujusmodi leges, si vel dormiverint diu, vel temporibus præsentibus minus quadrent, a iudicibus prudentibus, in executione earum, reprimantur:

*Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum, etc.*

In causis capitalibus decet iudices (quantum lex permittit) in iudicio meminisse misericordiæ; et cum severitate exemplum, cum pietate personam intueri.

Quantum ad advocatos qui causas agunt; patientia et gravitas, in causis audiendis, justitiæ est pars essentialis, et iudex nimium interloquens minime est cymbalum benesonans. Non laudi est iudici, si primus aliquid in causa inveniatur et arripiat, quod ab advocatis, suo tempore, melius audire potuisset: aut acumen ostendet in probationibus vel advocatorum perorationibus nimis cito interrumpendis; aut anticipet informationes quæstionibus, licet ad rem pertinentibus. Iudicis partes in audiendo sunt quatuor: probationum seriem ordinare; advocatorum et testium prolixitatem, repetitionem, aut sermones extra rem, moderari; eorum, quæ allegata sunt, medullam, et quæ majoris momenti sunt, recapitulare, seligere, et inter se componere; et demum sententiam ferre. Quicquid ultra hæc est, nimium est; et oritur aut a gloriola et loquendi aviditate; aut ab audiendi impatientia; aut a memoriæ debilitate; aut a defectu attentionis sedatæ et æquabilis. Sæpenumero mirum est visu, quantum advocatorum audacia apud iudices valeat; ubi contra iudices

ad imitationem Dei (in cujus tribunali sedent) *superbos comprimere, et humiles erigere* deberent. Sed etiamnum magis mirum est, iudices advocatis quibusdam præ cæteris immoderate et aperte favere. Quod necesse est ut merces advocatorum augeat et multiplicet, atque simul suspicionem corruptionis et obliqui ad iudices aditus inducat. Debetur advocato a iudice laus aliqua et commendatio, cum causæ bene aguntur et tractantur; præsertim, si causa sua cadat: hoc enim apud clientem existimationem advocati sui tuetur, et simul opinionem ejus de causa sua prosternit. Debetur etiam reipublicæ reprehensio advocatorum moderata; ubi callida nimis præstant consilia; aut supina apparet negligentia, aut levis informatio, aut indecora importunitas, aut impudens defensio. Advocatus autem illud tribuat iudici, ne illi obstrepat, aut se rursus in causam agendam callide insinuet, postquam iudex de re pronunciaverit. E contrario autem iudex se causæ mediæ, et nullatenus peroratae, non ingerat; nec clienti occasionem præbeat, ut advocatos suos, vel probationes ad plenum non auditas conqueratur.

Quantum ad scribas et ministros. Sedes justitiæ veluti locus sacratus est; ubi non tantum sedes ipsa, sed et subsellia, et præcinctus sedis, scandalo et corruptelis vacare debent. Etenim (ut ait Scriptura) *non colliguntur uvæ ex spinis*; neque justitia suaves suos fructus edere potest inter vepres et dumeta scribarum et ministrorum rapacium, et lucris inhiantium. Curiarum asseclæ pravi sunt quatuor. Primo seminatores litium; qui curias tumescere faciunt, populum tabescere. Secundo, qui curias contentionibus circa jurisdictionem implicant; neque vere sunt (ut habentur) amici curiæ; sed parasiti curiæ; curias inflando ultra terminos, propter micæ et compendia propria. Tertio ii, qui possunt censi tanquam curiarum manus sinistrae: homines, qui curiarum processus legitimos diverticulis et versutiis distorquent; justitiamque in lineas obliquas et labyrinthos trahunt. Quarto expilatores et exactores fœdorum, qui tritam similitudinem confirmant curiarum ad ru-

bum : quo dum ovis, tempestatem fugiens, se recipit, velleris partem amittit. Contra, scriba antiquus, in anteactis curiarum peritus, in actis ipsis concipiendis cautus, et in negotiis curiæ solers, digitus est curiæ egregius ; et sæpe judici ipsi viam monstrat.

Quantum vero ad principem aut statum. Judices ante omnia in memoria fixum tenere debent versiculum ultimum Duodecim Tabularum Romanarum : *Salus populi suprema lex* ; et pro certo ponere, leges, nisi sint in ordine ad eum finem, res esse captiosas, et oracula male inspirata. Itaque bene succedit, cum rex aut status sæpius cum iudicibus deliberat ; et rursus, cum iudices principem et statum sæpius consulant. Ille, cum inter deliberationes politicas interveniat quæstio juris : hi, cum in subjecto legali interveniant considerationes status. Contingit enim haud raro, ut res in iudicium adducta versetur circa *meum et tuum*, et nihilominus consequentia ejus ad rationes status penetret. Intellego autem ad rationes status pertinere, non solum si quid ad jura regalia impetenda spectet, verumetiam si quid innovationem aliquam minus tutam, aut exemplum periculosum, introducat ; aut si manifesto portionem aliquam populi majorem gravet. Neque quisquam infirmi iudicii existimet, justas leges adversus politica vera aliquid antipathiæ habere. Sunt enim hæc duo veluti spiritus et nervi, quorum alteri in alteris moventur. Recordentur etiam iudices, Salomonis thronum leonibus utrinque suffultum fuisse : sint sane leones, sed leones sub throno : caventes ne aliquid ex juribus regalibus impetant aut convellant. Postremo, ne sint iudices tam ignari juris et prærogativæ suæ, ut cogitent, non sibi relinqui, tanquam muneris sui partem principalem, sanum et prudentem legum usum et applicationem. Etenim in animum revocare poterunt dictum illud apostoli de lege humanis legibus majore : *Nos scimus quia lex bona est, modo quis ea utatur legitime.*

## LV DE IRA

IRAM penitus extinguere velle, ostentatio quædam Stoicorum est. Meliora nos nacti sumus oracula: *Irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.* Limites iræ apponendi sunt, et quousque et quamdiu. Dicimus primo, quibus modis inclinatio naturalis, aut etiam habitus iræ, temperari possit, et leniri. Secundo, qualiter particulares motus iræ reprimi possint, aut saltem citra nocumentum cohiberi. Tertio, quibus modis ira excitari possit aut sedari in aliis.

Quantum ad primum; non alia se ostendit via, quam ut serio animo revolvas mala et calamitates iræ; et quam vehementer vitam humanam perturbat, et infestat. Hoc autem tempestivum fuerit maxime, si pone nos respiciamus, quamprimum impetus iræ resederit. Eleganter Seneca: *Iram ruinæ similem esse, quæ in aliud cadendo, se ipsam comminuit et frangit.* Hortatur Scriptura: *Ut animas nostras in patientia possideamus.* Certe quicumque patientia excidit, de animæ suæ possessione dejicitur. Hominis non est apes imitari,

*Animasque in vulnere ponunt.*

Ira sane, si quis recte, attendat, res humilis est, et infra dignitatem hominis. Hoc liquebit, si illos intueamur, in quibus ira regnat: qui plerunque ex infirmioribus sunt; pueri, mulieres, senes, ægroti. Itaque cum irasci contigerit, caveant homines (si modo dignitatis suæ velint esse memores) ne iram suam cum metu eorum quibus irascuntur, sed cum contemptu, jungant; ita ut injuria superiores potius videantur, quam inferiores: quod non difficile factu foret, si quis iram suam paululum regat, et inflectat.

Quantum ad secundum; causæ et motiva iræ præcipue tres sunt. Primo, si quis pronus sit ad sensum injuriæ: nemo enim irascitur, nisi qui se læsum sentiat. Itaque teneri qui sunt et delicati, ut subinde irascantur, necesse est: tot se offerent, quæ illis mo-



lestiam exhibebunt, quæ a naturis robustioribus vix sentientur. Secundo, si quis curiosus et perspicax sit in interpretatione injuriæ illatæ, quatenus ad circumstantias ejus, ac si contemptum spiraret. Opinio enim contemptus iram excitat et acuit plusquam læsio ipsa. Itaque si homines ad ista ingeniosi sint, iram miris modis incendunt. Ultimo, opinio contumeliæ, sive quod existimatio hominis per consequentiam lædatur et perstringatur, iram intendit et multiplicat. Cui rei accedit remedium præsentaneum, ut quis utatur (quod Consalvus dicere solebat) tela honoris crassiore: sed in omnibus iræ frænationibus optimum est tempus lucrari, et sibi ipsi persuadere, horam vindictæ nondum adesse, sed instare quasi ad manum opportunitatem aliquam majorem; atque hoc pacto motum animi interim compescere, et se in tempus aliud servare. Ira autem, ut citra noxam erumpat, utcunque hominem obsederit, duo sunt, quæ maxime cavenda. Prius est, acerbitas verborum, præcipue aculeatorum, et ei, quem ferimus, propriorum; communia enim maledicta mordent minus. Atque rursus secretorum revelatio; hoc enim societati quemvis ineptum reddit. Posterius est, ne quis, dum ira fervet, negotium, quod in manibus est, abrumpat; sed utcunque iræ frænulum laxet, nihil tamen agat, quod revocari non possit.

Quantum ad excitandam aut sedandam iram in aliis; fit hoc maxime per temporum electionem prudentem. Cum subtristes homines sunt, aut aliquantulum morosi, tempus est iram incendendi. Deinde, ut antea diximus, decerpendo ut inculcando quicquid contemptum arguere aut aggravare possit. Rursus, ira sedatur per contraria hisce. Primo deligendo tempora serena, et ad hilaritatem prona, in quibus negotium aliquod ingratum, et ad iracundiam provocans, aperias: prima enim impressio plurimum valet. Deinde, ut quantum fieri potest, injuriam a contemptu segreges; eam imperitiæ, timori, animi concussioni repentinae, aut simili cuiquam imputando.

## LVI. DE VICISSITUDINE RERUM.

SALOMON inquit, *Nihil novum super terram.* Itaque quemadmodum Plato opinatus est: *Omnem scientiam nihil aliud esse, quam reminiscentiam*; sic Salomon pronunciat: *Omnem novitatem nihil aliud esse, quam oblivionem.* Ex quo cernere possis, fluvium Lethes non minus super terram, quam subter terram, decurrere. Astrologus quidam abstrusus, et parum notus, asserit: *Nisi in causa fuissent res duæ constantes (una, quod stellæ fixæ æqualem inter se distantiam perpetuo servant; nec unquam propius sibi invicem accedant, aut longius a se abscedant: altera, quod motus diurnus non variet ne momentum quidem temporis) individuum aliquod durare non potuisset.* Illud certum est, materiam in perpetuo fluxu esse, neque unquam consistere. Atqui magna illa lintea sepulchralia, quæ omnia oblivione involvunt, duo sunt; diluvia et terræ-motus. Quatenus ad conflagrationes et siccitates magnas, illæ populum penitus non absorbent, aut destruunt. Fabula Phaëthontis breviter conflagrationis ad unius tantum diei spatium repræsentavit. Atque triennis illa a pluvia cessatio, tempore Eliæ, particularis tantum fuit, et multos superstites reliquit. Incensiones illas loqueris, quæ per fulmina et fulgura apud Indias Orientales fiunt? Angustæ quidem sunt, nec magna spatia occupant. Pestilentias etiam prætereo, quia nec illæ totaliter absorbent. Verum in memoratis illis duabus calamitatibus (diluviorum et terræ-motu) insuper notandum est; reliquias populorum, quas emergere contigerit, plerumque homines rudes et montanos esse; quique temporum præteritorum memoriam posteris tradere non possint; adeo ut oblivio non minus omnia involvat, quam si nulli prorsus superstites remanerent. Si quis attente introspectat Indorum Occidentalium conditionem, probabile reperiet eos populum juniorem esse et recentiorum, quam populos orbis veteris. At longe verisimilius est, desolationem illam, quæ illos olim invaserat, minime per terræ-motus factam (contra quam narrabat

sacerdos Ægyptius in colloquio cum Solone de insula Atlantide; eam scilicet a terræ-motu absorptam esse) sed potius per diluvium particulare. Terræ-motus enim in illis regionibus raro eveniunt. Verum e contraria parte tam immania plane et vasta habent flumina, ut fluvii Asiæ, Africae, et Europæ, præ illis, instar rivulorum sint. Quin et Andes ipsorum, sive montes, nostris longe sunt altiores: unde credibile est, reliquias stirpis hominum apud eos, post tale diluvium particulare, conservatas fuisse. Quantum vero ad observationem Macchiavelli; nimirum zelotypiam et æmulationem sectarum ad exstinguendam rerum memoriam multa molitam: qui Gregorio magno notam inurit, ac si pro viribus suis antiquitates omnes ethnicorum suppressere annixus fuerit: non video certe, hujusmodi zelos aut notabile quidpiam efficere, aut diu durare: id quod liquet in successione Sabiniani, qui antiquitates easdem statim resuscitavit: tum vero prohibita, licet tenebris cooperta, obrepunt tamen, et suas nanciscuntur periodos.

Vicissitudines sive mutationes in globo superiori fusius in hoc sermone tractandæ non sunt. Forsitan annus magnus Platonis, nisi mundus ante dissolutioni esset destinatus, aliquem sortiri possit effectum: non in renovandis corporibus individuorum (id enim fumus et vanitas eorum est, qui opinantur, corpora cœlestia accuratioris in hæc inferiora habere influentias, quam revera habent) sed tantum in summis et inassis rerum. Cometæ proculdubio aliquid operantur super easdem summas et massas rerum; verum homines ut nunc est indiligentes, aut curiosi circa eos sunt; eosque potius mirabundi spectant, atque itineraria eorundem conficiunt, quam effectus eorum prudenter et sobrie notant; præcipue effectus eorum comparativos; id est, cometa talis magnitudinis; talis coloris et lucis; conversionis radorum; situs, quatenus ad regionem cœli; tempestatis anni; semitæ aut cursus; durationis; quales producat effectus.

Leviculum quiddam est, quod olim inaudivèram, neque tamen prorsus contemni volo, sed in observationem aliquam venire. Ferunt a Belgis notatum esse,

singulis septenis lustris, similem annorum temperaturam et tempestatem cœli velut in orbem redire : exempli gratia ; magnas glacies, inundationes magnas, magnas siccitates, hiemes tepidas, æstates frigidiores ; et similia. Vocant autem hujusmodi circulum annorum, **Primam**. Hoc autem ideo recenseo, quod, oculos in præterita conjiciens, hujusce rei inveni congruentiam ; haud exactam sane, sed non multum discrepantem.

Verum transeamus a naturalibus ad humana. **Maxima** apud homines vicissitudo est illa sectarum et religionum. Hi enim orbis animis hominum maxime dominantur. Religio vera super petram ædificata est ; reliquæ fluctibus temporum agitantur. Dicamus igitur de novarum sectarum causis ; atque consilii aliquid circa eas inspergamus ; quatenus humani ingenii infirmitas tantis revolutionibus moras injicere, aut remedia exhibere poterit.

Quando religio recepta discordiis laceratur, sanctitas item professorum labefactata est, et scandalo exposita ; simulque tempora stupida, indocta, et barbara sunt ; a novæ alicujus sectæ ortu merito metuendum ; præcipue, si eo tempore ingenium aliquod intemperans, et paradoxa spirans, suboritur. Quæ omnia tenuerunt, Mahometes cum legem suam promulgavit. Secta nova licet pullulet, duobus si destituatur adminiculis, ab ea non metuas ; non enim late se diffundet. Primum est, imperii, sive auctoritatis stabilitæ, oppugnatio ; nihil enim magis populare est, quam principatus et politias convellere. Alterum est, porta luxuriæ et voluptatibus aperta : hæreses enim speculativæ (qualis fuit olim Arianorum, et hodie Arminianorum) etsi in hominum ingenia miris modis operentur, statum tamen rerumpublicarum non magnopere concutient, nisi ex occasione motuum civilium. Modi tres sunt, quibus novæ sectæ plantantur ; miraculis, eloquentia, et gladio. Equidem martyria inter miracula numero ; quoniam vires naturæ humanæ excedere videntur : idem etiam facere licet de excelsa illa et admirabili vitæ sanctimonia. Certe non alia melior via est ad sectarum et schismatum ortus repellendos, quam abusu reformatio ; dissidiorum minorum Pacificatio ; leniter a principio procedere, et a

sanguinariis persecutionibus abstinere: schismatum denique coryphæos favoribus potius et dignitatibus mollire atque allicere, quam violentia et sævitia exacerbare.

Mutationes et vicissitudines in rebus bellicis haud paucae sunt; sed præcipue in tribus versantur: in sede belli; in genere armorum; et in disciplina militari. Bella, antiquis temporibus, movere videbantur ex oriente potissimum in occidentem: etenim Persæ, Assyrii, Arabes, Scythæ (qui invasores erant) omnes orientales fuerunt. Verum est, Gallos fuisse occidentales; sed de duabus tantum ipsorum incursionibus legimus; una in Gallo-Græciam, altera contra Romanos. Attamen oriens et occidens cœli climata non determinant; neque etiam belli motus ab oriente, aut ab occidente, aliquid certæ observationis recipiunt. Sed meridies et septentrio natura fixi sunt: atque raro in omni memoria invenitur, meridionales interiores invasisse septentrionales; sed e contra. Unde manifestum est, tractum mundi septentrionalem, natura ipsa, magis esse bellicosum; sive hoc ascribi possit hujus hemisphærii stellis; sive amplitudini continentium ad partes septentrionales, cum partes australes (quantum adhuc innotuit) maria fere occupant; sive (id quod manifestissimum est) frigoribus climatis borealis; nam hoc ipsum, absque alia causa quacunque, corpora indurat, spiritus inflammat: ut liquet in populo Araucensi; qui ad ulteriora austri positi, omnibus Peruviansibus fortitudine longe præcellunt.

Imperio aliquo magno labascente, et viribus fracto, pro certo bella expectes. Etenim imperia magna, dum invigore sunt, copias nativas provinciarum enervant et destruunt, propriis cohortibus domi fidentia: cum autem et illæ deficiunt, omnia ruunt, atque aliis gentibus in prædam cedunt. Hoc evenit in declinatione imperii Romani; atque etiam in imperio occidentali, post Carolum magnum, cum aves singulæ plumas suas repeterent; atque simile quidpiam etiam imperio Hispano contingere possit, siquando viribus decideret. Ex altera parte, accessiones magnæ ditionum et uniones regnorum similiter bella suscitant: etenim, cum

status aliquis in potentiam majorem insurgit, similis est fluvio intumescenti, qui inundationem statim minatur; ut videre est in imperiis Romanorum, Turcarum, Hispanorum, et aliorum. Attende; cum mundus nationibus barbaris minus abundet, sed civiliores fere sunt; qui uxores temere non ducent, nec liberos progignent, nisi modum familiam alendi, aut saltem victum parandi, præviderint (ut fit in omnibus prope nationibus hodierno die, exceptis Tartaris) non ingruit periculum ab inundationibus aut migrationibus populorum: at cum populorum greges magni sunt, qui perpetuo sobolem suscipiunt, de fortunis et sustentatione sua in futurum minime solliciti; necessarium est, ut in seculo uno aut altero portionem aliquam multitudinis suæ exonerent; et novas sedes quærant, et sic alias nationes invadant; quod populi septentrionales veteres sorte facere solebant: sortès dantes, quæ pars domi maneret, quæ autem alio migraret. Cum gens aliqua, prius bellicosa, ad mollitiem et luxuriam degenerat, de bello certe esse possit; status enim tales plerunque, dum degenerant, opes accumulunt; adeo ut præda invitet, et declinatio virium animet gentes alias ad eosdem invadendos.

Quantum ad armorum et telorum genus; illorum mutationes sub observationem vix cadunt: attamen et hæc ipsa periodos et vicissitudines suas sortiuntur. Pro certo enim est, tormenta ænea, apud urbem Oxydracarum in India, tempore Alexandri magni, cognita fuisse; eaque a Macedonibus, tonitrua, et fulgura, et operationes magicas, habita et appellata. Similiter indubitatum est usum pulveris pyrii, et tormentorum igneorum, Chinensibus, ante annos bis mille, innotuisse. Conditiones telorum, et mutationes in melius, hæc sunt. Primo, ut ad distantiam majorem feriant: id enim periculum ab hostili parte anticipat; quod certe tormenta et sclopeta majora præstant. Secundo, ut impetus eorum fortior et validior sit; in quo genere tormenta ignea arietationes omnes et antiquas machinas item superant. Tertio, ut usus eorum commodior et facilius sit; id quod etiam tormentis igneis majoribus competit: quæ omnibus tempestatibus idonea; vectura levia et mobilia sunt; et his similia.

Quod ad militiam attinet: antiquis temporibus numerum præcipue curabant; virtuti et animis militum in bellis gerendis fidebant; dies sæpius et loca præliandi constituebant, et æquo Marte experiebantur; denique in acie instruenda et ordinanda imperitiores fere erant. Postea numerum præobtabant commodum potius, quam vastum; locorum opportunitates, diversionum artificia, et similia, captabant; postremo, in acie ipsa instruenda peritiores evadebant.

In reipublicæ alicujus adolescentia arma florent; ætate media, literæ; ac deinceps ad moram aliquam duo illa simul florere solent: devexa autem ætate, artes mechanicæ et mercatura. Literæ vero suam habent infantiam, quando leviusculæ sunt, et pueriles: sequitur earum adolescentia, quando luxuriantur et juvenile quiddam sapiunt: succedit ætas virilis, quando solidiores et exactiores deveniunt: postremo senectus earum obrepit, cum sicca et exhaustæ fiunt; manente tamen garrulitate. Verum consultum non fuerit, in rotas hasce vicissitudinum nimis longum oculos figere, ne vertiginè corripiamur. Quatenus vero ad philologiam, quæ in hoc argumento ut plurimum versatur, nihil aliud est, quam narratiuncularum et observationum futilium congeries quædam; ideoque scripto huic minime congruit.





**FRANCISCI BACONI**  
**EQUITIS AURATI,**  
**PROCURATORIS SECUNDI**  
**JACOBI REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ,**  
**DE**  
**SAPIENTIA VETERUM,**  
**LIBER,**  
**AD**  
**INCLYTAM ACADEMIAM CANTABRIGIENSEM.**

ILLUSTRISSIMO VIRO  
COMITI SARISBURIENSI,

*Summo Thesaurario Angliæ, et Cancellario Academia Cantabrigiensi.*

QUÆ academiæ Cantabrigiensi dicantur, tibi jure cancellarii accrescunt; quæ autem a me proficisci possunt omnia, tibi nomine proprio debentur. Illud magis videndum, num ista, ut tibi debita, ita etiam te digna sint: atque quod in illis minimum est, ingenium auctoris, id propter tuum propensum in me animum nihil officiet; cætera dedecori non erunt. Nam si tempus spectetur; antiquitas primæva summam venerationem habet: si docendi forma; parabola veluti arca quædam est, in qua pretiosissima quæque scientiarum reponi consueverunt: si operis materia; ea philosophia est, vitæ scilicet atque animæ humanæ decus secundum. Fas sit enim dixisse, quamvis philosophia, seculo nostro veluti per senium repuerascens, adolescentibus et fere pueris relinquatur; eam tamen omnium rerum, post religionem, gravissimam, atque natura humana maxime dignam esse plane censeo. Etiam politica, in qua te mirabilem præbes et facultate, et meritis, et sapientissimi regis judicio, ab eodem fonte emanat, ejusque pars magna est. Quod si cui ista, quæ afferro, vulgata esse videantur: certe quid effecerim, judicium meum non est; id tamen secutus sum, ut, manifesta, et obsoleta, et locos communes prætervectus, aliquid etiam ad vitæ ardua et scientiarum arcana conferam. Erunt itaque captui vulgari vulgaria: altiorem autem intellectum fortasse non deserent, sed potius (ut spero) deducent: verum dum huic operi dignitatem nonnullam astruere conor, quod ad te dicatum sit; periculum est, ne modestiæ fines transeam, cum a me sit susceptum. Tu vero illud tanquam pignus affectus erga te mei, et observantiæ, et animi maxime devoti accipies, eique præsidium nominis tui imperties. Quare cum tot et tanta sustineas, tempora tua diutius non morabor; sed finem faciam, tibi felicia omnia precatus, et perpetuo futurus

*Tibi, et studio suo, et beneficiis tuis devinctissimus,*

FRA. BACONUS.

ALMÆ MATRI  
INCLYTÆ ACADEMIÆ  
CANTABRIGIENSI.

---

Cum sine philosophia me certe nec vivere juvet; merito vos in magno honore habeo, a quibus mihi ista vitæ præsidia et solatia fluxerint. Itaque hoc nomine, et me, et mea vobis debere profiteor, quo minus mirum sit, si vos vestris remunerem; ut motu naturali redeant a quo traxerint originem. Et tamen, nescio quomodo, rara videntur vestigia vos retrorsum spectantia: cum infinita a vobis profecta sint. Nec nimium mihi sumam (ut opinor) si sperem, propter rerum usum mediocrem, quod nostrum vitæ genus et institutum necessario traxit, nonnullam ad hominum doctorum inventa, per hæc nostra, factam esse accessionem. Equidem in ea opinione sum, contemplationes, in vitam activam translatas, nonnihil novi decoris et vigoris acquirere; et suppetente uberiore materia, et magis altas fortasse radices agere, aut certe magis proceras et frondosas evadere. Neque vos (ut arbitror) ipsi nostis, quam late pateant vestra, quamque ad multa pertineant. Æquum est tamen omnia vobis attribui, atque in vestrum honorem cedere, cum accessiones quæque principiis magna ex parte debeantur. Neque vero ab homine occupato aliquid exquisitum, aut otii miracula, et prærogativas requiretis; sed et hoc amori meo summo erga vos et vestra tribuetis, quod intra rerum civilium spinas hæc non prorsus perierint, sed vobis vestra servata sint. Valete.

*Alumnus vester amantissimus,*

FRA. BACONUS.

## PRÆFATIO.

---

ANTIQUITATEM primævam (exceptis quæ in sacris literis habemus) oblivio et silentium involvit: silentia antiquitatis fabulæ poëtarum exceperunt: fabulis tandem successere scripta quæ habemus; adeo ut antiquitatis penetralia et recessus a sequentium seculorum memoria et evidentia, tanquam velo fabularum, discreta et separata sint; quod se interposuit et objecit medium inter ea, quæ perierunt, et ea, quæ extant. Equidem existimo plerosque in ea opinione fore, me delicias ac ludos facere; atque similem fere licentiam in transferendis fabulis usurpare, ac ipsi poëtæ sibi sumpserint in fingendis; quod pro meo jure sane facere possem, ut contemplationibus magis arduis hæc, ad voluptatem sive meditationis propriæ, sive lectionis alienæ, aspergerem. Neque me latet quam versatilis materia sit fabula, ut huc illuc trahi, imo et duci possit; quantumque ingenii commoditas et discursus valeat, ut quæ nunquam cogitata sint, belle tamen attribuantur. Etiam illa cogitatio animum subit, usum hujusce rei jampridem contaminatum esse: multi enim, ut inventis et placitis suis antiquitatis venerationem acquirerent, poëtarum fabulas ad ea traducere conati sunt: atque vetus illa vanitas et frequens, nec nuper nata, aut raro usurpata est. Nam et olim Chrysippus stoicorum opinionis vetustissimis poëtis, veluti somniorum aliquis interpres, ascribere solebat; et magis insulse chemici ludos et delicias poëtarum in corporum transformationibus, ad fornacis experimenta transtulerunt. Hæc (inquam) cuncta nodis satis et explorata et expensa sunt; omnemque ingeniorum circa allegorias

levitatem et indulgentiam perspeximus et notavimus, neque propterea omnino de sententia decedimus. Primo enim absit ut paucorum ineptiæ et licentia, parabolæ honori in genere detrahant. Hoc enim prophanum quiddam sonat et audax, cum hujusmodi velis et umbris religio gaudeat, ut qui eas tollat, commercia divinorum et humanorum fere interdicat. Verum de humana sapientia videamus. Fateor certe ingenue et libenter, me in hanc sententiam propendere, ut non paucis antiquorum poëtarum fabulis mysterium et allegoriam jam ab origine subesse putem; sive captus veneratione prisca seculi; sive quod in nonnullis fabulis reperio tantam et tam evidentem cum significato similitudinem et conjunctionem, tum in textura ipsa fabulæ, tum in proprietate nominum, quibus personæ sive actores fabulæ insigniti et veluti inscripti prodeunt; ut sensum illum ab initio præceptum et cogitatum fuisse, et de industria adumbratum, nemo constanter negaverit. Quis enim ita durus est et ad aperta cæcutiens, ut, cum audiat Famam, gigantibus extinctis, tanquam sororem posthumam progenitam esse, non illud ad murmura partium et famas seditiosas, quæ, sopitis rebellionibus, ad tempus vagari solent, referat? Aut cum audiat Typhonem gigantem nervos Jovis secuisse et abstulisse, ac Mercurium eos suffuratum esse, et Jovi reddidisse; non statim advertat hoc ad rebelliones prævalidas pertinere, quæ regibus nervos et pecuniarum et auctoritatis incidunt, ita tamen, ut per sermonum comitatem et prudentia edicta animi subditorum, non ita multo post, quasi furtim reconcilientur et vires regibus restituantur? Aut cum audiat, in illa memorabili Deorum contra gigantes expeditione, asinum Sileni cum ruderet maximi momenti ad profligandos gigantes fuisse; non liquido cogitet hoc de vastis rebellium conatibus, qui plerumque per inanes rumores et terrores vanos dissipantur, confictum fuisse? Etiam nominum conformitas et iudicium cui tandem hominum obscurum esse potest? cum Metis uxor Jovis plane consilium sonet; Typhon tumorem; Pan universum; Nemesis vindictam; et similia. Neque illud quenquam moveat, si aliquid inter-

dum historiæ subsit, aut si nonnulla ornamenti gratia addita sint, aut si tempora confundantur, aut si ex una fabula quippiam transferatur in aliam, et nova allegoria inducatur. Necesse enim fuit hæc fieri, cum inventa virorum fuerint, qui et ætate disjuncti, et instituto diversi erant; cum alii antiquiores, alii recentiores fuerint, alii rursus naturam rerum, alii res civiles sibi proponerent. Habemus etiam et aliud sensus occulti et involuti signum non parvum, quod nonnullæ ex fabulis tam absurdæ narratione ipsa et insulsæ inveniantur, ut parabolam etiam ex longinquo ostentent, et veluti clament. Quæ enim probabilis est fabula, etiam ad voluptatem et historiæ similitudinem conficta existimari potest: quod autem nulli in mentem venisset cogitare, aut narrare, id in alios usus quæsitum videtur. Quale enim figmentum illud; Jovem Metin in uxorem accepisse, eamque statim ut gravidam sensisset comedis, unde ipse gravidus fieri cœpit, et Palladem armatam ex capite peperit? Equidem existimo nulli mortalium obvenire vel somnium tam extra cogitationis vias situm et monstrosum. Ante omnia illud apud nos maxime valuit, et plurimum ponderis habuit, quod ex fabulis complures nullo modo nobis videntur ab eis inventæ, a quibus recitantur et celebrantur, Homero, Hesiodo, reliquis; si enim liquido nobis constitisset eas ab illa ætate atque illis auctoribus manasse, a quibus commemorantur et ad nos devenerunt, nil magni certe aut excelsi ab hujusmodi origine nobis (ut nostra fert conjectura) expectare aut suspicari in mentem venisset. Verum, si quis attentius rem consideret, apparebit, illas tradi et referri tanquam prius creditas, et receptas, non tanquam tum primo excogitatas et oblatas. Quinetiam cum diversis modis a scriptoribus fere cœvis referantur, facile cernas, quod commune habent, ex veteri memoria desumptum; in quo variant, ex singulorum ornatu additum. Atque hæc res existimationem earum apud nos auxit, ac si nec ætatis, nec inventionis poëtarum ipsorum essent: sed veluti reliquiæ sacræ, et auræ tenues, temporum meliorum; quæ ex traditionibus nationum magis antiquarum in Græcorum tubas et

fistulas incidissent. Quod si quis obstinato animo contendat, allegoriam in fabula semper subdititiam et impositam, nec omnino nativam et genuinam fuisse: ei molesti non erimus, sed gravitatem illam iudicii, quam affectat, licet hebetiorem et fere plumbeam, remittemus; atque illum (si modo dignus sit) alio modo, tanquam de integro adoriemur. Duplex apud homines repertus est atque increbuit parabolæ usus, atque, quod magis mirum sit, ad contraria adhibetur. Faciunt enim parabolæ ad involucrem et velum; faciunt etiam ad lumen et illustrationem. Atque misso illo usu priore (potius quam lites suscipiamus) et receptis fabulis antiquis, tanquam rebus vagis et ad delectationem compositis; manet tamen proculdubio posterior iste usus, neque ulla ingenii violentia nobis extorqueri possit, neque impedit quisquam (qui sit mediocriter doctus) quin protinus recipiatur modus iste docendi, tanquam res gravis et sobria, atque omnis vanitatis expers, et scientiis apprime utilis, imo et quandoque necessaria; nimirum ut in inventis nobis, et ab opinionibus vulgaribus remotis et penitus abstrusis, aditus ad intellectum humanum magis facilis et benignus per parabolas quaeratur. Itaque antiquis seculis, cum rationis humanæ inventa, et conclusiones etiam eæ quæ nunc tritæ et vulgatæ sunt, tunc temporis novæ et insuetæ essent, omnia fabularum omnigenum, et ænigmatum, et parabolæ, et similitudinum plena erant: atque per hæc docendi ratio, non occultandi artificium, quaesitum est; rudibus scilicet tunc temporis hominum ingeniis, et subtilitatis, nisi quæ sub sensum cadebat, impatientibus et fere incapacibus. Nam ut hieroglyphica literis, ita parabolæ argumentis erant antiquiores. Atque etiam nunc, si quis novam in aliquibus lucem humanis mentibus affundere velit, idque non incommode et aspere, prorsus eadem via insistendum est, et ad similitudinum auxilia confugiendum. Quare quæ dicta sunt, ita claudemus. Sapientia prisca seculi, aut magna aut felix fuit: magna, si de industria excogitata est figura sive tropus: felix, si homines, aliud agentes, materiam et occasionem tantæ contemplationum dignitati præ-

buere. Operam autem nostram (si quid in ea sit quod juvet) in neutra re male collocatam censebimus. Aut enim antiquitatem illustrabimus, aut res ipsas. Neque nescius esse possem hanc rem ab aliis tentatam esse: sed tamen, ut, quod sentiam, eloquar, idque non fastidiose, sed libere, ejus decus et virtus ex hujusmodi laboribus, licet magnis et operosis, fere periit; dum homines, rerum imperiti et non ultra locos certos communes docti, parabolarum sensus ad vulgaria quædam et generalia applicaverunt, atque earundem vim veram, et proprietatem genuinam, ac indignationem altiorem, non attigerunt. Nos autem erimus (ni fallimur) in rebus vulgatis novi; et aperta et plana a tergo relinquentes, ad ulteriora et nobiliora tendemus.



DE

## SAPIENTIA VETERUM.

---

### I. CASSANDRA, SIVE PARRHESIA.

NARRANT Cassandram ab Apolline adamatam fuisse, atque variis artificiis ejus desideria elusisse, spes nihilominus fovisse quousque donum divinationis ab eo extorsisset; tum vero, nactam quod ab initio dissimulatione sua quæsivisset, preces ejus aperte rejecisse: illum, cum quod temere largitus erat nullo modo revocare posset, et tamen vindicta arderet, nec fœminæ callidæ ludibrio esse vellet, muneri suo pœnam addidisse; ut illa quidem vera semper prædiceret, sed nemo ei crederet: itaque vaticiniis ejus veritas affuit; fides defuit: quod illa perpetuo experta est etiam in excidio patriæ suæ, de qua sæpius monuerat, nemine auscultante aut credente.

Fabula de intempestiva et inutili libertate consiliorum et monitorum conficta videtur: qui enim ingenio sunt pervicaci et aspero, nec se Apollini, id est, deo harmoniæ, submittere volunt, ut rerum modos et mensuras, sermonumque veluti tonos acutos et graves, aurium etiam magis peritarum et magis vulgarium differentias, tempora denique tum loquendi, tum silendi, ediscant et observent; licet sint prudentes et liberi, et consilia afferant sana et bona, nunquam tamen fere suasu et impetu suo proficiunt, neque ad res tractandes efficaces sunt; sed potius exitium eis, apud quos se ingerunt, maturant, et tum demum post calamitatem et eventum ut vates et in longum prospicientes celebrantur. Atque hujus rei exemplum eminet in M. Catone Uticensi. Ille enim interitum patriæ, et tyrannidem primo ex conspiratione, deinde ex contentione

Cæsaris cum Pompeio secutam, diu ante, tanquam e specula prævidit, et tanquam ex oraculo prædixit: sed nil profecit interim, verum obfuit potius, et mala patriæ acceleravit. Id quod prudenter advertit, et eleganter describit M. Cicero, cum ad æmicum ita scribat: *Cato optime sentit, sed nocet interdum reipublicæ: loquitur enim tanquam in republica Platonis, non tanquam in fæce Romuli.*

## II. TYPHON, SIVE REBELLIS.

NARRANT poëtæ Junonem, indignatam quod Jupiter Palladem ex sese sine ea peperisset, omnes deos atque deas precibus fatigasse, ut ipsa etiam sine Jove partum ederet: et postquam violentiæ et importunitati ejus annuissent, terram illa concussit, ex quo motu Typhon natus est, monstrum ingens et horrendum. Ille serpenti veluti nutritio datus est, ut ab eo aleretur. Nec mora, postquam adolevisset, quin bellum Jovi moveret. In eo conflictu Jupiter in potestatem gigantis venit, qui illum, in humeros sublatum, in regionem remotam et obscuram transportavit, et concisis nervis et manuum et pedum, et secum abreptis, mancum et mutilatum reliquit. Mercurius autem nervos Jovis Typhoni suffuratus est, atque eos Jovi restituit. Jupiter confirmatus, belluam rursus impetiit; ac primum fulmine vulneravit, ex cujus sanguine serpentes nati sunt. Tum demum ruentem et fugientem (Ætnam super eum jaculatus) mole montis oppressit.

Fabula de fortuna regum varia et rebellionibus, quæ in monarchiis quandoque evenire consueverunt, conficta est. Reges enim regnis suis, ut Jupiter Junoni, veluti matrimonii vinculo juncti recte censentur: sed accidit nonnunquam ut imperandi consuetudine depravati, et in tyrannidem vergentes, omnia ad se trahant, et, contempto ordinum et senatus sui consensu, ex sese pariant: id est, ex arbitrio proprio et imperio mero cuncta administrent. Id populi ægre ferentes, et ipsi moliantur coput aliquod rerum ex sese creare et extollere. Ea res ex occulta sollicitatione nobilium et procerum fere initia sumit, quibus conniventibus, tum

populi suscitatio tentatur; ex qua tumor quidam rerum (per Typhonis infantiam significatus) sequitur. Atque iste rerum status ab insita plebis pravitate et natura maligna (serpente regibus infestissimo) nutricatur. Defectione autem viribus coalita, postremo res in apertam rebellionem erumpit; quæ, quia infinita mala et regibus et populis infligit, sub dira illa Typhonis effigie repræsentatur, in qua centum capita ob divisas potestates, ora flammantia ob incendia, anguium cingula ob pestilentias (præsertim in obsidionibus) manus ferreæ ob cædes, ungues aquilini ob rapinas, corpus plumis contectum ob perpetuos rumores, et nuncios et trepidationes, et hujusmodi. Atque interdum rebelliones istæ tam prævalidæ sunt, ut reges cogantur, tanquam a rebellibus transportati, relictis regni sedibus et urbibus primariis, vires contrahere, et in remotam aliquam et obscuram provinciam ditionis suæ se recipere, nervis et pecuniarum et majestatis accisis: sed tamen non ita multo post, fortunam prudenter tolerantes, virtute et industria Mercurii nervos recipiunt, hoc est, affabiles facti, et per edicta prudentia, et sermones benignos, reconciliatis subditorum animis et voluntatibus, tandem alacritatem ad impensas conferendas, et novum auctoritatis vigorem excitant. Nihilominus, prudentes et cauti, aleam fortunæ tentare plerumque nolunt, et a pugna abstinere; sed tamen operam dant ut aliquo facinore memorabili existimationem rebellium frangant. Quod si ex voto succedat, illi, vulneris accepti conscii, et rerum suarum trepidi, primo ad fractas et inanes minas, veluti serpentum sibilos, se vertunt: deinde, rebus desperatis, fugam capessunt. Atque tum demum, postquam ruere incipiant, tutum est et tempestivum regibus copiis, et universa mole regni, tanquam Ætnæ monte, eos persequi et opprimere.

### III. CYCLOPES, SIVE MINISTRI TERRORIS.

NARRANT Cyclopes ob feritatem et immanitatem primo a Jove in Tartarum detrusos, et perpetuo carceri adjudicatos fuisse: verum postea Tellus Jovi persuasit,

ei non abs re fore, si eos vinculis liberaret, et eorum opera ad fulmina fabricanda uteretur. Quod et factum est, atque illi officiosi et industrii fulmina atque alia terroris instrumenta assiduo opere et minaci strepitu fecerunt. Tempore autem labente evenit, ut Jupiter Æsculapio Apollinis filio succenseret, ob hominem medicina a morte excitatum; iram autem tegens (quia parum justa indignandi causa suberat ob facinus pium et celebre) Cyclopes in eum secreto instigavit, qui, nihil cunctati, fulmine eum interemere: in cuius rei vindictam, Apollo, Jove non prohibente, sagittis eos confecit.

Fabula ad regum facta pertinere videtur. Illi enim ministros sævos, et sanguinarios, et exactores, primo suppliciiis afficiunt, et a rebus summovent: postea, ex consilio Telluris, id est, ignobili et parum honorifico, prævalente utilitate, eos rursus adhibent, sicubi aut executionum severitate aut exactionum acerbitate opus est. Illi, natura truces, et ex priore fortuna exasperati, et satis sentientes quid ab illis exspectetur, miram diligentiam in hujusmodi rebus præstant; sed parum cauti, et ad gratiam ineundam et aucupandam præcipites, aliquando ex secretis principum nutibus et incertis mandatis invidiosam aliquam executionem peragunt. Principes autem invidiam declinantes, et satis gnari hujusmodi instrumenta nunquam sibi defutura, eos destituunt: et propinquis et amicis eorum, qui pœnas subierunt, atque horum delationibus et vindictæ, et odio populari eos relinquunt, unde magno plausu, ex prosperis in reges votis et acclamationibus, sero magis quam immerito pereunt.

#### IV. NARCISSUS, SIVE PHILAUTIA.

NARCISSUS fuisse traditur forma et venustate mirabilis, sed suberat superbia ingens, et fastidium intolerandum. Itaque cum sibi placeret, alios despiceret, vitam egit solitariam in sylvis et venationibus, cum paucis comitibus, quibus ipse omnia erat. Assectabatur etiam eum ubique nymp̄ha Echo. In hoc vitæ instituto fatale ei erat ad fontem quendam limpidum

venire, et juxta eum sub æstum mediæ diei decumbere. Cum autem in aqua imaginem propriam aspexisset, in contemplationem sui, ac deinde in admirationem effusus et raptus, nullo modo ab hujusmodi spectro et simulacro distrahi poterat; sed perpetuo defixus obtorpuit; ac tandem in florem nominis sui conversus est; qui flos ineunte vere se ostendit, et diis inferis, Plutoni, Proserpinæ, et Eumenidibus sacer est.

Fabula illorum et ingenia et fortunas repræsentare videtur, qui, sive ob formam, sive ob aliquas alias doctes, quibus ab ipsa natura, nulla accedente industria propria, ornati et insigniti sunt, effuse seipsos amant, et quasi depereunt. Cum hoc enim animi statu conjunctum fere est, ut non multum in publico, aut in rebus civilibus versentur; cum in eo vitæ genere necesse sit occurrere multis neglectus et vilipendia, quæ animos eorum dejicere et turbare possint. Itaque vitam plerumque degunt solitariam, et privatam, et umbratilem, cum perpauco comitum delectu, eoque ex iis, qui illos magnopere colere et admirari videntur, quique illis veluti echo in omnibus dictis suis assentantur, et verborum obsequia præstant. Ex hac consuetudine depravatos et inflatos, et tandem admiratione sui ipsius attonitos, mira occupat desidia et inertia, ut prorsus torpeant, et omni vigore et alacritate destituantur. Eleganter autem sumitur flos vernus ad hujusmodi ingeniorum similitudinem, cum illa ingenia sub initia sua floreat et celebrentur, sed ætate confirmata exspectationem de iis conceptam destituant et frustrentur. Eodem pertinet, quod flos ille diis inferis sacer sit; quia homines talis indolis ad omnia inutiles prorsus evadunt. Quicquid autem nullum ex se fructum edit, sed (veluti via navis in mari) transit et labitur, id apud antiquos umbris et diis inferis consecrari solebat.

## V. STYX, SIVE FÆDERA.

PERVULGATA est narratio, et in compluribus fabulis interponitur, de unico illo juramento, quo dii superi se obstringere solebant, cum pœnitentiæ locum sibi nullo modo relinqui volebant. Illud juramentum nullam

majestatem cœlestem, nullum attributum divinum advocabat et testabatur; sed Stygem, fluvium quendam apud inferos, qui atria Ditis, multis spiris interfusus, cingebat. Hæc enim formula sacramenti sola, neque præter eam alia quæpiam firma habita est et inviolabilis: scilicet incumbibat pœna perjurii, diis imprimis metuenda, ut qui fefellisset, ad deorum convivia per certa annorum spatia non accederet.

Fabula de fœderibus et pactis principum conficta videtur: in quibus illud nimio plus, quam oporteret, verum est, fœdera, quacunque solennitate et religione juramenti munita, parum firma esse; adeo ut fere ad existimationem quandam, et famam, et ceremoniam magis, quam ad fidem, et securitatem, et effectum adhibeantur. Quin si accesserint etiam affinitatis vincula, veluti sacramenta naturæ, si merita mutua, tamen omnia infra ambitionem, et utilitatem, et dominationis licentiam esse, apud plerosque reperiuntur. Tanto magis, quod principibus facile sit, per prætextus varios et speciosos, cupiditates suas et fidem minus sinceram (nemine rerum arbitro, cui ratio sit reddenda) tueri et velare. Itaque unum assumitur verum et proprium fidei firmamentum, neque illud divinitas aliqua cœlestis: ea est necessitas (magnum potentibus numen) et periculum status, et communicatio utilitatis. Necessitas autem per Stygem eleganter præsentatur, flumen fatale et irremeabile. Atque hoc numen advocavit ad fœdera Iphicrates Atheniensis, qui quoniam inventus est, qui ea aperte loqueretur, quæ plerique tacite animo volvunt, non abs re sit, ipsius verba referre. Is cum Lacedæmonios varias cautiones, et sanctiones, et fœderum firmamenta et vincula excogitare et proponere animadverteret, interfatus: *Unum* (inquit) *Lacedæmonii, nobis vobiscum vinculum, et securitatis ratio esse possit, si plane demonstratis, vos ea nobis concessisse, et inter manus posuisse, ut vobis facultas lædendi nos, si maxime velle-tis, minime suppetere possit.* Itaque si facultas lædendi sublata sit, aut si ex fœdere rupto periculum ingruat perditionis, aut diminutionis status, aut vectigalium, tum demum fœdera rata et sancta, et tanquam juramento Stygis confirmata censeri possint: cum metus

subsit interdicti illius et suspensionis a conviviis deorum; sub quo nomine imperii jura et prærogativæ, et affluentia et felicitas antiquis significantur.

## VI. PAN, SIVE NATURA.

ANTIQUI universam naturam sub persona Panis diligentissime descripserunt; hujus generationem in dubio relinquunt. Alii enim asserunt eum a Mercurio genitum; alii longe aliam generationis formam ei tribuunt; aiunt enim procos universos cum Penelope rem habuisse, ex quo promiscuo concubitu Pana communem filium ortum esse. Atque in hac posteriore narratione, proculdubio, aliqui ex recentioribus veteri fabulæ nomen Penelopes imposuere, quod et frequenter faciunt, cum narrationes antiquiores ad personas et nomina juniora traducunt, idque quandoque absurde et insulse; ut hic cernere est; cum Pan ex antiquissimis diis, et longe ante tempora Ulyssis fuerit, atque insuper Penelope ob matronalem castitatem antiquitati venerabilis haberetur. Neque prætermittenda est tertia illa generationis explicatio: quidam enim prodiderunt eum Jovis et Hybreos, id est, contumeliæ, filium fuisse. Utcunque orto, Parcæ illi sorores fuisse perhibentur. Effigies autem Panis talis ab antiquitate describitur: cornutus, cornibus usque ad cælum fastigiatis, corpore toto hispidus et villosus, barba imprimis promissa. Figura biformis, humana quoad superiora, sed semifera, et in capræ pedes desinens. Gestabat autem insignia potestatis, sinistra fistulam, ex septem calamis compactam; dextra pedum, sive lignum, superius curvum et inflexum; induebatur autem chlamyde ex pelle pardalis. Potestates ei et munera hujusmodi attribuuntur, ut sit deus venatorum, etiam pastorum, et in universum rucolarum: præses item montium: erat etiam proximus Mercurio nuncius deorum. Habebatur insuper dux et imperator nympharum, quæ circa eum perpetuo choreas ducere et tripudiare solebant: comitabantur et Satyri, et his seniores Sileni. Habebat etiam potestatem terrores immittendi, præsertim inanes, et superstitiosos,

Fabula hæc invenitur, in libro secundo De augmentis scientiarum, aucta et locupletata.

qui et Panici vocati sunt. Res gestæ autem ejus non multæ memorantur: illud præcipuum, quod Cupidinem provocavit ad luctam, a quo etiam in certamine victus est. Etiam Typhonem gigantem retibus implicavit et cohibuit: atque narrant insuper, cum Ceres, mœsta et ob raptam Proserpinam indignata, se abscondisset, atque dii omnes ad eam investigandam magnopere incubuissent, et se per varias vias disperstiti essent; Pani solummodo ex felicitate quadam contigisse ut inter venandum eam inveniret et indicaret. Ausus est quoque cum Apolline de victoria musices decertare, atque etiam, Mida judice, prælatus est: ob quod judicium Midas asininas aures tulit, sed clam et secreto. Amores Panis nulli referuntur, aut saltem admodum rari, quod mirum inter turbam deorum, prorsus tam profuse amatoriam, videri possit. Illud solummodo ei datur, quod Echo adamaret, quæ etiam uxor ejus habitata est, atque unam etiam nympham, Syringam nomine, in quam, propter iram et vindictam Cupidinis (quem ad luctam provocare non reveritus esset) incensus est. Neque etiam prolem ullam suscepit (quod similiter mirum est, cum dii, præsertim masculi, prolifici admodum essent) nisi quod ei tribuatur tanquam filia, muliercula quædam ancilla, Iambe nomine, quæ ridiculis narratiunculis oblectare hospites solebat; ejusque proles ex conjuge Echo esse, a nonnullis existimabatur.

Fabula nobilis, si quæ alia, atque naturæ arcanis et mysteriis graviora, et quasi distenta.

Pan (ut et nomen ipsum etiam sonat) universitatem rerum, sive naturam, repræsentat et proponit. De hujus origine duplex omnino sententia est; atque adeo esse potest: aut enim a Mercurio est, verbo scilicet divino (quod et sacræ literæ extra controversiam ponunt, et philosophis iis, qui magis divini habitati sunt, visum est) aut ex confusis rerum seminibus. Qui enim unum rerum principium posuerunt, aut ad Deum illud retulerunt; aut si materiatum principium volunt, illud tamen potentia varium asseruerunt: adeo ut omnis hujusmodi controversia ad illam distributionem reducatur, ut mundus sit, vel a Mercurio, vel a procis omnibus.



*Namque canebat uti magnum per inane coacta  
Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,  
Et liquidi simul ignis : ut his exordia primis  
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.*

Virg.  
Ecl. vi.  
31.

Tertia autem generatio Panis ejusmodi est, ut videantur Græci aliquid de Hebræorum mysteriis, vel per Ægyptios internuncios, vel utcunque, inaudivisse; pertinet enim ad statum mundi non in meris natalibus suis, sed post lapsum Adami, morti et corruptioni expositum et obnoxium factum. Ille enim status Dei et peccati proles fuit, ac manet. Itaque triplex ista narratio de generatione Panis etiam vera videri possit, si rite et rebus et temporibus distinguatur: nam iste Pan, quem intuemur et contemplamur, ac nimio plus quam oportet colimus, ex verbo divino, mediante confusa materia (quæ et ipsa a Deo creata erat) et subintrante prævaricatione et corruptione, ortum habet.

Naturæ rerum, fata rerum, sorores vere perhibentur et ponuntur; naturalium siquidem causarum catenæ ortus rerum, et durationes, et interitus, et depressiones, et eminentias, et labores, felicitates, et fata denique omnia, quæ rebus accidere possunt, trahunt.

Cornua autem mundo attribuuntur. Quod cornua hujusmodi ab imo latiora, ad verticem acuta sint; id eo spectat, quod omnis rerum natura instar pyramidis acuta sit: individua enim infinita sunt; ea colliguntur in species et ipsas multiplices; species rursus insurgunt in genera; atque hæc quoque ascendendo in magis generalia contrahuntur, ut tandem natura tanquam in unum coire videatur. Neque mirum est Panis cornua etiam cælum ferire; cum summitates naturæ sive ideæ universales etiam ad divina quodammodo pertingant. Paratus enim et propinquus est transitus a metaphysica ad theologiam naturalem.

Corpus autem naturæ elegantissime et verissime depingitur hirsutum, propter rerum radios; radii enim sunt tanquam naturæ crines, sive villi, atque omnia fere vel magis vel minus radiosa sunt; quod in facultate visus manifestissimum est, nec minus in omni

virtute et operatione ad distans; quicquid enim operatur ad distans, id etiam radios emittere recte dici potest; sed maxime omnium prominet barba Panis, quia radii corporum cœlestium maxime ex longinquo operantur et penetrant. Quin et Sol, quando, parte superiore ejus nube obvoluta, radii inferius erumpunt, ad aspectum barbatus cernitur.

Etiam corpus naturæ rectissime describitur biforme, ob differentiam corporum superiorum et inferiorum. Illa enim, ob pulchritudinem et motus æquabilitatem et constantiam, necnon imperium in terram et terrestria, merito sub humana figura repræsentantur: hæc autem, ob perturbationem et motus incompósitos et quod a cœlestibus regantur, bruti animalis figura contenta esse possunt. Eadem corporis descriptio pertinet ad participationem specierum. Nulla enim natura simplex videri potest, sed tanquam ex duobus participans et concreta. Habet enim homo nonnihil ex bruto, brutum nonnihil ex planta, planta nonnihil ex corpore inanimato, omniaque revera biformia sunt et ex specie superiore et inferiore compacta. Acutissima autem est allegoria de pedibus capræ, propter motum ascensionis corporum terrestrium versus regiones aëris et cœli: capra enim animal scansorium est, eaque e rupibus pendere, atque in præcipitiis hærrere amat; quod etiam res, licet inferiori globo destinatae, miris modis faciunt, ut in nubibus et meteoris manifestissimum est.

Insignia autem in manibus Panis duplicia. Alterum harmoniæ, alterum imperii. Fistula enim ex septem calamis concentum rerum et harmoniam, sive concordiam cum discordia mistam, quæ ex septem stellarum errantium motu conficitur, evidenter ostendit. Pedum autem illud etiam nobilis translatio est; propter vias naturæ partim rectas, partim obliquas. Præcipue autem lignum, sive verga, versus superiorem partem curva est; quia omnia providentiæ divinæ opera in mundo fere per ambages et circuitus fiunt; ut aliud agi videri possit, aliud interim revera agatur; ut Josephi venditio in Ægyptum, et similia. Quinetiam in regimine humano omni prudentiore, qui ad gubernacula

sedent, populo convenientia per prætextus et vias obliquas felicius quæ volunt, quam ex directo, superinducunt et insinuant; adeo ut omnis imperii virga sive bacillum vere superius inflexum sit. Vestis Panis et amiculum ingeniose admodum ex pelle pardalis fuisse fingitur; propter maculas ubique sparsas; cælum enim stellis, maria insulis, tellus floribus consperguntur; atque etiam res particulares fere variegatæ esse solent circa superficiem, quæ veluti rei chlamys est.

Officium autem Panis nulla alia re tam ad vivum proponi atque explicari potuerit, quam ut Deus venatorum sit: omnis enim naturalis actio, atque adeo motus et processus, nihil aliud quam venatio est. Nam et scientiæ et artes opera sua venantur, et concilia humana fines suos, atque res naturales omnes vel alimenta sua tanquam prædam, vel voluptates suas tanquam solatium, venantur, idque modis peritis et sagacibus.

*Torva læna lupum sequitur, lupus ipse capellam :  
Florentem cytisum sequitur lasciva capella.*

Etiam ruricularum in genere Pan deus est, quia hujusmodi homines magis secundum naturam vivant, cum in urbibus et aulis natura a cultu nimio corrumpatur; ut illud poëtæ amatorium verum sit,

*Pars minima est ipsa puella sui.*

Montium autem imprimis præses dicitur Pan, quia in montibus et locis editis natura rerum panditur, atque oculis et contemplationi magis subjicitur. Quod alter a Mercurio deorum nuncius sit Pan, ea allegoria plane divina est, cum proxime post verbum Dei, ipsa mundi imago divinæ potentiæ et sapientiæ præconium sit. Quod et poëta divinus cecinit: *Cæli enarrant gloriam Dei, atque opera manuum ejus indicat firmamentum.*

Pana autem oblectant nymphæ; animæ scilicet; deliciæ enim mundi, animæ viventium sunt: ille autem merito earum imperator, cum illæ naturam quæque suam veluti ducem sequantur, et circa eam cum infinita varietate, veluti singulæ more patrio, saltent et choreas ducant, motu neutiquam cessante. Una perpetuo comitantur Satyri et Sileni; senectus scilicet et juvenus;

omnium enim rerum est ætas quædam hilaris et saltatrix; atque rursus ætas tarda et bibula: utriusque autem ætatis studiavere contemplanti (tanquam Democrito) fostasse ridicula et deformia videntur, instar satyri alicujus aut Sileni. De Panicis autem terroribus prudentissima doctrina proponitur: natura enim rerum omnibus viventibus indidit metum, ac formidinem, vitæ atque essentiæ suæ conservatricem, ac mala ingruentia vitantem et depellentem: veruntamen eadem natura modum tenere nescia est; sed timoribus salutaribus semper vanos et inanes admiscet, adeo ut omnia (si intus conspici darentur) Panicis terroribus plenissima sint; præsertim humana, quæ superstitione (quæ vere nihil aliud, quam Panicus terror, est) in immensum laborant; maxime temporibus duris et trepidis et adversis.

Quod vero attinet ad audaciam Panis, et pugnam per provocationem cum Cupidine; id eo spectat, quia materia non caret inclinatione et appetitu ad dissolutionem mundi et recidivationem in illud Chaos antiquum, nisi prævalida rerum concordia (per amorem sive Cupidinem significata) malitia et impetus ejus cohiberetur et in ordinem compelleretur: itaque bono admodum hominum et rerum fato fit, ut illud certamen Pan adversum experiatur, et victus abscedat. Eodem prorsus pertinet et illud de Typhone in retibus implicato; quia utcunque aliquando vasti, et insoliti rerum tumores sint (id quod Typhon sonat) sive intumescant maria, sive intumescant nubes, sive intumescat terra, sive alia, tamen rerum natura hujusmodi corporum exsuperantias atque insolentias reti inextricabili implicat et coërcet, et veluti catena adamantina devincit.

Quod autem inventio Cereris huic deo attribuitur, idque inter venationem; reliquis diis negatur, licet sedulo quærentibus et illud ipsum agentibus; monitum habet verum admodum et prudens; hoc est, ne rerum utilium ad vitam et cultum inventio, qualis fuit segelum, a philosophiis abstractis, tanquam diis majoribus, exspectetur, licet totis viribus in illud ipsum incumbant; sed tantummodo a Pane, id est, experientia sagaci et rerum mundi notitia universali, quæ etiam

casu quodam ac veluti inter venandum in hujusmodi inventa incidere solet.

Illud autem musices certamen, ejusque eventus, salutarem exhibet doctrinam, atque eam quæ rationi et judicio humano gestienti et se efferenti sobrietatis vincula injicere possit. Duplex enim videtur esse harmonia et quasi musica: altera providentiæ divinæ, altera rationis humanæ. Judicio enim humano, ac veluti auribus mortalium, administratio mundi et rerum, et judicia divina secretiora sonant aliquid durum et quasi absonum: quæ inscitia licet asininis auribus merito insigniatur, tamen et ipsæ illæ aures secreto, nec palam gestantur: neque enim hujusce rei deformitas a vulgo conspicitur aut notatur.

Postremo, minime mirum est, si nulli amores Pani attribuantur, præter conjugium Echus; mundus enim se ipso, atque in se rebus omnibus fruitur: qui amat autem, frui vult, neque in copia desiderio locus est. Itaque mundi amores esse nulli possunt, nec potiendi cupido, cum se ipso contentus sit, nisi fortasse sermones: ii sunt nympha, Echo, aut, si accuratiores sint, Syringa. Inter sermones autem, sive voces, excellenter ad conjugium mundi sumitur sola Echo; ea enim demum vera est philosophia, quæ mundi ipsius voces fidelissime reddit, et veluti dictante mundo conscripta est; et nihil aliud est, quam ejusdem simulacrum et reflexio, neque addit quicquam de proprio, sed tantum iterat et resonat. Ad mundi etiam sufficientiam et perfectionem pertinet, quod prolem non edat: ille enim per partes generat; per totum autem quomodo generare possit, cum corpus extra ipsum non sit. Nam de filia ejus putativa, muliercula illa, est sane ea adjectio quædam ad fabulam sapientissima; per illam enim repræsentantur eæ, quæ perpetuis temporibus passim vagantur, atque omnia implent, vaniloquæ de rerum natura doctrinæ, re ipsa infructuosæ, genere quasi subdititiæ, garrulitate vero interdum jucundæ, interdum molestæ et importunæ.

## VII. PERSEUS, SIVE BELLUM.

Fabula  
hæc in-  
venitur,  
in libro  
secun-  
do *De*  
*aug-*  
*mentis*  
*scienti-*  
*arum,*  
aucta et  
locuple-  
tata.

PERSEUS traditur fuisse a Pallade missus ad obtruncandam Medusam, quæ populis plurimis ad occidentem in extremis Hiberiæ partibus maximæ calamitati fuit. Monstrum enim hoc tam dirum atque horrendum fuit, ut aspectu solo homines in saxa verteret. Erat autem e Gorgonibus una ac sola mortalis Medusa; cum passivæ reliquæ non essent. Itaque Perseus, ad tam nobile facinus se comparans, arma ac dona a tribus diis accepit: talares alas a Mercurio, a Plutone galeam, scutum a Pallade et speculum. Neque tamen, licet tanto apparatu iunctus, ad Medusam recta perrexit: sed primum ad Græas divertit; eæ sorores ex altera parente Gorgonibus erant. Atque Grææ istæ canæ jam a nativitate erant et tanquam vetulæ. Oculus autem iis tantummodo et dens erat omnibus unicus, quos prout exire foras quamque contigerat, vicissim gestare, reversæ autem iterum deponere solebant: hunc itaque oculum, atque hunc dentem illæ Perseo commodarunt. Tum demum cum se abunde ad destinata perficienda instructum judicaret, ad Medusam properavit impiger et volans: illam autem dormientem offendit: neque tamen aspectui ejus (si evigilaret) se committere audebat, sed cervice reflexa, in speculum Palladis inspiciens, atque hoc modo ictus dirigens, caput ei abscidit. Ex sanguine autem Medusæ fuso statim Pegasus alatus emicuit. Caput autem abscissum Perseus in scutum Palladis inseruit, cui etiamnum sua mansit vis, ut ad ejus intuitum omnes ceu attoniti aut siderati obrigerent.

Fabula de belligerandi ratione et prudentia conficta videtur. Atque in ipsa de bello suscipiendo et de genere belli eligendo deliberatione, tria proponit præcepta sana et gravia, tanquam ex consilio Palladis. Primo ut de subjugatione nationum finitimarum quis non admodum laboret. Neque enim eadem est patrimonii et imperii amplificandi ratio. Nam in possessionibus privatis vicinitas prædiorum spectatur: sed in propa-

gando imperio occasio et belli conficiendi facilitas et fructus loco vicinitatis esse debent. Certe Romani, quo tempore occidentem versus vix ultra Liguriam penetraverant, orientis provincias usque ad montem Taurum armis et imperio complexi sunt. Itaque Perseus, licet orientalis, tamen longinquam expeditionem usque ad extrema occidentis minime detrectavit. Secundo, curæ esse debet, ut justa et honorifica subsit belli causa: id enim et alacritatem tum militibus, tum populis impensas conferentibus addit: et societates aperit et conciliat, et plurimas denique commoditates habet. Nulla autem belli causa magis pia sit, quam debellatio tyrannidis, sub qua populus succumbit, et prosternitur sine animis et vigore, tanquam sub aspectu Medusæ. Tertio, prudenter additur, quod cum tres Gorgones fuerint (per quas bella repræsentantur) Perseus illam delegerit, quæ fuerit mortalis; hoc est, bellum ejus conditionis, quod confici et ad exitum perducì posset, nec vastas aut infinitas spes persecutus est. Instructio autem Persei ea est, quæ ad bellum unice confert et fortunam fere trahit. Accepit enim celeritatem a Mercurio, occultationem consiliorum ab Orco, et providentiam a Pallade. Neque caret allegoria, eaque prudentissima, quod alæ illæ celeritatis talaris, non axillares fuerint, atque pedibus, non humeris additæ: quia non tam in primis belli aggressibus, quam in eis quæ sequuntur, et primis subsidio sunt, celeritas requiritur: nullus enim error in bellis magis frequens est, quam quod prosecutiones et subsidiarii impetus initiorum alacritati non respondent. Etiam illa providentiæ divisio (nam de galea Plutonis, quæ homines invisibiles reddere solebat, parabola manifesta est) ingeniosa videtur, de scuto et speculo; neque enim ea providentia solum adhibenda est, quæ cavet instar scuti, sed illa altera, per quam hostium vires, et motus, et consilia cernuntur, instar speculi Palladis. Verum Perseo, utcunque copiis aut animis instructo, restat aliud quiddam maximi per omnia momenti antequam incipatur bellum, nimirum ut divertat ad Græas, Grææ autem proditiones sunt, bellorum scilicet sorores, non ger-

manæ illæ quidem, sed generis nobilitate quasi impares. Bella enim generosa, proditioes degeneres et turpes. Earum descriptio elegans est; ut canæ a nativitate sint et tanquam vetulæ, propter perpetuas proditorum curas et trepidationes: earum autem vis (antequam in manifestam defectionem erumpant) aut in oculo, aut in dente est: omnis enim factio, a statu quoquam alienata, et speculatur, et mordet: atque hujusmodi oculus et dens tanquam communis est. Nam quæ didicerunt et noverunt, fere per manus factionis ab uno ad alterum transeunt et percurrunt. Et quod ad dentem attinet, uno fere ore mordent, et similem cantilenam canunt, ut si unum audias, omnes audias. Itaque Perseo conciliandæ sunt istæ Grææ, ut oculum et dentem ei commodent: oculum ad indicia, dentem ad rumores serendos, et invidiam conflandam, et animos hominum sollicitandos. His itaque dispositis et præparatis, sequitur ipsa belli actio. In ea Medusam dormientem invenit: prudens enim belli susceptor semper fere hostem assequitur imparatum et securitati propiorum: atque nunc tandem speculo Palladis opus est; plurimi enim ante ipsa pericula res hostium acute et attente introspicere possunt; sed in ipso periculi articulo præcipuus est usus speculi, ut modus periculi cernatur, terror non offundatur (quod per illum intuitum capite averso significatur). A bello perfecto sequuntur effecta duo: primum Pegasi illa generatio et exsuscitatio, quæ satis evidenter Famam denotat, quæ per omnia volat et victoriam celebrat: secundum, gestatio capitis Medusæ in scuto; siquidem nullum præsidii genus huic ob præstantiam comparari possit. Unicum enim facinus insigne et memorabile, feliciter gestum et perpetratum, omnes inimicorum motus cohibet, atque malevolentiam ipsam stupidam reddit.

### VIII. ENDYMION, SIVE GRATIOSUS.

PASTOR Endymion traditur a Luna fuisse adâmatu: novum autem et singulare erat consuetudinis genus, siquidem ille decumbebat in nativa quadam



specu sub saxis Latmiis; Luna autem haud raro de cælo perhibetur descendisse, et sopiti oscula petiisse, ac rursus in cælum se recepisse. Neque tamen otium istud et somnus in detrimentum fortunarum ejus cedebat, sed Luna interim effecit, ut pecus ejus pinguesceret admodum, ac numero etiam felicissime auctum esset, ut nulli pastorum greges essent lætiores, aut numerosiores.

Fabula ad ingenia et mores principum pertinere videtur. Illi enim, cogitationum pleni et in suspiciones propensi, non facile ad consuetudinem vitæ interiorem recipiunt homines, qui sunt perspicaces, et curiosi, et quasi animo vigilantes, sive exsomnes: sed potius eos, qui ingenio sunt quieto et morigero, et quod placitum est illis patiuntur, et nil ultra inquirunt, sed se veluti ignaros, et nil sentientes, et quasi sopitos præbent; denique magis obsequium simplex, quam observantiam callidam, præstant. Etenim cum hujusmodi hominibus principes de majestate sua, veluti Luna de orbe superiore, descendere, et personam (quam perpetuo gerere instar oneris cujusdam sit) deponere, et familiariter versari, libenter consueverunt, idque se tuto facere posse putant. Id quod in Tiberio Cæsare, principe omnium maxime difficili, præcipue annotatum fuit: apud quem illi solummodo gratiosi erant, qui notitiam morum ejus revera habebant, sed pertinaciter et quasi stupide dissimulabant. Quod etiam Ludovico undecimo Francorum regi, principi cautissimo et callidissimo, in moribus erat. Neque ineleganter in fabula ponitur antrum illud Endymionis: quia fere usitatum est illis, qui hujusmodi gratia apud principes florent, habere secessus aliquos amœnos, quo illos invitent ad otium et animi remissionem, absque fortunæ suæ mole. Qui autem in hoc genere gratiosi sunt, plerumque rem suam bene agunt: nam principes, licet fortasse ad honores eos non evehant, tamen, cum vero affectu, nec propter utilitatem tantum illos diligant, munificentia sua eos ditare consueverunt.

## IX. SOROR GIGANTUM, SIVE FAMA.

MEMORANT poëtæ, Gigantes e terra procreatos bellum Jovi et superis intulisse, et fulmine disjectos et devictos fuisse. Terram autem, deorum ira irritatam, in vindictam natorum suorum Famam progenuisse, extremam gigantibus sororem.

*Æn.* iv.  
178.

*Illam Terra parens, ira irritata deorum,  
Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladoque sororem,  
Progenuit.*

Hujus fabulæ ea sententia videtur esse : per terram, naturam vulgi significarunt, perpetuo tumidam et malignam versus imperantes, et res novas parturientem : hæc ipsa, occasionem adepta, rebelles parit et seditiosos, qui principes ausu nefario exturbare et dejicere machinantur ; quibus oppressis, eadem plebis natura, deterioribus favens, et tranquillitatis impatiens, rumores gignit, et susurros malignos, et famas querulas, et famosos libellos, et cætera id genus, ad invidiam eorum qui rebus præsent : ut actiones rebellium, et famæ seditiosæ genere et stirpe non differant ; sed veluti sexu tantum, cum istæ muliebres videantur, illæ viriles.

## X. ACTÆON ET PENTHEUS, SIVE CURIOSUS.

CURIOSITAS humana in secretis rimandis, et eorum notitia appetitu male sano concupiscenda, et prensanda, duplici exemplo apud antiquos coërcetur : altero Actæonis, altero Penthei. Actæon, cum Dianam imprudens et casu sine veste vidisset, in cervum versus, a canibus, quos alebat, dilaceratus est. Pentheus, cum sacrificiorum Bacchi occultorum, conscensa arbore, spectator esse voluisset, furore percitus est. Fuit autem Penthei dementia ejus generis, ut res congeminasse existimaret, et duo soles et rursus duæ Thebæ ei ob oculos versarentur ; adeo ut, cum Thebas properaret, statim alteris Thebis conspectis retraheretur : atque hoc

modo perpetuo et irrequiete sursum et deorsum ferretur.

*Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,*  
*Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas.* Æn.  
iv. 469.

Fabularum prima, ad secreta principum; secunda, ad secreta divina pertinere videtur. Qui enim principibus non admissi, et præter eorum voluntatem secretorum conscii sunt, odium certissimum apud eos consequuntur. Itaque gnari se peti, et occasiones captari, vitam degunt, cervorum more, timidam et suspicionibus plenam. Quin et illud sæpius accidit, ut a servis et domesticis, in gratiam principum, accusentur et subvertantur. Ubi enim principis offensio manifesta est; quot servi, tot fere proditores esse consueverunt; ut Actæonis fatum illos maneat. Alia est Penthei calamitas. Qui enim ausu temerario, mortalitatis parum memores, per excelsa naturæ et philosophiæ fastigia (tanquam arbore conscensa) ad mysteria divina aspirant, his pœna proposita est, perpetuæ inconstantia, et iudicii vacillantis et perplexi. Cum enim aliud sit lumen naturæ, aliud divinum; ita cum illis fit, ac si duos soles viderent. Cumque actiones vitæ et decreta voluntatis ab intellectu pendeant, sequitur etiam ut non minus voluntate, quem opinione, hæsitent, nec sibi omnino constant: itaque et duas Thebas similiter vident. Per Thebas enim actionum fines describuntur (cum Thebis Pentheo esset domus et perfugium). Hinc fit, ut nesciant quo se vertant, sed, de summa rerum incerti et fluctuantes, tantum subitis mentis impulsibus in singulis circumagantur.

## XI. ORPHEUS, SIVE PHILOSOPHIA.

FABULA de Orpheo vulgata, nec tamen interpretem fidum per omnia sortita, philosophiæ universæ imaginem referre videtur. Persona enim Orphei, viri admirandi et plane divini, et omnis harmoniæ periti, et modis suavibus cuncta vincentis, et trahentis, ad philosophiæ descriptionem facili transitu traducitur. La-

bores enim Orphei labores Herculis, quemadmodum opera sapientiæ opera fortitudinis, dignitate et potentia superant. Orpheus, ob amorem uxoris, morte immatura præreptæ, fretus lyra, ad inferos descendere sibi in animum induxit, ut manes deprecaretur, neque spe sua decidit. Nam, placatis manibus et delinitis suavitate cantus, et modulationibus, tantum apud eos potuit, ut ei uxorem secum abducere indultum sit: ea tamen lege, ut illa eum a tergo sequeretur, ipse autem antequam ad luminis oras perventum esset ne respiceret. Quod cum ille nihilominus, amoris et curæ impatientia (postquam fere in tuto esset) fecisset, rupta sunt fœdera; atque illa ad inferos gradu præcipiti relapsa est. Ab illo tempore Orpheus, mœstus, et mulierum osor, in solitudines profectus est, ubi eadem cantus et lyre dulcedine primo feras omnigenas ad se traxit, adeo ut, naturam suam exuentes, nec irarum aut ferocitatis memores, nec libidinis stimulis et furoribus præcipites actæ, nec ingluviem satiare, aut prædæ inhiare amplius curantes, in morem theatri, illum circumstarent, benignæ et mansuetæ inter se factæ, et tantum lyre concentui aures præbentes. Neque is finis, sed tanta musicæ vis et potentia fuit, ut etiam sylvas moveret, et lapides ipsos, ut illa quoque se transferrent, et sedes suas circa eum, ordine et modo decenti, ponerent. Hæc ei cum ad tempus feliciter et magna cum admiratione cessissent: tandem Thraciæ mulieres stimulis Bacchi percitæ, primo cornu raucum et immane sonans inflarunt: ex eo, propter strepitum, musicæ sonus amplius audiri non potuit: tum demum soluta virtute, quæ ordinis et societatis istius erat vinculum, turbari cœptum est, et feræ singulæ ad naturam suam redierunt, et se invicem ut prius persecutæ sunt; neque lapides aut sylvæ suis mansere locis: Orpheus autem ipse tandem a mulieribus furentibus discerptus est, et sparsus per agros; ob cuius mortis mœrorem Helicon (fluvius Mysis sacer) aquas sub terram indignatus condidit, et per alia loca caput rursus extulit.

Sententia fabulæ ea videtur esse. Duplex est Orphei cantio: altera ad placandos manes; altera ad tra-

hendas feras et sylvas. Prior ad naturalem philosophiam, posterior ad moralem et civilem aptissime refertur. Opus enim naturalis philosophiæ longe nobilissimum, est ipsa restitutio et instauratio rerum corruptibilium, et (hujusce rei tanquam gradus minores) corporum in statu suo conservatio, et dissolutionis et putredinis retardatio. Hoc si omnino fieri detur, certe non aliter effici potest, quam per debita et exquisita naturæ temperamenta, tanquam per harmoniam lyræ, et modos accuratos. Et tamen cum sit res omnium maxime ardua, effectu plerumque frustratur; idque (ut verisimile est) non magis aliam ob causam, quam per curiosam et intempestivam sedulitatem et impatientiam. Itaque philosophia, tantæ rei fere impar, atque idcirco merito mœsta, vertit se ad res humanas, et in animos hominum, suasu et eloquentia, virtutis, et æquitatis, et pacis amorem insinuans, populorum cœtus in unum coire facit: et juga legum accipere, et imperiis se submittere, et affectuum indomitum oblivisci, dum præceptis et disciplinæ auscultant, et obtemperant: unde paulo post ædificia exstruuntur, oppida conduntur, agri et horti arboribus conseruntur; ut lapides et sylvas non abs re convocari et transferri dictum sit. Atque ista rerum civilium cura rite atque ordine ponitur post experimentum corporis mortalis restituendi sedulo tentatum, et ad extremum frustratum: quia mortis necessitas inevitabilis, evidentius proposita, hominibus ad æternitatem meritis et nominis fama quærendam animos addit. Etiam prudenter in fabula additur, Orpheum a mulieribus et nuptiis alieno animo fuisse, quia nuptiarum delinimenta, et liberorum charitates, homines plerumque a magnis et excelsis erga respublicas meritis avertunt, dum immortalitatem propagine, non factis, assequi satis habent. Verum et ipsa sapientiæ opera, licet inter humana excellent, tamen et suis periodis clauduntur. Evenit enim ut postquam regna et respublicæ ad tempus floruerint, subinde perturbationes, et seditioes, et bella oriantur; inter quorum strepitus primo leges conticescunt, et homines ad naturæ suæ depravationes redeunt; atque etiam in

agris, atque oppidis vastitas conspicitur. Neque ita multo post (si hujusmodi furores continentur) literæ etiam, et philosophia certissime discerpitur: adeo ut fragmenta tantum ejus, in paucis locis, tanquam naufragii tabulæ, inveniantur, et barbara tempora ingruant: Heliconis aquis sub terra mersis: donec, debita rebus vicissitudine, non iisdem fortasse locis, sed apud alias nationes erumpant et emanent.

## XII. CÆLUM, SIVE ORIGINES.

TRADUNT poëtæ Cælum antiquissimum deorum extitisse; hujus partes generationis a filio Saturno falce demessas fuisse. Saturnum autem sobolem numerosam generasse: sed filios continuo devorasse, tandem vero Jovem exitium effugisse, et adultum patrem Saturnum in Tartarum detrusisse, et regnum accepisse; quin etiam patris genitalia eadem falce, qua ille Cælum exsecuerat, abscidisse, atque in mare projecisse, inde Venerem natam esse. Postea vero Jovis regnum vix confirmatum, duo memorabilia bella excepisse. Primum, Titanum, in quibus debellandis Solis operam (qui solus ex Titanibus Jovis rebus favebat) egregiam fuisse: secundum Gigantum, qui et ipsi fulmine et Jovis armis disjecti sunt; quibus domitis, Jovem securum regnasse.

Fabula videtur ænigma de origine rerum, non multum discrepans ab ea philosophia, quam postea Democritus amplexus est, qui apertissime omnium æternitatem materiæ asseruit, æternitatem mundi negavit; in quo aliquanto propius ad veritatem verbi divini accessit, cujus narratio materiam informem ante opera dierum statuit. Sententia fabulæ hujusmodi est. Cælum esse concavum illud, sive ambitum, quod materiam complectitur. Saturnum autem materiam ipsam, quæ omnem generandi vim parenti præscidit. Summam enim materiæ perpetuo eandem esse; neque ipsum quantum naturæ crescere aut minui. Agitationes autem et motus materiæ, primo imperfectas et male coherentes rerum compages produxisse, et veluti tentamenta mundorum: dein ævi processu fabricam ortam

esse, quæ formam suam tueri et conservare posset. Itaque priorem ævi distributionem per regnum Saturni significari, qui ob frequentes rerum dissolutiones, et breves durationes, filiorum suorum devorator habitus est: secundam autem per regnum Jovis, qui continuas istas et transitorias mutationes in Tartarum detrussit; qui locus perturbationem significat. Is locus videtur esse spatium inter ima cœli et interiora terræ medium; quo intervallo perturbatio et fragilitas et mortalitas sive corruptio maxime versatur. Atque durante priore illa generatione rerum, quæ sub regno Saturni tenuit, Venerem natam non fuisse. Donec enim in universitate materiæ discordia esset concordia potior et valentior, mutatio per totum necessario facta est, atque in ipsa fabrica integrali. Tales vero generationes rerum extiterunt, antequam Saturnus exsectus esset. Hunc vero generationis modum cesantem alter ille modus continuo excepit, qui per Venerem fit, adulta et prævalida rerum concordia: ut mutatio tantum per partes procedat, integra et inconcussa fabrica universali. Saturnum tamen detrusum et deturbatum, non peremptum et extinctum narrant, quia mundum in antiquam confusionem, et interregna relabi posse, opinio Democriti erat: quod Lucretius ne suis temporibus eveniret deprecatus est.

*Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans,  
Et ratio potius, quam res, persuadeat ipsa.*

Lib. v.  
198.

Postquam autem mundus mole et vi sua consisteret, tamen otium ab initio non fuisse. Nam secutos primum in cœlestibus regionibus motus notabiles, qui virtute solis, in cœlestibus prædominante, ita sopiti sunt, ut mundi status conservaretur: postea similiter in inferioribus; per inundationes, tempestates, ventos, terræ motus magis universales, quibus etiam oppressis et dissipatis, magis pacata ac durabilis rerum conspiratio et tranquillitas accrevit. Verum de ista fabula utrumque pronuntiari potest, et fabulam philosophiam continere, et philosophiam rursus fabulam. Novimus enim (ex fide) hæc omnia nil aliud esse, quam sensus jam pri-

dem cessantia et deficientia oracula: cum mundi et materia et fabrica ad creatorem verissime referatur.

### XIII. PROTEUS, SIVE MATERIA.

NARRANT poëtæ Proteum Neptuno pastorem fuisse; eundemque senem et vatem; vatem scilicet præstantissimum et veluti ter maximum. Noverat enim non futura solummodo, sed et præterita et præsentia, adeo ut, præter divinationem, etiam omnis antiquitatis et omnium secretorum nuncius ac interpret esset. Morabatur autem sub ingenti specu. Ibi ei mos erat sub meridiem gregem suum phocarum numerare, atque deinde somno se dare. Qui autem opera ejus aliqua in re uti volebat, is non alio modo apud eum valere poterat, nisi eum manicis comprehensum vinculis constringeret. Ille contra, ut se liberaret in omnes formas, atque rerum miracula, ignem, lympham, feras, se vertere solebat; donec tandem in pristinam formam restitueretur.

Sensus fabulæ ad abdita naturæ et conditiones materiæ pertinere videtur. Sub Protei enim persona materia significatur, omnium rerum post Deum antiquissima. Materia autem sub cœli concavo, tanquam sub specu, habitat. Neptuni autem mancipium est, quia omnis materiæ operatio et dispensatio in liquidis præcipue exercetur. Pecus autem, sive grex Protei, non aliud videtur esse, quam species ordinariæ animalium, plantarum, metallorum, in quibus materia videtur se diffundere et quasi consumere; adeo ut postquam istas species effinxerit, et absolverit (tanquam penso completo) dormire et quiescere videatur, nec alias amplius species moliri, tentare, aut parare. Atque hæc est Protei pecoris numeratio, et subinde somnus. Hoc autem sub meridiem, non auroram et vesperum, fieri dicitur; id est, cum tempus jam venerit, quod speciebus ex materia debite præparata et prædisposita perficiendis et excludendis maturum sit, et quasi legitimum, et inter rudimenta earum et declinationes medium; quod nos satis scimus ex historia sacra sub tempus ipsum creationis fu-



isse; tum enim per virtutem illam divini verbi *Producat*, materia ad imperium Creatoris, non per ambages suas, sed subito confluit, et opus suum in actum affatim perduxit, ac species constituit. Atque hucusque fabula narrationem suam de Proteo libero et soluto cum pecore suo complet. Nam universitas rerum, cum structuris et fabricis specierum ordinariis, est materiæ non constrictæ aut devinctæ, et gregis materiatarum facies. Nihilominus si quis peritus naturæ minister vim adhibeat materiæ, et materiam vexet, atque urgeat, tanquam hoc ipso destinato et proposito, ut illam in nihilum redigat; illa contra (cum annihilatio, aut interitus verus, nisi per Dei omnipotentiam fieri non possit) in tali necessitate posita in miras rerum transformationes et effigies se vertit: adeo ut tandem veluti in orbem se mutet, et periodum impleat, et quasi se restituat, si vis continetur. Ejus autem constrictionis seu alligationis ratio magis facilis erit et expedita, si materia per manicas comprehendatur, id est, per extremitates. Quod autem additur in fabula, Proteum vatem fuisse, et trium temporum gnarum, id cum materiæ natura optime consentit. Necesse est enim, ut qui materiæ passiones et processus noverit, rerum summam et earum, quæ factæ sunt, et quæ fiunt, et quæ insuper futuræ sunt, comprehendat, licet ad partes et singularia cognitio non extendatur.

#### XIV. MEMNON, SIVE PRÆMATURUS.

MEMORANT poëtæ Memnomen Auroræ filium fuisse. Ille armorum pulchritudine insignis, et aura populari celebris, ad bellum Trojanum venit, et ad summa ausu præcipiti festinans et anhelans, cum Achille, Græcorum fortissimo, certamen singulare iniit, atque ejus dextra occubuit. Hunc Jupiter miseratus aves lugubre quiddam et miserabile perpetuo quiritantes ad exequias ejus et funeris decus excitavit; ejusdem statua quoque, solis orientis radiis percussa, sonum flebilem edere solita fuisse perhibetur.

Fabula ad adolescentum summæ spei calamitosos exitus pertinere videtur. Illi enim tanquam Auroræ

fili sunt ; atque inanium et externorum specie tumidi, majora fere viribus audent, atque heroës fortissimos lacessunt, et in certamen deposcunt, et impari congressu succumbentes, exstinguuntur : horum autem mortem infinita commiseratio sequi solet ; nil enim inter fata mortalium tam flebile est, tamque potens ad misericordiam commovendam, quam virtutis flos immaturo exitu præcisus. Neque enim prima ætas ad satietatem scilicet, aut ad invidiam usque duravit, quæ mœstitiam in obitu lenire, aut misericordiam temperare possit ; quin etiam lamentationes et planctus non solum tanquam aves illæ funebres circa rogos eorum volitant, sed et durat hujusmodi miseratio et producit : maxime autem per occasiones et novos motus, et initia magnarum rerum, veluti per solis radios matutinos, desideria eorum renovantur.

#### XV. TITHONUS, SIVE SATIAS.

ELEGANS fabula narratur de Tithono, eum ab Aurora adamatum fuisse, quæ perpetuam ejus consuetudinem exoptans, a Jove petiit, ut Tithonus nunquam mori posset : verum incuria muliebri oblita est petitioni suæ et illud inserere, ut nec senectute gravaretur. Itaque moriendi conditio ei erepta est, senium autem secutum est mirum et miserandum, quale consentaneum est evenire ei, cui mors negatur, ætas perpetuo ingravescit. Adeo ut Jupiter, hujusmodi sortem miseratus, tandem eum in cicadam converterit.

Hæc fabula ingeniosa adumbratio et descriptio voluptatis esse videtur ; quæ a principio, velut sub tempus Auroræ, adeo grata est, ut homines vota faciant ut gaudia hujusmodi sibi perpetua et propria sint, obliti satietatem et tædium eorum, instar senii, ipsis non cogitantibus obventura. Adeo ut ad extremum, cum actiones voluptariæ homines deserant, cupido vero et affectus non moriantur, fieri solet ut homines sermonibus tantum et commemorationibus earum rerum, quæ eis integra ætate voluptati fuerunt, se oblectent. Quod in libidinosi et viri militaribus fieri videmus, cum illi

impudicos sermones, hi facinora sua retractent, cicadarum more, quarum vigor tantum in voce est.

### XVI. PROCUS JUNONIS, SIVE PEDECUS.

NARRANT poëtæ Jovem, ut amoribus suis potiretur, multas et varias formas sumpsisse, tauri, aquilæ, cycni, imbris aurei; cum autem Junonem sollicitaret, vertisse se in formam maxime ignobilem, atque contemptui et ludibrio expositam. Ea fuit miseri cuculi, imbre et tempestate madefacti et attoniti, tremebundi, et semimortui.

Prudens fabula est et ex intimis moribus desumpta. Sensus vero talis, ne homines nimium sibi placeant, existimantes virtutis suæ specimen eos apud omnes in pretio et gratia ponere posse. Id enim succedere pro natura et moribus eorum, quos ambiunt et colunt; qui si homines sunt nullis ipsi dotibus et ornamentis insigniti; sed tantum ingenio sunt superbo et maligno (id quod sub figura Junonis repræsentatur) tum vero norint sibi exuendam prorsus esse omnem personam, quæ vel minimum præ se ferat decoris et dignitatis: atque decipere se plane, si alia via insistant; neque satis esse si obsequii deformitatem præstant, nisi omnino se in personam abjectam et degenerem mutant.

### XVII. CUPIDO, SIVE ATOMUS.

QUÆ de Cupidine sive Amore dicta sunt a poëtis, in eandem personam proprie convenire non possunt: ita tamen discrepant, ut confusio personarum rejiciatur, similitudo recipiatur. Narrant itaque Amorem omnium deorum fuisse antiquissimum, atque adeo omnium rerum, excepto Chao, quod ei coævum perhibetur; Chaos autem a priscis viris nunquam divino honore, aut nomine Dei insignitur. Atque Amor ille prorsus sine parente introducitur; nisi quod a nonnullis ovum Noctis fuisse traditur. Ipse autem ex Chao et deos et res universas progenit. Ejus autem attributa ponuntur numero quatuor, ut sit infans perpetuus, cæcus, nudus,

sagittarius. Fuit et Amor quidam alter, Deorum natu minimus, Veneris filius; in quem etiam antiquioris attributa transferuntur, et quodam modo competunt.

Fabula ad cuuabula naturæ pertinet et penetrat. Amor iste videtur esse appetitus, sive stimulus materiæ primæ, sive (nt explicatius loquamur) motus naturalis atomi. Hæc enim est illa vis antiquissima et unica, quæ ex materia omnia constituit et affingit. Ea omnino sine parente est; id est, sine causa. Causa enim effectus veluti parens est: hujus autem virtutis causa nulla potest esse in natura (Deum enim semper excipimus). Nihil enim hac ipsa prius; itaque efficiens nulla: neque aliquid naturæ notius; ergo nec genus nec forma; quamobrem quæcunque ea tandem sit, positiva est et surda. Atque etiam si modus ejus et processus sciri daretur; tamen per causam sciri non potest; cum sit post Deum causa causarum, ipsa incausabilis. Neque fortasse modum ejus intra inquisitionem humanam sisti, aut comprehendere posse sperandum est; itaque merito fingitur ovum a Nocte exclusum; certe sanctus philosophus ita pronuntiat: *Cuncta fecit pulchra tempestatibus suis, et mundum tradidit disputationibus eorum, ita tamen ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus a principio usque ad finem.* Lex enim summaria naturæ, sive virtus istius Cupidinis, indita primis rerum particulis a Deo ad coitionem, ex cujus repetitione et multiplicatione omnis rerum varietas emergit et conflatur; cogitationem mortalium perstringere potest, subire vix potest. Philosophia autem Græcorum invenitur in rerum materiatis principiis investigandis magis acuta et sollicita; in principiis autem motus (in quibus omnis operationis vigor consistit) negligens et languida. In hoc autem, de quo agimus, prorsus cæcutire et balbutire videtur: etenim Peripateticorum opinio, de stimulo materiæ per privationem, fere non ultra verba tendit, et rem potius sonat, quam signat. Qui autem hoc ad Deum referunt, optime illi quidem, sed saltu, non gradu ascendunt: est enim proculdubio unica et summaria lex, in quam natura coit, Deo substituta; ea ipsa, quæ in superiore textu illo verborum complexu demonstratur. *Opus, quod operatus est Deus a principio usque ad*

*finem.* Democritus autem, qui altius rem perpendit, postquam atomum dimensione nonnulla, et figura instruxerat, unicum Cupidinem sive motum primum ei attribuit simpliciter, et ex comparatione alterum. Omnia enim ad centrum mundi ferri putavit proprie; quod autem plus materiæ habet, cum celerius ad centrum feratur, illud, quod minus habet, percussione summovere et in contrarium pellere. Verum ista meditatio angusta fuit, et ad pauciora quam par erat respiciens. Neque enim aut corporum cœlestium in orbem conversio, aut rerum contractiones et expansiones ad hoc principium reduci, aut accommodari posse videntur. Epicuri autem opinio de declinatione atomi et agitatione fortuita, ad nugas rursus et ignorationem rei lapsa est. Itaque nimio plus quam optaremus, illud apparet, istum Cupidinem nocte involvi. Itaque de attributis videamus. Elegantissime describitur Cupido infans, pusillus et perpetuus; composita enim grandiora sunt et ætatem patiuntur; prima autem rerum semina, sive atomi, minuta sunt, et in perpetua infantia permanent. Etiam illud verissime, quod nudus; cum composita universa recte cogitanti personata et induta sint; nihilque proprie nudum sit præter primas rerum particulas. Illa autem de cæcitate Cupidinis sapientissima allegoria est. Iste enim Cupido (qualiscunque is sit) minimum videtur habere providentiæ; sed secundum illud, quod proximum sentit, gressum et motum suum dirigere; ut cæci palpando solent; quo magis admirabilis est providentia illa summa divina, quia ex rebus providentia maxime vacuis et expertibus et quasi cæcis, certa tamen et fatali lege, istum ordinem et pulchritudinem rerum educit. Ultimum attributum ponitur, quod sagittarius sit, hoc est, quod ista virtus talis sit, ut operetur ad distans. Quod enim ad distans operatur, tanquam sagittam emittere videtur: quisquis autem atomum asserit, atque vacuum (licet istud vacuum intermistum ponat, non segregatum) necessario virtutem atomi ad distans introducit: neque enim, hac dempta, aliquis motus (propter vacuum interpositum) excitari posset, sed omnia torperent et immobilia manerent. Quod autem ad juniorem illum Cupidinem atti-

net, merito ut minimus deorum natu traditur, cum non ante species constitutas vigere potuisset. In illius autem descriptione allegoria ad mores deflectit et traducitur. Subest tamen quædam ejus cum illo antiquo conformitas. Venus enim generaliter affectum conjunctionis et procreationis excitat; Cupido ejus filius affectum ad individuum applicat. Itaque a Venere est generalis dispositio, a Cupidine magis exacta sympathia: atque illa a causis magis propinquis pendet; hæc autem a principiis magis altis et fatalibus, et tanquam ab antiquo illo Cupidine, a quo omnis exquisita sympathia pendet.

### XVIII. DIOMEDES, SIVE ZELUS.

DIOMEDES cum magna et eximia gloria floreret et Palladi percarus esset, exstimulatus ab ea est (et ipse promptior quam oportebat) ut si forte Veneri in pugna occurreret, illi neutiquam parceret; quod et ille audacter exsecutus est, et Veneris dextram vulneravit. Hoc facinus ille ad tempus impune tulit, et rebus gestis clarus et inclytus in patriam rediit; ubi domestica mala expertus, ad externos in Italiam profugit. Ibi quoque initia satis prospera habuit, et regis Dauni hospitio, et donis cultus et ornatus est, et multæ illi statuæ per eam regionem exstructæ. Sed sub primam calamitatem, quæ populum, ad quem diverterat, afflixit, statim subiit Daunum cogitatio, se intra penates suos duxisse hominem impium, et diis invisum, et theomachum, qui deam, quam vel tangere religio erat, ferro invaserat et violaverat. Itaque ut patriam suam piaculo obstrictam liberaret, nihil hospitii jura reveritus, cum ei jus religionis videretur antiquius, Diomedem subito obruncat; statuas et honores ejus prosterni et aboleri jubet. Neque hujusmodi gravem casum vel miserari tutum erat; sed et ipsi comites ejus, cum mortem ducis sui lugerent, et questibus omnia implerent, in aves quasdam ex genere olorum mutati sunt, qui et ipsi sub mortem suam quiddam dulce et lugubre sonant.

Habet hæc fabula subjectum rarum et fere singulare. Neque enim memoriæ proditum est in aliqua alia fabula,

heroëm ullum præter unum Diomedem ferro violasse aliquem ex diis. Atque certe videtur fabula imaginem in illo depinxisse hominis et fortunæ ejus, qui ex professo hunc finem actionum suarum sibi proponit et destinat, ut cultum aliquem divinum, sive sectam religionis, licet vanam et levem, vi et ferro insectetur et debellet. Quamquam enim cruenta religionis dissidia veteribus incognita essent (cum dii ethnici zelotypia, quod est Dei veri attributum, non tangerentur) tamen tanta et tam lata videtur fuisse prisca seculi sapientia, ut quæ experiundo non nossent, tamen meditatione et simulacris comprehenderent, Qui itaque sectam aliquam religionis, licet vanam et corruptam, et infamem (id quod sub persona Veneris significatur) non vi rationis et doctrinæ, et sanctitate vitæ, atque exemplorum et auctoritatum pondere, corrigere et convincere; sed ferro et flamma, et pœnarum acerbitate excindere, et exterminare nituntur: incenduntur fortasse ad hoc ipsum a Pallade; id est, prudentia quadam acri et judicii severitate, quarum vigore et efficacia hujusmodi errorum fallacias et commenta penitus intropiciunt: et ab odio pravitatis et zelo bono; et ad tempus fere magnam gloriam adipiscuntur, atque a vulgo (cui nihil moderatum, gratum esse potest) ut unici veritatis et religionis vindices (cum cæteri tepidi videantur et meticulosi) celebrantur et fere adorantur. Attamen hæc gloria et felicitas raro ad exitum durat: sed omnis fere violentia, nisi morte celeri vicissitudines rerum effugiat, sub finem improspira est. Quod si eveniat ut rerum commutatio fiat, et secta illa proscripta et depressa vires acquirat et insurgat, tum vero hujusmodi hominum zeli et contentiones damnantur, et nomen ipsum odio est, et omnes honores eorum in opprobrium desinunt. Quod autem ab hospite interfectus est Diomedes; id eo spectat, quod religionis dissidium, etiam inter conjunctissimos, insidias et prodiones excitet. Illud vero de luctu ipso, et querimoniis minime toleratis, sed supplicio affectis, hujusmodi est, ut moneat, in omni fere scelere miserationi hominum locum esse, ut etiam qui crimina oderunt, personas tamen et calamitates reorum, humanitatis

causa, commiserentur; extremum autem malorum esse, si misericordiæ commercia interdican- tur. Atque tamen in causa religionis et impietatis, etiam miseratio- nes hominum notari et suspectas esse. Contra vero comitum Diomedis, id est, hominum, qui ejusdem sunt sectæ et opinionis, querimoniæ et deplorationes argu- tæ admodum et canoræ esse solent, instar olorum, aut avium Diomedis; in quo etiam illa pars allegoriæ no- bilis est et insignis; eorum, qui propter causam reli- gionis supplicia subeunt, voces sub tempus mortis, tanquam cyneas cantiones, animos hominum mirum in modum flectere, et in memoriis et sensibus eorum diutissime inhærere et permanere.

### XIX. DÆDALUS, SIVE MECHANICUS.

SAPIENTIAM atque industriam mechanicam, atque in illa artificia illicita, et ad pravos usus detorta, anti- qui adumbraverunt sub persona Dædali, viri ingeni- osissimi, sed execrabilis: hic ob condiscipulum et æmulum occisum exulaverat, gratus tamen in exilio regibus et civitatibus erat, atque multa quidem et egre- gia opera tam in honorem deorum, quam ad exorna- tionem et magnificentiam urbium et locorum publico- rum extruxerat et effinxerat; sed tamen nomen ejus maxime celebratur ob illicita. Fabricam enim libidini Pasiphaës subministravit, ut cum tauro misceretur; adeo ut ab hujus viri scelerata industria et ingenio pernicioso monstrum illud Minotaurus, pubem inge- nuam devorans, ortum traxerit infelicem ac infamem. Atque ille malum malo tegens et cumulans, ad secu- ritatem hujus pestis labyrinthum excogitavit et ex- struxit: opus fine et detestatione nefarium, artificio insigne et præclarum: ac postea rursus, ne malis arti- bus tantum innotesceret; atque ut scelerum remedia (non solum instrumenta) ab eodem peterentur; etiam consilii ingeniosi auctor erat de filo, per quod errores labyrinthi retexerentur. Hunc Dædalum Minos mag- na cum severitate atque diligentia et inquisitione per- secutus est; ille tamen semper et perfugia et effugia reperiebat. Postremo cum volandi peritiam filium Icarum edocuisset, ille novitius, et artem ostentans, a cælo in aquam decidit.



Parabola videtur esse ejusmodi. In ipso introitu ejus ea, quæ apud excellentes artifices excubat, et miris modis dominatur, invidia notatur; nullum enim genus hominum ex invidia, eaque acerba, et tanquam interneciva, magis laborat. Accedit nota de genere pœnæ inflictæ minus politice et provide: ut Dædalus exulet. Etenim opifices præclari id habent, ut apud omnes fere populos sint acceptissimi: adeo ut exilium præstanti artifice vix supplicii loco sit. Nam aliæ vitæ conditiones et genera extra patriam non facile florere possunt. Artificum autem admiratio propagatur et augetur apud exteros et peregrinos, cum insitum animis hominum sit illud, ut populares suos, quoad opificia mechanica, in minori pretio habeant. De usu autem artium mechanicarum, quæ sequuntur, manifesta sunt; multum enim illis debet vita humana, cum plurima et ad religionis apparatus, et ad civilium decus, et ad universæ vitæ culturam, ex illarum thesauris collata sint: veruntamen ex eodem fonte emanant instrumenta libidinis, atque etiam instrumenta mortis. Missa enim arte lenonum, venena quæsitissima, atque tormenta bellica, atque hujusmodi pestes (quæ mechanicis inventis debentur) probe novimus, quantum Minotaurum ipsum sævitia et perniciæ superarint. Pulcherrima autem allegoria est de labyrintho, qua natura generalis mechanicæ adumbratur. Omnia enim mechanica, quæ magis sunt ingeniosa et accurata, instar labyrinthi censi possint; propter subtilitatem, et variam implicationem, et obviam similitudinem, quæ vix ullo judicio, sed tantum experientiæ filo regi et discriminari possunt. Nec minus apte adjicitur, quod idem ille, qui labyrinthi errores invenit, etiam fili commoditatem monstravit; sunt enim artes mechanicæ, veluti usus ambigui, atque faciunt et ad nocumentum, et ad remedium, et fere virtus earum seipsam solvit et retextit. Artificia autem illicita, atque adeo artes ipsas sæpius persequitur Minos; hoc est, leges, quæ illas damnant et earum usum populis interdiciunt. Nihilominus illæ occultantur et retinentur, et ubique et latebras et receptum habent; quod et bene notatum est in re non multum dissimili a Tacito suis tempo-

ribus, de mathematicis et genethliacis, *genus* (inquit) *hominum, quod in civitate nostra semper et retinebitur et vetabitur.* Et tamen artes illicitæ et curiosæ cujuscunque generis tractu temporis, cum fere quæ polliceantur non præstant (tanquam Icari de cœlo) de existimatione sua decidunt et in contemptum veniunt, et nimia ipsa ostentatione pereunt. Et certe si verum omnino dicendum est, non tam feliciter legum frænâs coërcentur, quam coarguuntur ex vanitate propria,

## XX. ERICHTHONIUS, SIVE IMPOSTURA.

FABULANTUR poëtæ Vulcanum pudicitiam Minervæ sollicitasse, atque subinde cupidine incensum, vim adhibuisse, atque in ipsa lucta semen in terram effudisse, ex quo Erichthonium natum esse, qui (partes superiores) decora et grata erat corporis compage, femora autem et tibiæ suberant in anguillæ similitudinem, exilia et deformia: cujus deformitatis cum ipse sibi conscius esset, eum primum curruum usum invenisse, ut quod in corpore magnificum erat, ostentaret, probrum autem tegetet.

Hujus fabulæ miræ et prodigiosæ ea sententia esse videtur: artem, quæ sub persona Vulcani ob multiplicem ignis usum repræsentatur, quoties per corporum omnimodas vexationes, naturæ vim facere, eamque vincere ac subigere contendat (natura autem sub persona Minervæ, ob operum solertiam adumbratur) ad votum et finem destinatum raro pertingere; sed tamen multa machinatione et molitione (tanquam lucta) intercidere atque emitti generationes imperfectas, et opera quædam manca, aspectu speciosa, usu infirma et claudicantia; quæ tamen impostores multo et fallaci apparatu ostentant, et veluti triumphantes circumducunt. Qualia fere et inter productiones chemicas, et inter subtilitates et novitates mechanicas sæpius notare licet; præsertim cum homines potius propositum urgentes, quam ab erroribus suis se recipientes, cum natura colluctentur magis quam debito obsequio et cultu ejus amplexus petant.

## XXI. DEUCALION, SIVE RESTITUTIO.

NARRANT poëtæ, extinctis prorsus prisci orbis incolis per diluvium universale, cum soli restarent Deucalion et Pyrrha, qui ardebant desiderio pio et inclyto instaurandi generis humani, eos hujusmodi oraculum excepisse: voti compotes futuros, si ossa matris acciperent et post se jacerent: quod illis primo magnam tristitiam et desperationem incussit: cum, æquata rerum facie per diluvium, sepulchri perscrutatio omnino res sine exitu esset: sed tandem intellexerunt lapides terræ (cum tellus omnium mater habeatur) ab oraculo significari.

Fabula arcanum naturæ recludere videtur, et errorem animo humano familiarem corrigere; hominis enim imperitia judicat rerum renovationes sive instaurationes, ex earundem putredine et reliquiis (ut Phœnicem ex cinere propria) suscitari posse, quod nullo modo convenit, cum hujusmodi materiæ spatia sua confecerint, et ad initia ipsarum rerum prorsus ineptæ sint. Itaque retrocedendum ad principia magis communia.

## XXII. NEMESIS, SIVE VICES RERUM.

NEMESIS traditur fuisse dea, omnibus veneranda, potentibus et fortunatis etiam metuenda. Ea Noctis et Oceani filia fuisse perhibetur. Effigies autem ejus describitur talis. Alata erat, etiam coronata; in manibus autem gestabat dextra hastem e fraxino, sinistra phialam, in qua inclusi erant Æthiopes: insidebat autem cervo.

Parabola ejusmodi esse videtur; nomen ipsum Nemesis vindictam, sive retributionem satis aperte significat: hujus enim deæ officium, et administratio in hoc sita erat, ut beatorum constanti et perpetuæ felicitati, instar tribuni plebis, intercederet, ac illud suum *Veto* interponeret: neque solum insolentiam castigaret, verum etiam rebus prosperis, licet innocentibus et moderatis, rerum adversarum vices rependeret; ac si neminem humanæ sortis ad convivia deorum admitti mos esset, nisi ad ludibrium: equidem cum illud

capitulum apud C. Plinium perlego, in quo ille infortunia et miserias Augusti Cæsaris collegit, quem omnium hominum fortunatissimum existimabam, quique artem etiam quandam utendi et fruendi fortuna habebat, ac cujus in animo nil tumidum, nil leve, nil molle, nil confusum, nil melancholicum, annotare licet (ut ille etiam sponte mori aliquando destinasset) hanc deam magnam et præpotentem esse judicavi, ad cujus aram talis victima tracta esset. Parentes hujus deæ fuere Oceanus et Nox; hoc est, rerum vicissitudo, et iudicium divinum obscurum et secretum; etenim vices rerum per oceanum apte repræsentantur, ob perpetuum fluxum et refluxum: occulta autem providentia, per noctem rite proponitur. Nam etiam apud ethnicos nocturna illa Nemesis, cum scilicet iudicium humanum a divino discors esset, in observatione erat.

Æn. ii.  
427.

*Cadit et Ripheus, justissimus unus  
Qui fuit ex Teucris, et servantissimus æqui.  
Diis aliter visum.*

Alata autem describitur Nemesis, ob subitas rerum conversiones, nec ante prævisas; nam in omni rerum memoria illud fere usuvenit, ut homines magni et prudentes per ea discrimina perierint, quæ maxime contempserint. Certe, cum M. Cicero, a Decimo Bruto, de Octavii Cæsaris minus sincera fide et animo exulcerato monitus esset; illud tantum rescripsit: *Te autem, mi Brute, sicut debeo, amo, quod istud, quicquid est, nugarum me scire voluisti.* Etiam corona Nemesis insignitur, ob naturam vulgi invidam et malignam: quando enim fortunati et potentes ruunt, tum fere vulgus exultat, et Nemesein coronat. Hasta autem in dextrâ ad eos pertinet, quos Nemesis actu percutit et transfigit. Quos autem calamitate et infortuno non mactat, illis tamen spectrum illud atrum et infaustum in sinistra ostentat: obversantur enim proculdubio mortalibus, etiam in summo fastigio felicitatis positis, mors, et morbi, et infortunia, et amicorum perfidiæ, et inimicorum insidiæ, et rerum mutationes, et hujusmodi; veluti Æthiopes illi in phiala:

certe Virgilius, cum prælium Actiacum describit, de Cleopatra illud eleganter subjungit :

*Regina in mediis, patrio vocat agmina sistro ;  
Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.*

Æn.  
viii.  
696.

Verum non multo post, quocunque se illa verteret, tota agmina Æthiopum obversabantur. Ad extremum prudenter additur, Nemesin cervo insidere, quia vivax admodum animal est cervus ; atque fieri fortasse potest, ut qui juvenis fato ereptus sit, Nemesin prævertat et effugiat ; cui autem diuturna obvenit felicitas et potentia, is proculdubio Nemesi subjicitur, ac veluti substernitur.

### XXIII. ACHELOUS, SIVE PRÆLIUM.

NARRANT antiqui, cum Hercules et Achelous de nuptiis Dejaniræ contenderent, rem ad certamen deductam esse. Achelous autem, cum varias et multiplices formas tentasset (nam hoc ei facere licebat) tandem Herculi sub forma tauri torvi et frementis occurrit, et ad pugnam se paravit : Hercules vero, solitam retinens figuram humanam, in eum impetum fecit ; res cominus gesta est : eventus autem talis fuit, ut Hercules alterum ex cornibus tauro fregerit : ille majorem in modum dolens et perterritus, ut cornu illud suum redimeret, permutatione facta, cornu Amaltheæ sive copiæ Herculi largitus est.

Fabula ad belli expeditiones pertinet ; apparatus enim belli ex parte defensiva (qui per Acheloum proponitur) varius admodum et multiformis est. Nam invadentis species unica est et simplex, cum ex exercitu solo aut classe fortasse constet : regio autem, quæ in solo proprio hostem expectat, infinita molitur, oppida munit, diruit, plebem ex agris et villis in urbes et castella cogit, pontes exstruit, prosternit, copias et comæatus comparat, distribuit, in fluviis, portibus, collium faucibus, sylvis, et aliis rebus innumeris occupata est, ut novas rerum facies quotidie induat et experiatur ; ac tandem cum abunde munita et instructa fuerit, tauri pugnacis formam et minas

ad vivum repræsentet. Ille autem qui invadit, prælium captat, et in hoc maxime incumbit, inopiam in terra hostili metuens: quod si fiat ut, prælio commisso, acie victor sit, et tanquam cornu hosti frangat; tum proculdubio illud assequitur, ut hostis trepidus et existimatione diminutus, ut se explicet, et vires suas repararet, in munitiora se recipiat; atque urbes et regiones victori ad populandum et diripiendum relinquat; quod vere instar cornu illius Amaltheæ censerî possit.

#### XXIV. DIONYSUS, SIVE CUPIDITAS.

Fabula hæc invenitur in libro secundo *De augmentis scientiarum*, aucta et locupletata.

**NARRANT** Semelen Jovis pellicem, postquam juramento eum inviolabili ad votum indefinitum obstrinxisset; petiisse ut ad amplexus suos accederet talis, qualis cum Junone consuisset: itaque illa ex conflagratione periit. Infans autem quem in utero gestabat, a patre exceptus, in femur ejus insutus est, donec menses fœtui destinatos compleret; ex quo tamen onere Jupiter nonnihil claudicabat: itaque puer, quod Jovem, dum in femore ejus portaretur, gravaret et pungeret, Dionysi nomen accepit. Postquam autem editus esset, apud Proserpinam per aliquot annos nutritus est; cum vero adultus esset, ore fere muliebri conspiciebatur, ut sexus videretur tanquam ambigui: etiam extinctus et sepultus erat ad tempus, et non ita multo post revixit. Atque prima juvena vitis culturam, atque adeo vini confectionem et usum primus invenit et edocuit; ex quo celebris factus et inclytus, orbem terrarum subjugavit et ad ultimos Indorum terminos perrexit: curru autem vehebatur a tigribus tracto: circa eum subsultabant dæmones deformes, Cobali vocati, Acratus, et alii: quin et Musæ comitatu ejus se addebant. Uxorem autem sibi sumpsit Ariadnen a Theseo desertam et relictam. Arbor ei sacra erat hedera. Etiam sacrorum et ceremoniarum inventor et institutor habebatur, ejus tamen generis quæ et fanaticæ erant et plenæ corruptelarum, atque insuper crudeles. Furores quoque immittendi potestatem habebat. Certe in orgiis ejus a mulieribus furore percitis duo viri insignes discerpti narrantur,

Pentheus et Orpheus; ille dum, arbore conscensa, spectator eorum quæ agerentur esse voluisset; hic cum lyram pulsaret. Atque hujus Dei res gestæ cum Jovis rebus fere confunduntur.

Fabula videtur ad mores pertinere, ut nihil in philosophia morali melius inveniatur. Describitur autem sub persona Bacchi natura cupiditatis, sive affectus et perturbationis. Mater enim cupiditatis omnis, licet nocentissimæ, non alia est, quam appetitus et desiderium boni apparentis: concipitur vero semper cupiditas in voto illicito prius temere concesso, quam intellecto et judicato. Postquam autem affectus effervescere cœperit, mater ejus (natura scilicet boni) ex nimio incendio destruitur et perit: cupiditas autem, dum immatura est in anima humana (quæ ejus genitor est, et per Jovem repræsentatur) et nutricatur et occultatur, præcipue in animæ parte inferiore tanquam femore; atque animum pungit et convellit et deprimit; adeo ut decreta et actiones ex ea impediuntur et claudicent. Atque etiam postquam consensu et habitu confirmata est, et in actus erumpit, tamen apud Proserpinam ad tempus educatur; id est, latebras quærit, atque clandestina est et quasi subterranea, donec, remotis pudoris et metus frænæ, et coalita audacia, aut virtutis alicujus prætextum sumit, aut infamiam ipsam contemnit. Atque illud verissimum est, omnem affectum vehementiorem tanquam ambigui sexus esse. Habet enim impetum virilem, impotentiam autem muliebrem. Etiam illud præclare, Bacchum mortuum reviviscere. Videntur enim affectus quandoque sopiti atque extincti, sed nulla fides habenda est eis, ne sepultis quidem; siquidem præbita materia et occasione resurgunt.

Atque de inventione vitis parabola prudens est: omnis enim affectus ingeniosus est et sagax ad investigandum fomites suos; ante omnia autem, quæ hominibus innotuere, vinum ad perturbationes cujuscunque generis excitandas et inflammandas potentissimum est et maxime efficax; atque est eis instar fomitis communis. Elegantissime autem ponitur affectus provinciarum subjugator, et expeditionis infinitæ susceptor. Nunquam enim partis acquiescit, sed appetitu infinito ne-

que satiabili ad ulteriora tendit et novis inhiat. Etiam tigres apud affectus stabulant et ad currum jugantur; postquam enim affectus aliquis curulis esse cœpit, non pedestris, et victor rationis et triumphator, in omnia, quæ adversantur aut se opponunt, crudelis est et indomitus et immitis. Facetum autem est, quod circa currum subsultant illi dæmones ridiculi. Omnis enim affectus progignit motus in oculis, et ore ipso et gestu, indecoros et inconditos, subsultorios et deformes, adeo ut qui sibi in aliquo affectu, veluti ira, insultatione, amore, videatur magnificus et tumidus, aliis tamen sit turpis et ridiculus. Conspiciuntur etiam in affectus comitatu Musæ. Neque enim reperitur ullus fere affectus, cui non blandiatur aliqua doctrina. Hac enim in re ingeniorum indulgentia Musarum majestatem minuit, ut, cum duces vitæ esse debeant, sint affectuum pedissequæ.

Atque imprimis nobilis est illa allegoria, Bacchum amores suos in eam effudisse, quæ ab alio relicta erat. Certissimum enim est, affectum id petere et ambire, quod experientia repudiavit. Atque norint omnes, qui, affectibus suis servientes et indulgentes, pretium potiundi in immensum augent, sive honores appetant, sive fortunas, sive amores, sive gloriam, sive scientiam, sive alia quæcunque, se res relictas petere, et a compluribus per omnia fere secula post experimentum dimissas et fastiditas. Neque mysterio caret, quod hedera Baccho sacra fuerit. Hoc enim duplici modo convenit. Primum, quod hedera hieme virescat; deinde, quod circa tot res, arbores, parietes, ædificia serpat, ac circumfundatur, ac se attollat. Quod ad primum enim attinet, omnis affectus, per renitentiam et vetitum, et tanquam antiperistasin (veluti per frigus brumæ hedera) virescit et vigorem acquirit. Secundo, affectus prædominans omnes humanas actiones, et omnia humana decreta, tanquam hedera, circumfunditur, atque iis se addit et adjungit et immiscet. Neque mirum est si superstitiosi ritus Baccho attribuantur, cum omnis fere malesanus affectus in pravis religionibus luxuriatur: aut si furores ab eo immitti putentur; cum omnis affectus et ipse furor brevis sit, et, si vehementius obsideat



et incumbat, in insania terminetur. Illud autem de Pentheo et Orpheo laceratis evidentem habet parabolam; cum affectus prævalidus, et inquisitioni curiosæ et adinonitioni salutari et liberæ asperrimus atque infensissimus sit. Postremo illa confusio personarum Jovis et Bacchi ad parabolam recte traduci potest; quandoquidem res gestæ nobiles et claræ, et merita insignia et gloriosa, interdum a virtute et recta ratione et magnanimitate, interdum a latente affectu, et occulta cupiditate (utcunque famæ et laudis celebritate efferantur) proveniant: ut non facile sit distinguere facta Bacchi a factis Jovis.

### XXV. ATALANTA, SIVE LUCRUM.

ATALANTA cum velocitate excelleret, de victoria cursus cum Hippomene certamen iniit. Conditiones certaminis erant; victori Hippomeni conjugium Atalantæ, mors victo. Neque dubia victoria videbatur, cum Atalantæ insuperabilis in cursu præstantia multorum exitio insignita fuisset. Itaque Hippomenes ad dolos animum adjecit. Paravit autem tria mala aurea, eaque secum portavit. Res geri cœpit; præcurrit Atalanta; ille, cum se a tergo relictum cerneret, artis non immemor, ex malis aureis unum ante conspectum Atalantæ projecit; non recta quidem, sed ex transverso, ut illam et moraretur, atque insuper de via deduceret; illa, cupiditate muliebri, et mali pulchritudine illecta, omisso stadio, post malum cucurrit, et ad illud tollendum se submisit. Hippomenes interim spatium stadii non parvum confecit, eamque post se reliquit. Illa tamen rursus naturali pernicitate jacturam temporis resarcivit, atque iterum emicuit: sed cum Hippomenes secundo et tertio hujusmodi moras ei injecisset, tandem victor astutia, non virtute evasit.

Fabula videtur allegoriam insignem proponere de certamine artis cum natura. Ars enim, per Atalantam significata, virtute propria, si nihil obstet et impediat, longe natura velocior est, et veluti cursus citatoris; et celerius ad metam pervenit. Hoc enim in omnibus fere

effectis patet; cernas fructus ex nucleis tarde, ex insitione celeriter provenire; cernas lutum in generatione lapidum tarde, in torrefactione laterum cito durescere: etiam in moralibus, dolorum oblivionem et solatia diurnitas temporis, quasi ex beneficio naturæ, inducit; philosophia autem (quæ veluti ars vivendi est) diem non exspectat, sed præstat et repræsentat. Verum istam artis prærogativam et vigorem, infinito rerum humanarum detrimento, mala aurea retardant. Neque reperitur ex scientiis aut artibus aliqua, quæ cursum suum verum et legitimum ad finem suum, tanquam ad metam constanter produxerit; sed perpetuo artes incepta præcidunt, et stadium deserunt, et ad lucrum et commodum declinant, instar Atalantæ.

*Declinat cursus, aurumque volubile tollit.*

Itaque mirum minime est, si arti non datum sit naturam vincere, et victam ex pacto illo et lege certaminis perimere aut destruere; sed contrarium eveniat, ut ars in naturæ potestate sit, atque veluti nupta mulier conjugii pareat.

## XXVI. PROMETHEUS, SIVE STATUS HOMINIS.

TRADUNT antiqui hominem fuisse opus Promethei, atque ex luto factum, nisi quod Prometheus particulas ex diversis animalibus massæ admiscuerit. Ille autem cum opus suum beneficio suo tueri vellet, neque conditor solum generis humani videri, verum etiam amplificator, ad cælum ascendit furtim, fascis secum portans ex ferula, quibus ad currum solis admotis et accensis, ignem ad terram detulit, atque cum hominibus communicavit. Ob tantum Promethei meritum memorant homines parum gratos fuisse. Quinetiam, conspiratione facta, et Prometheum et inventum ejus apud Jovem accusarunt. Ea res non perinde accepta, atque æquum videri possit. Nam ipsa accusatio Jovi et superis admodum cordi fuit. Itaque delectati non solum ignis usum hominibus indulserunt, verum et novum munus, omnium maxime amabile et optabile (per-

petuam nimirum juventam) hominibus donarunt: illi, gestientes et inepti, donum deorum asello imposuerunt. Inter redeundum autem laborabat asellus siti gravi et vehementi; cumque ad fontem quendam pervenisset, serpens fonti custos additus, eum a potu prohibuit, nisi illud, quodcunque esset, quod in dorso portaret, pacisci vellet: asellus miser conditionem accepit, atque hoc modo instauratio juventutis, in pretium haustus pusillæ aquæ, ab hominibus ad serpentes transmissa est. Verum Prometheus, a malitia sua non abscedens, atque hominibus, post præmium illud eorum frustratum, reconciliatus, animo vero erga Jovem exulcerato, dolos etiam ad sacrificium adhibere veritus non est. Atque duos aliquando tauros Jovi dicitur immolasse, ita tamen ut in alterius pelle carnes et adipem amborum incluserit, alteram pellem ossibus tantummodo suffarcinavit; atque deinde religiosus scilicet et benignus Jovi optionem concessit. Jupiter, vafriem et malam fidem ejus detestatus, sed nactus occasionem ultionis, ludibrium illud tauri elegit, atque ad vindictam conversus, cum se insolentiam Promethei reprimere non posse animadverteret, nisi hominum genus (quo opere ille immensum turgebat et efferabatur) afflisset, Vulcano imperavit, ut fœminam componeret pulchram et venustam, cui etiam dii singuli dotes suas impertierunt, quæ idcirco Pandora vocata est. Huic fœminæ inter manus vasculum elegans posuerunt, in quo omnia mala et ærumnas incluserant; subsidebat autem in imo vase Spes. Illa cum vasculo suo ad Prometheum primo se contulit; eum captans, si forte ille vas accipere vellet et aperire: quod ille cautus et astutus rejecit. Itaque ad Epimetheum Promethei fratrem (sed diversæ admodum indolis) sprete deflexit. Ille, nihil cunctatus, vas temere aperuit; cumque mala illa omnigena evolare cerneret, sero sapiens, magna contentione et festinatione vasi operculum suum rursus indere conatus est, vix tamen ultimam et in fundo residentem Spem servare potuit. Postremo Prometheo Jupiter plurima et gravia imputans, quod ignis olim furtum fecisset, quod Jovis majestatem in sacrificio illo doloso ludibrio habuisset; quod donum ejus aspernatus esset, novo etiam addito

crimine, quod Palladem vitiare tentasset, eum in vincula coniecit, et ad perpetuos cruciatus damnavit. Erat enim jussu Jovis adductus ad montem Caucasum, atque ibi columnae alligatus, ut nullo pacto se movere posset: aderat autem aquila, quae jecur ejus interdum rostro tundebat atque consumebat, noctu autem quantum comesum erat, renascebatur; ut nunquam doloris materia deficeret. Memorant tamen hoc supplicium aliquando finem habuisse: Hercules enim in poculo, quod a sole acceperat; navigato oceano, ad Caucasum pervenit, atque Prometheum liberavit, aquila sagittis confixa. Instituta autem sunt, in honorem Promethei, apud nonnullos populos, lampadiferorum certamina, in quibus decurrentes accensas faces ferebant, quas si extinguere contigisset, victoriam sequentibus cedebant et se subducebant, atque is demum palmam accepit, qui primus facem accensam ad metam usque detulisset.

Fabula contemplationes plurimas veras atque graves, et prae se fert, et premit. Nonnulla enim in ea jam pridem recte notata, alia plane intacta sunt. Prometheus providentiam liquido et diserte significat: atque in rerum universitate sola desumpta et delecta est ab antiquis hominis fabrica et constitutio, quae providentiae attribuitur tanquam opus proprium. Hujus rei non solum illud in causa esse videtur, quod hominis natura mentem suscipit, atque intellectum providentiae sedem; atque durum quodammodo videtur et incredibile ex principiis brutis et surdis excitare, et educere rationem et mentem, ut fere necessario concludatur providentia animae humanae indita esse, non sine exemplari, et intentione, et auctoramento providentiae majoris: verum et hoc praecipue proponitur, quod homo veluti centrum mundi sit, quatenus ad causas finales; adeo ut, sublato e rebus homine, reliqua vagari sine proposito videantur et fluctuari, atque, quod aiunt, scopae dissolutae esse, nec finem petere. Omnia enim subserviunt homini, isque usum et fructum ex singulis elicit et capit. Et enim astrorum conversiones, et periodi, et ad distinctiones temporum, et ad plagarum mundi distributionem faciunt. Et meteora ad praesagia tempestatum, et ventum ad navigandum, tum ad molas, et machinas: et

plantæ atque animalia cujuscunque generis, aut ad domicilia hominis et latebras, aut ad vestes, aut ad victum, aut ad medicinam, aut ad levandos labores, aut denique ad delectationem et solatium referuntur: adeo ut omnia prorsus non suam rem agere videantur, sed hominis. Neque temere additum est, in massa illa et plasmate particulas ex diversis animantibus desumptas, atque cum luto illo temperatas et confusas fuisse; quia verissimum est, omnium rerum, quas universum complectitur, hominem rem maxime compositam esse et decompositam, ut non immerito ab antiquis mundus minor vocatus sit. Quamvis enim verbi *microcosmi* elegantiam chemici nimis putide et ad literam acceperint et detorserint, dum in homine omnem mineram, omne vegetabile, et reliqua, aut aliquid eis proportionatum, subesse volunt; manet tamen illud solidum et sanum quod diximus, corpus hominis omnium entium et maxime mistum, et maxime organicum reperiri, quo magis admirandas virtutes et facultates suscipit, et nanciscitur: simplicium enim corporum vires paucæ sunt, licet certæ et rapidæ, quia minime per mixturam refractæ, et comminutæ, et libratae existunt; virtutis autem copia et excellentia in mistura et compositione habitat. Atque nihilominus homo in originibus suis videtur esse res inermis et nuda, et tarda in juvamentum sui, denique quæ plurimis rebus indigeat. Itaque festinavit Prometheus ad inventionem ignis, qui omnibus fere humanis necessitatibus et usibus suppeditat et ministrat levamenta et auxilia: ut si forma formarum anima, si instrumentum instrumentorum manus, etiam auxilium auxiliorum sive opis opum ignis dici mereatur. Hinc enim operationes quamplurimæ; hinc artes mechanicæ; hinc scientiæ ipsæ infinitis modis adjuvantur. Modus autem furti ignis apte describitur, atque ex natura rei. Is fuisse perhibetur per virgam ex ferula ad currum solis admotam. Ferula enim ad percussionem et plagas adhibetur, ut luculenter significetur, ignis generationem per corporum violentas percussiones et collisiones fieri, ex quibus attenuantur materiæ, et in motu ponuntur, et ad calorem cælestium suscipiendum præparantur,

ignemque, veluti ex curru solis, modis clandestinis, ac quasi furtim decerpunt et rapiunt. Sequitur parabolæ pars insignis. Homines, loco gratulationis et gratiarum actionis, ad indignationem et expostulationem versos esse, atque accusationem et Promethei et ignis apud Jovem instituisse; eamque rem Jovi acceptissimam fuisse, adeo ut hominum comoda ob hoc nova munificentia cumulaverit. Quorsum enim ista criminis ingrati erga auctorem suum animi (quod vitium omnia fere complectitur) approbatio et remuneratio? Res alio spectare videtur. Hoc enim vult allegoria; incusationem et naturæ suæ, et artis, per homines factam, ex optimo mentis statu proficisci, atque in bonum cedere; contrarium diis invisum et infaustum esse. Qui enim naturam humanam vel artes receptas in immensum extollunt, et effusi sunt in admirationem earum rerum, quas habent et possident, et scientias, quas profitentur aut colunt, perfectas prorsus censi volunt, illi primo adversus divinam naturam minus reverentes sunt, cujus perfectioni sua fere æquiparant; deinde iidem erga homines magis sunt infructuosi, cum se ad fastigium rerum jam pervenisse putent, et tanquam perfuncti ulteriora non quærant. Contra qui naturam et artes deferunt, et accusant, et querimoniarum pleni sunt, illi vere et magis modestum animi sensum retinent, et perpetuo ad novam industriam, et nova inventa exstimulantur. Quo mihi magis mirari libet hominum inscitiam et malum genium, qui, paucorum arrogantiae servuli, istam peripateticorum philosophiam, portionem Græcæ sapientiæ, nec eam magnam, in tanta veneratione habent, ut omnem ejus incusationem non solum inutilem, sed suspectam et fere periculosam reddiderint. Atque magis probandus est et Empedocles, qui tanquam furens, et Democritus, qui magna cum verecundia, queruntur, omnia abstrusa esse, nihil nos scire, nil cernere, veritatem in profundis puteis immersam, veris falsa miris modis adjuncta atque intorta esse (nam academia nova modum prorsus excessit) quam Aristotelis schola fidens et pronuntiatrix. Itaque monendi sunt homines, delationem naturæ et artis diis

cordi esse, et novas eleemosynas, et donaria a divina benignitate impetrare; et incusationem Promethei, licet auctoris et magistri, eamque acrem et vehementem, magis sanam et utilem, quam gratulationem effusam, esse; denique opinionem copiæ inter maximas causas inopiæ reponi. Quod vero attinet ad doni genus, quod homines in præmium accusationis dicuntur accepisse (florem juventutis videlicet non deciduum) ejusmodi est, ut videantur antiqui de modis et medicinis ad senectutis retardationem et vitæ prolongationem facientibus non desperasse; sed illa utique numerasse potius inter ea, quæ per hominum inertiam et incuriam, licet semel accepta, periire aut frustrata sunt; quam inter ea, quæ plane negata et nunquam concessa fuerint. Significant enim et innuunt, ex ignis vero usu, atque ex artis erroribus bene et strenue accusatis et convictis, munificentiam divinam ad hujusmodi dona hominibus non defuisse; ipsos sibi deesse, cum hoc deorum munus asello imposuerint lento et tardigrado; ea videtur esse experientia, res stupida et plena moræ, ex cujus gradu tardo et testudine antiqua illa querimonia de vita brevi et arte longa nata est. Atque certe nos in ea sumus opinione, facultates illas duas, dogmaticam et empiricam, adhuc non bene conjunctas et copulatas fuisse, sed nova deorum munera aut philosophiis abstractis, tanquam levi volucris; aut lentæ et tardæ experientiæ, tanquam asello, imposita esse: in quo tamen de asello illo non male ominandum est, nisi interveniat illud accidens viæ et sitis. Existimamus enim, si quis experientiæ, veluti certa lege et methodo, constanter militet, neque inter viam experimenta, quæ vel ad lucrum faciunt, vel ad ostentationem, hauriendi siti corripatur, adeo ut ad ea comparanda onus suum deponat et distrahat; eum munificentia divina auctæ et novæ bajulum non inutilem fore. Quod vero donum illud ad serpentes transierit, ea videtur adjectio ad fabulam ornatus fere gratia, nisi forte illud inseruerint, ut homines pudeat, se cum igne illo suo et tot artibus ea in se transferre non posse, quæ natura ipsa compluribus aliis animalibus largita est. Etenim illa subita hominum cum Prometheo reconciliatio, postquam spe sua deci-

disseut, monitum habet utile et prudens: notat enim hominum levitatem et temeritatem in experimentis novis. Ea enim si statim non succedant et ad vota respondeant, præpropera festinatione homines iucepta deserunt, et præcipites ad vetera recurrunt, iisque reconciliantur. Descripto statu hominis quoad artes et intellectualia, parabola transit ad religionem; culturam enim artium cultus divinorum comitatus est: quem statim hypocrisis occupavit et polluit. Itaque sub duplici illo sacrificio eleganter repræsentatur persona vere religiosi et hypocritæ. Alteri enim inest adeps, Dei nimirum portio, ob inflammationem et suffitum, per quod affectus et zelus, ad gloriam Dei incensus atque alta petens, significatur; insunt viscera charitatis, insunt carnes bonæ et utiles. In altero nihil præter ossa arida et nuda reperiuntur, quæ nihilominus pellem farciunt, et hostiam pulcherrimam, et magnificam imitantur; per quæ recte notantur externi et inanes ritus, et cæremoniæ jejunæ, quibus homines cultum divinum onerant et inflant, res ad ostentationem potius compositæ, quam ad pietatem facientes. Neque satis est hominibus hujusmodi ludibria Deo offerre, nisi ea etiam illi imponant et imputent, ac si ipse illa elegerit et præscripserit. Certe propheta sub Dei persona de hac optione expostulat: *Num tandem hoc est illud jejunium, quod elegi, ut homo animam suam in diem unum affligat, et caput instar junci demittat?* Post statum religionis, parabola se vertit ad mores et humanæ vitæ conditiones. Atque pervulgatum est illud, et tamen recte positum, per Pandoram significari voluptatem et libidinem, quæ post vitæ civilis artes, et cultum, et luxum, veluti ex dono ignis, et ipsa incensa est. Itaque Vulcano, qui similiter ignem repræsentat, opificium voluptatis deputatur. Ab illa autem infinita mala et in animos, et in corpora, et fortunas hominum una cum sera pœnitentia fluxerunt; neque tantum in status singulorum, verum etiam in regna et respublicas. Ab eodem enim fonte bella, et tumultus, et tyrannides ortum traxere. Verum operæ pretium est animadvertere, quam belle et eleganter fabula duas humanæ vitæ conditiones, et veluti tabulas sive exempla, sub personis Promethei et Epimethei



depinxerit. Qui enim sectam Epimethei sequuntur, illi improvidi, neque in longum consulentes; quæ in præsentia suavia sunt, prima habent, atque multis sane propter hoc angustiis, et difficultatibus, et calamitatibus premuntur, et perpetuo fere cum illis conflictantur; interim tamen genium suum placant, atque insuper ob rerum imperitiam multas inanes spes intra animum volunt, quibus tamen, veluti suavibus insomniis, se delectant, atque miserias vitæ suæ condiunt. Promethei autem schola, homines nimirum prudentes, et in futurum prospicientes, multa scilicet mala et infortunia caute submovent et rejiciunt; verum cum hoc bono illud conjunctum est, ut multis voluptatibus et varia rerum jucunditate se privent, et genium suum fraudent, atque, quod multo pejus est, curis, et solitudine, et timoribus intestinis se crucient et conficiant: alligati enim necessitatis columnæ, innumeris cogitationibus (quæ, quia volucres admodum sunt, per aquilam significantur) iisque pungentibus, et jecur mordentibus, et corrodentibus vexantur; nisi forte aliquando, veluti noctu, exiguam quampiam animi remissionem et quietem nanciscantur; ita tamen ut statim subinde redeant novæ anxietates et formidines. Itaque paucis admodum utriusque sortis beneficium contigit, ut providentiæ comodo retinuerint, solitudinis et perturbationis malis se liberarint: neque id quisquam assequi potest, nisi per Herculem, id est, fortitudinem et animi constantiam, quæ in omnem eventum parata, et cuicumque sorti æqua, prospicit sine metu, fruitur sine fastidio, et tolerat sine impatientia. Atque illud notatu dignum est, virtutem hanc Prometheo non innatam, sed adventitiam fuisse, atque ex ope aliena: nulla enim ingenita et naturalis fortitudo tantæ rei par esse possit. Sed hæc virtus ab ultimo oceano, atque a sole accepta et advecta est: præstatur enim a sapientia, tanquam a sole, et a meditatione inconstantis ac veluti undarum humanæ vitæ, tanquam a navigatione oceani; quæ duo Virgilius bene conjunxit:

Georg  
ii. 490.

*Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,  
Quique metus omnes et inexorabile fatum  
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.*

Elegantissime autem additur ad hominum animos consolandos et confirmandos, heroëm istum ingentem in poculo sive urceo navigasse: ne forte naturæ suæ angustias et fragilitatem nimium pertimescant aut causentur; ac si hujusmodi fortitudinis et constantiæ capax omnino non esset; de quo ipso Seneca bene ominatus est, cum dicat, *Magnum est habere simul fragilitatem hominis, et securitatem Dei.* Sed jam retrocedendum est ad illud, quod consulto præterivimus, ne ea, quæ inter se connexa sunt, abrumperemus: hoc est, de novissimo illo Promethei crimine, quod pudicitiam Minervæ sollicitasset. Nam et ob hoc delictum gravissimum certe et maximum illam pœnam laniationis viscerum subiit. Illud non aliud esse videtur, quam quod homines, artibus et scientia multa inflati, etiam sapientiam divinam sensibus et rationi subjicere sæpius tentent; ex quo certissime sequitur mentis laceratio et stimulatio perpetua et irrequieta. Itaque mente sobria et submissa distinguenda sunt humana et divina; atque oracula sensus et fidei; nisi forte et religio hæretica, et philosophia commentitia hominibus cordi sit. Restat ultimum illud de ludis Promethei cum tædis ardentibus. Hoc rursus ad artes et scientias pertinet, sicut ignis ille, ad cuius memoriam et celebrationem hujusmodi ludi instituti sunt; atque continet in se monitum, idque prudentissimum, ut perfectio scientiarum a successione, non ab unius alicujus pernitate aut facultate, expectetur. Etenim qui ad cursum et contentionem velocissimi et validissimi sunt, ii ad facem suam accensam servandam fortasse minus sunt habiles, cum a cursu rapido æque, ac nimis tardo, periculum extinctionis immineat. Isti autem luminum cursus et certamina jam pridem intermissa videntur, cum scientiæ in primis quibusque auctoribus, Aristotele, Galeno, Euclide, Ptolemæo, maxime florere cernantur; atque successio nil magni effecerit aut fere tentaverit. Atque optandum esset, ut isti ludi in honorem

Promethei sive humanæ naturæ instaurarentur, atque res certamen et æmulationem et bonam fortunam reciperet, neque ex unius cuiuspiam face tremula atque agitata penderet. Itaque homines monendi sunt, ut se ipsi exsuscitent, et vires atque etiam vices suas experiantur, neque in paucorum hominum animulis et cerebellis omnia ponant. Hæc sunt illa, quæ in fabula ista vulgari et decantata nobis adumbrari videntur; neque tamen inficiamur, illi subesse haud pauca, quæ ad Christianæ fidei mysteria miro consensu innuant; ante omnia navigatio illa Herculis in urceo ad liberandum Prometheum, imaginem Dei Verbi, in carne, tanquam fragili vasculo, ad redemptionem generis humani properantis, præ se ferre videtur. Verum nos omnem in hoc genere licentiam nobis ipsi interdiciamus, ne forte igne extraneo ad altare Domini utamur.

#### XXVII. ICARUS VOLANS; ITEM SCYLLA ET CHARYBDIS, SIVE VIA MEDIA.

MEDIOCRITAS, sive via media, in moralibus laudatissima est; in intellectualibus minus celebrata, sed non minus utilis et bona; in politicis tantum suspecta, et cum iudicio adhibenda. Morum autem mediocritates per viam Icaro præscriptam; intellectualium autem per viam inter Scyllam et Charybdim, ob difficultatem et periculum, decantatam ab antiquis notantur. Icaro præcepit pater, cum mare esset prætervolandum, ut viam aut nimis sublimem, aut nimis humilem caveret. Cum enim alæ cera essent conglutinatæ, periculum erat si altius efferretur, ne cera ex solis ardore liquefieret; sin ad vaporem maris propius se submitteret, ne ab humore cera minus tenax efficeretur. Ille vero ausu juvenili in celsiora contendit, atque in præceps lapsus est.

Parabola facilis et vulgata est: virtutis enim via inter excessum et defectum recto tramite aperitur. Neque mirum erat si Icarum, juvenili alacritate gestientem, excessus perdidit. Excessus enim fere juvenum; defectum senum, vitia esse solent. Ex semitis tamen malis et nocivis elegit Icarus (si plane pereundum erat) meliorem. Defectus enim recte æstimantur excessibus

praviores. Quandoquidem excessui nonnihil magnanimitatis subsit, et cognationis cum cœlo, ad instar volucris: defectus vero humi serpat, instar reptilis. Præclare Heraclitus: *Lumen siccum, optima anima.* Nam si ex humo humorem contrahat anima, prorsus deprimitur et degenerat: interim tamen modus adhibendus est, ut ab illa siccitate laudata lumen reddatur subtilius, non corripiatur incendium. Atque hæc cuivis fere nota sunt. At via illa in intellectualibus inter Scyllam et Charybdim certe et peritiam navigandi et felicitatem desiderat. Si enim in Scyllam incidant naves, illiduntur cautibus: sin in Charybdim, absorbentur. Cujus parabolæ ea videtur esse vis (quam nos breviter perstringemus, tametsi infinitam trahat contemplationem) ut in omni doctrina et scientia, earumque regulis et axiomatibus, modus teneatur inter distinctionum scopulos, et universalium voragines. Hæc enim duo naufragiis ingeniorum et artium famosa sunt.

#### XXVIII. SPHINX, SIVE SCIENTIA.

TRADITUR Sphinx fuisse monstrum specie multiforme; facie et voce virginis; pennis volucris, unguibus gryphi: jugum autem montis in agro Thebano tenebat et vias obsidebat: mos autem ei erat viatores ex insidiis invadere ac comprehendere: quibus in potestatem redactis, ænigmata quædam obscura et perplexa proponebat, quæ a Musis præbita et accepta putabantur. Ea si solvere et interpretari miseri captivi non possent; hæsitantes, et confusos in illis, magna sævitia dilaniabat. Hæc calamitas cum diu grassaretur, præmium propositum est a Thebanis (ipsum Thebarum imperium) viro qui Sphingis ænigmata explicare possit (neque enim alia superandæ illius ratio erat). Tanto pretio excitatus Œdipus, vir acer et prudens, sed pedibus læsis et perforatis, conditionem accepit, et experiri statuit. Postquam autem fidens animi et alacer se coram Sphinge stitisset; illa ab eo quæsivit, quale tandem illud animal esset, quod primo quadrupes natum, postea bipes factum esset, deinde tripes, ad extremum rursus quadrupes. Ille præsentî animo respondit, illud

in hominem competere, qui sub ipsum partum et infantiam quadrupes provolvitur et vix reperi tentat, nec ita multo post erectus et bipes incedit; in senectute autem baculo innititur et se sustentat, ut tanquam tripes videatur; extrema autem ætate decrepitus senex labantibus nervis, quadrupes decumbit, et lecto affigitur. Itaque vero responso victoriam adeptus, Sphingem interemit; cuius corpus asello impositum, veluti in triumpho ducebatur; ipse autem ex pactis rex Thebanorum creatus est.

Fabula elegans, nec minus prudens est: atque videtur conficta de scientia, præsertim conjuncta practicæ. Siquidem scientia non absurde monstrum dici possit, cum ignorantibus et imperitis prorsus admirationi sit. Figura autem et specie multiformis est, ob immensam varietatem subjecti, in qua scientia versatur: vultus et vox affingitur muliebris ob gratiam et loquacitatem: adduntur alæ, quia scientiæ et earum inventa momento discurrunt et volant, cum communicatio scientiæ sit instar luminis de lumine, quod affatim incenditur. Elegantissime autem attribuuntur ungues acuti et adunci; quia scientiæ axiomata et argumenta penetrant mentem, eamqueprehendunt et tenent ut movere et elabi non possit: quod et sanctus philosophus notavit: *Verba sapientum* (inquit) *sunt tanquam aculei, et veluti clavi in altum defixi*. Omnis autem scientia collocata videtur in arduis et editis montium. Nam res sublimis merito putatur et excelsa, et ignorantiam tanquam ex superiore loco despiciens, atque etiam late et undequaque specularatur et prospicit, ut in verticibus montium fieri solet. Vias autem obsidere fingitur scientia, quia ubique in itinere isto, sive peregrinatione vitæ humanæ, materia et occasio contemplationis se ingerit et occurrit. Proponit autem Sphinx quæstiones et ænigmata mortalibus varia et difficilia, quæ accepit a Musis. Ea tamen quamdiu apud Musas manent, sævitia fortasse carent: donec enim nullus alius finis meditationis et disquisitionis sit præter ipsum scire, intellectus non premitur, nec in arcto ponitur, sed vagatur et exspatiatur, atque in ipsa dubitatione et varietate nonnullam jucunditatem et de-

lectionem sentit: sed postquam a Musis hujusmodi ænigmata ad Sphingem transmissa sunt, id est, ad practicam, ut instet et urgeat actio, et electio, et decretum: tum demum ænigmata molesta et sæva esse incipiunt, et, nisi solvantur et expediuntur, animos hominum miris modis torquent et vexant, et in omnes partes distrahunt et plane lacerant. Proinde in ænigmatibus Sphingis duplex semper proponitur conditio; non solventi mentis laceratio; solventi imperium. Qui enim rem callet, is fine suo potitur, atque omnis artifex operi suo imperat. Ænigmatum autem Sphingis duo in universum sunt genera: ænigmata de natura rerum, atque ænigmata de natura hominis; atque similiter in præmium solutionis sequuntur duo imperia: imperium in naturam, et imperium in homines: veræ enim philosophiæ naturalis finis proprius et ultimus est, imperium in res naturales, corpora, medicinas, mechanica, alia infinita; licet schola, oblati contenta, et sermonibus tumefacta, res et opera negligat et fere projiciat. Verum ænigma illud Œdipodi propositum, ex quo ille imperium Thebanum adeptus est, pertinebat ad naturam hominis: quisquis enim naturam hominis prorsus introspexit, ille faber fere fortunæ suæ esse potest, et ad imperandum natus est. Id quod de Romanis artibus bene pronunciatum est:

Æn.  
vi. 851.

*Tu regere imperio populos, Romane, memento;  
Hæ tibi erunt artes.*

Itaque apposite illud, quod Augustus Cæsar signo Sphingis, sive de industria, sive fortuito usus est. Ille enim (si quis unquam) in politica excelluit, et in vitæ suæ curriculo plurima nova ænigmata de natura hominis felicissime solvit, quæ nisi dexter et paratus solvisset, multoties non procul ab imminente pernicie et exitio abfuisset. Atque additur in fabula Sphingis devictæ corpus in assellum impositum fuisse. Elegantissime certe, cum nihil sit tam acutum et abstrusum, quin postquam plane intellectum et deinceps pervulgatum sit, etiam tardo imponi possit. Neque illud prætermittendum, debellatam esse Sphingem a viro pedibus clavato:

etenim nimis cito pede et celeri gradu ad ænigmata Sphingis homines properare solent: unde fit, ut (prævalente Sphinge) potius per disputationes ingenia et animos lacerent, quam per opera et effectus imperent.

### XXIX. PROSERPINA, SIVE SPIRITUS.

NARRANT Plutonem, postquam regnum inferorum ex partitione illa memorabili accepisset, de nuptiis alicujus e superis desperasse, si eas per colloquia, aut modos suaves tentaret; ut ad raptum consilia sua dirigere ei fuerit necesse. Itaque captata opportunitate Proserpinam Cereris filiam, virginem pulcherrimam, dum flores Narcissi in Siciliae pratis colligeret, subito incursu rapuit, atque quadrigis secum ad subterranea asportavit; ei magna reverentia præbita est, ut et domina Ditis vocata sit. Ceres autem, ejus mater, cum filia sibi unice dilecta nusquam comparuisset, supra modum mœsta et anxia, tædam accensam ipsa manu præ se ferens, universum orbis terrarum ambitum peragravit, ut filiam investigaret et recuperaret. Id cum frustra fuisset, accepto forte indicio quod ad inferos devecta esset, multis lacrymis et lamentationibus Jovem fatigavit, ut illa ei restitueretur. Atque tandem pervicit, ut si illa nihil ex iis, quæ apud inferos essent, degustasset, tum eam abducere liceret. Ea conditio matris desiderio adversa fuit; Proserpina enim grana tria ex malo granato gustasse comperta est. Neque idcirco Ceres destitit, quin preces et ploratus de integro resumeret. Postremo itaque ei indultum est, ut Proserpina, dispertitis temporibus et alternis vicibus, sex menses cum marito, alteris sex cum matre esset. Hanc Proserpinam postea Theseus et Pirithous eximia audacia thalamo Ditis deducere tentarunt. Cum autem in itinere super saxo apud inferos defessi consedissent, eis resurgere minime licuit, sed æternum sedebant. Proserpina itaque inferorum regina mansit; in cujus honorem etiam additum est privilegium magnum; cum enim ab inferis revocare gradum illis, qui eo descendissent, fas non esset, adscripta est huic legi exceptio singularis; ut si quis ramum aureum in donum Proserpinæ attulisset, ei ob hoc

ire et redire liceret. Is ramus unicus erat in ingenti et opaco luco, neque stirps erat, sed visci instar in aliena arbore frondebat, atque avulso illo alter non deficiebat.

Fabula ad naturam pertinere videtur, atque vim et copiam illam in subterraneis divitem et frugiferam, ex qua hæc nostra pullulant, et in quam rursus solvuntur et redeunt, perscrutari. Per Proserpinam antiqui significarunt spiritum illum æthereum, qui sub terra (per Plutonem repræsentata) clauditur et detinetur, a superiore globo divulsus, quod non male expressit ille:

*Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto  
Æthere, cognati retinebat semina cæli.*

Ille spiritus raptus a terra fingitur, quia minime cohibetur ubi tempus et moram habet ad evolandum, sed subita confractio et comminutione tantum compingitur et figitur, perinde ac si quis aërem aquæ commiscere tentet; quod nullo modo efficere possit, nisi per agitationem celerem et rapidam: hac enim ratione videmus illa corpora conjungi in spuma, aëre tanquam raptum ab aqua. Neque ineleganter additur, Proserpinam flores Narcissi in vallibus colligentem raptam fuisse: quia Narcissus a torpore sive stupore nomen sumit: atque tum demum spiritus ad raptum materiæ terrestri magis præparatus est et opportunus, cum coagulari incipit, ac veluti torporem colligere. Recte autem tribuitur honor ille Proserpiæ, qualis nulli uxori deorum, ut Ditis domina sit, quia ille spiritus plane omnia in illis regionibus administrat, stupido et quasi ignaro Plutone. Hunc autem spiritum æther, ac vis cælestium (per Cererem adumbrata) infinita sedulitate elicere, atque sibi restituere contendit. Fax autem illa ætheris, sive tæda ardens in manu Cereris, proculdubio solem denotat, qui circa terræ ambitum luminis officio fungitur, atque maximi omnium esset ad Proserpinam recuperandam momenti, si omnino hoc fieri posset. Illa tamen hæret, et manet: cujus ratio sequitur accurate et excellenter proposita in pactis illis Jovis et Cereris. Primum enim certissimum est, duos esse modos spiritus in materia solida et terrestri cohibendi: alterum per constipationem sive obstructionem,



qui est mera incarceration et violentia : alterum per ministrationem proportionati alimenti, atque id fit sponte et libenter. Postquam enim spiritus inclusus depascere incepit atque se alere, evolare protinus non festinat : sed veluti in terra sua figitur : atque hæc est degustatio Proserpinæ ex malo granato ; quæ si non fuisset, jam pridem a Cerere, cum face illa sua orbem terrarum peragrante, abducta fuisset. Spiritus enim, qui subest metallis et mineralibus, compingitur fortasse præcipue per massæ soliditatem ; qui autem in plantis est et animalibus, in corpore poroso habitat, et aperta effugia habet, nisi per illum modum degustationis libenter detineretur. Secundum autem pactum de semestri consuetudine non aliud est, quam elegans descriptio dispartitionis anni ; cum spiritus ille, per terram perfusus, quoad res vegetabiles mensibus æstatis apud superiora degat, atque mensibus hiemis ad subterranea redeat. Quod vero attinet ad conatum illum Thesei et Pirithoi abducendæ Proserpinæ, id eo spectat, quod sæpius fiat, ut spiritus subtiliores qui ad terram in multis corporibus descendunt, neququam illud efficiant ut spiritum subterraneum exsugant, et secum uniant, et evehant ; sed contra ipsi coagulentur, neque amplius resurgant ; ut Proserpina per eos aucta incolis et imperio sit. De virga autem illa aurea, vix videmur sustinere posse impetum chemistarum, si in nos hac ex parte irruant ; cum illi ab eodem lapide suo, et auri montes, et restitutionem corporum naturalium, veluti a portis inferorum, promittant. Verum de chemica, atque lapidis illius proci perpetuis, certo scimus theoreticam eorum esse sine fundamento ; suspicamur etiam practicam esse sine certo pignore. Itaque missis illis, de ista postrema parabolæ parte hæc nostra sententia est. Nobis certe compertum est ex compluribus antiquorum figuris, eos conservationem atque instaurationem quadantenus corporum naturalium pro re desperata non habuisse, sed potius pro re abstrusa et quasi avia. Atque idem sentire hoc etiam loco videntur, cum virgulam istam inter infinita virgulta ingentis et densissimæ sylvæ collocarunt ; auream autem finxere, quia aurum durationis tessera est : insitivam,

quia ab arte hujusmodi effectus sperandus est, non ab aliqua medicina, aut modo simplici aut naturali.

### XXX. METIS, SIVE CONSILIUM.

NARRANT poëtæ antiqui Jovem cepisse in uxorem Metin, cujus nomen non obscure consilium significat: eam autem ex illo gravidam factam fuisse: quod cum ille sensisset, partum ejus nullo modo exspectasse, sed utique eam devorasse, unde et ipse prægnans factus sit: puerperium autem mirum fuisse; nam ex capite, sive cerebro Palladem armatam peperisse.

Hujus fabulæ monstrosæ et primo auditu insulsissimæ sensus arcanum imperii continere videtur, qua arte, scilicet, reges se versus concilia sua gerere soleant, ut auctoritas et majestas eorum non solum illibata conservetur, verum apud populum augeatur et extollatur. Nam reges se cum conciliis suis vinculo veluti nuptiali copulare et conjungere, et de rebus maximis cum eis deliberare, recto et prudente instituto consueverunt: idque majestatem eorum neutiquam imminuere haud abs re judicant: verum cum res jam ad decretum spectat, quod instar partus est, concilii partes non ultra tendere sinunt, ne acta ex concilii arbitrio pendere videantur. Verum, tum demum reges (nisi hujusmodi res sit ut invidiam a se derivare cupiant) quicquid a concilio elaboratum, et veluti in utero efformatum est, in se transferre consueverunt, ut decretum et executio (quæ, quia cum potestate procedit et necessitatem infert, eleganter sub figura Palladis armatæ involvitur) ab ipsis emanare videatur. Neque satis est ut hoc ab auctoritate regum et eorum voluntate soluta, et libera, et non obnoxia, profectum videatur; nisi etiam hoc sibi reges sumant, ut ex capite eorum, id est, ex judicio et prudentia propria, decreta nata existimentur.

### XXXI. SIRENES, SIVE VOLUPTAS.

Fabula de Sirenibus ad perniciosas illecebras voluptatis recte, sed sensu vulgatissimo, transfertur. Nobis

autem videtur sapientia veterum, tanquam uvæ male calcatæ; ex quibus licet nonnihil exprimitur, tamen potissima quæque resident et prætermittuntur. Sirenes Acheloi et Terpsichores, unius ex Musis, filiæ fuisse narrantur: eæ primis temporibus alatæ erant: sed inito temere cum Musis certamine victæ, alis mulctatæ sunt. Ex penuis autem evulsis Musæ coronas sibi fecerunt: adeo ut ab eo tempore Musæ cum capitibus alatis procederent, præter unam Sirenum matrem. Mora autem Sirenum erat in insulis quibusdam amœnis: illæ vero e specula naves adventantes cum conspicerent, cantu navigantes primo detinebant, deinde alliciebant, exceptos autem necabant. Neque simplex erat cantilena, sed singulos modis maxime naturæ eorum convenientibus captabant. Tanta autem pestis erat, ut insulæ Sirenum etiam longe intuentibus alberent ex ossibus cadaverum inhumatorum. Huic malo remedium repertum est genere et modo duplex; alterum ab Ulysse, alterum ab Orpheo: Ulysses sociis omnino aures cera obturari iussit; ipse, cum experimentum rei facere vellet, periculum autem depellere, se ad malum navis alligari voluit, interminatus, ne quis eum, licet rogatus, solveret: Orpheus vero, missis hujusmodi vinculis, clara voce deorum laudes cantans ad lyram, voces Sirenum retudit, et extra omne periculum fuit.

Fabula ad mores pertinet, atque minime obscura sane, nec tamen inelegans parabola videtur. Voluptates ex copia rerum ac affluentia; atque ex hilaritate sive exultatione animi proveniunt: illæ olim primis ipsis illecebris subito, et tanquam alatæ, mortales raperere solebant. Doctrina autem et eruditio hoc saltem effecit, ut animus humanus se nonnihil cohibeat, et exitum rei secum perpendat; itaque alas voluptatibus detraxit. Hoc autem in Musarum decus et honorem egregium cessit: postquam enim philosophiam contemptum voluptatum inducere posse nonnullorum exemplo patuit; statim res sublimis visa est, quæ animam veluti humo affixam attollat et evehat, et hominum cogitationes (quæ in capite vigent) pennatas et veluti æthereas faciat. Sola Sirenum mater pedestris, et sine alis mansit; ea proculdubio nil aliud est, quam doctri-

næ leves et ad jucunditatem inventæ et adhibitæ; quales videntur Petronio illi in pretio fuisse, qui postquam sententiam mortis accepisset, in ipsis atriiis mortis delicias quæsivit, cumque etiam literas in solatium adhibere vellet, nil (inquit Tacitus) legit eorum, quæ ad constantiam faciunt, sed leves versus. Ex hoc genere est illud :

Catull.  
Eleg. v.

*Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,  
Rumoresque senum severiorum  
Omnes unius æstimemus assis.*

Et illud :

*Jura senes norint, et quid sit fasque nefasque  
Inquirant tristes, legumque examina servant.*

Hujusmodi enim doctrinæ alas Musarum coronis rursus detrahere, et Sirenibus restituere velle videntur. Habitare autem perhibentur Sirenes in insulis, quia voluptates fere secessus quærunt, atque hominum cœtus sæpe vitant : Sirenium autem cantus omnibus decantatus est, ejusque pernicies et artificium varium : itaque interprete hæc non egent. Illud magis acutum de ossibus veluti clivis albensibus e longinquo visis : ex quo illud significatur, exempla calamitatum, licet clara et conspicua, contra voluptatum corruptelas non multum proficere. Restat de remediis parabola, non abstrusa ea quidem, sed tamen prudens et nobilis. Proponuntur enim mali tam callidi, et tam violenti, remedia tria : duo a philosophia ; tertium a religione. Atque primus effugii modus est, ut quis principiis obstet, atque omnes occasiones, quæ animum tentare et sollicitare possint, sedulo devitet : id quod obturatio illa aurium denotat : atque hoc remedium ad animos mediocres et plebeios necessario adhibetur, tanquam ad comites Ulyssis. Animi autem celsiores etiam versari inter medias voluptates possunt, si decreti constantia se muniant : quin et per hoc, virtutis suæ experimentum magis exquisitum capere gaudent ; etiam voluptatum ineptias et insanias perdiscunt, potius contemplantes quam obsequentes : quod et Salomon de se professus est, cum enumerationem voluptatum, quibus diffle-

bat, ea sententia claudat: *Sapientia quoque perseveravit mecum.* Itaque hujusmodi heroës inter maximas voluptatum illecebras se immobiles præstare, atque in ipsis earum præcipitiis se sustinere queant; tantum, ad Ulyssis exemplum, interdictis perniciosis suorum consiliis et obsequiis, quæ animum maxime omnium labefactare et solvere possint. Præstantissimum autem in omni genere est remedium Orphei; qui laudes deorum cantans et reboans, Sirenum voces confudit et summovit: meditationes enim rerum divinarum voluptates sensus non tantum potestate, sed étiam suavitate, superant.

# NOVA ATLANTIS.

## OPUS IMPERFECTUM.

---

### LECTORI S.

*Fabulam hanc Novæ Atlantidis eo animo confinxit honoratissimus auctor, ut in ea modulum quendam et descriptionem collegii, ad interpretationem naturæ, et operum magnitudinem ac potentiam, instituti, exhiberet: idque nomine Domus Salomonis, sive Collegii operum sex dierum, insigniret. Atque eousque sermonis filum produxit, donec hoc conficeret. Modulus (fateor) pro more poëtices, grandior et celsior est, quam qui in omnibus imitationi pateat; veruntamen in plerisque industria hominum sibi non diffidat. In animo etiam habuit, hac ipsa in fabula, librum De legibus, sive de optimo civitatis statu, exarasse: sed cum opus hoc prolixum futurum prævideret; necnon historię naturalis colligendæ, aliarumque Instaurationis partium contexendarum (quas longe potiores duxit) desiderio abriperetur; hic pedem fixit. Hæc habui in mandatis; lege, et vale.*

GUIL. RAWLEY.

---

NAVIGAMUS e Peruvia, ubi per annum integrum commorati sumus: petebamus autem Chinam, et Japoniam; commeatum in duodecim menses nobiscum portantes; atque per spatium quinque mensium, et amplius, ventis secundis ab ortu flantibus, licet lenioribus et remissioribus, usi sumus. Tum vero vertit se ventus, et ab occidente per multos dies constanter spi-

ravit; adeo ut progredi lente admodum possemus, atque de reditu quandoque cogitarem. Sed tunc rursus orti sunt austri fortes et vehementes, cum inclinatione nonnulla in orientem; qui nos (quantum fieri potuit) contra nitentes, versus septentrionem compulerunt: quo tempore commeatus noster (etsi parce admodum eum distribuissimus) penitus absumptus. Itaque, cum nos ipsos in medio vastissimæ per universum orbem aquarum eremi positos videremus absque commeatu, perditos nos plane putabamus, et mortem propinquam expectabamus. Attamen corda nostra, et voces ad Deum in cælis levavimus; qui mirabilia sua in profundis monstrat; eum precantes, pro misericordia sua, ut, quemadmodum in principio congregationes aquarum mandavit, et aridam apparere fecerat; ita nunc quoque terram nobis ostenderet, ne periremus. Contigit autem, ut die sequente, sub vesperi, intra modicam distantiam, cerneremus, septentrionem versus, tanquam nubes spissas: quæ nobis de terra spem iniecerunt, satis gnaris, tractum illum maris australis penitus incognitum fuisse; atque insulas, et continentes, adhuc non detectas, complecti potuisse. Itaque cursum, tota illa nocte, eo direximus, ubi terra se, ut conjiciebamus, ostenderat: atque illucescente die postero manifestum fuit, id, quod videramus, terram revera fuisse, depressam quidem et sylvosam: quod eam magis obscuram monstraverat. Atque post sesqui-horæ navigationem portum tutum appulimus; portum urbis cujusdam, non magnæ quidem, sed pulchre exstructæ, et quæ, ex qua parte mare spectabat, elegantiam magnam præ se tulit. Nos verosingula momenta tarda æstimantes, quibus a terra abessemus, ad littus properavimus, et ad descensum in terram nos comparavimus. Confestim autem vidimus nonnullos ex populo urbis, cum bacillis in manibus, qui nutu et signis nos in terram descendere prohibuerunt: absque tamen clamoribus, aut ferocia. Unde haud parum contristati, quid faciendum esset apud nos deliberamus. Interim perrexit versus nos scapha haud magna, octo circiter viros vehens; quorum unus in manu gestabat baculum ex arundine

lutea, ad utrunque finem cæruleo colore imbutum ; qui navem nostram fidenter conscendit. Cumque vidisset unum e nostris obviam illi prodeuntem, e sinu extraxit rotulum quendam pergamenæ (sed pergamena nostra paulo flavioris, atque ad instar foliorum codicillorum splendentis, alias autem mollis satis et flexibilis) eique in manum dedit, qui primus e nostris se obtulerat. In quo rotulo, lingua Hebraica prisca, Græca quoque prisca, Latina satis pura et Hispanica, scripta erant hæc verba : “ In terram ne descendatis ; nedum quispiam e vestris. Quin et discessum ab his oris maturate, intra sexdecim dies, nisi licentia vobis diutius morandi concedatur. Interea, si aqua vobis opus sit dulci, aut commeatu, aut medicina, et curatione pro ægrotis, aut si navis vestra reparatione indigeat, singula, quibus caretis, in scriptis exhibete. Nos autem officiis ullis misericordiæ vobis non deerimus.” Rotulus iste sigillo firmatus erat ex alis Cherubim, minime expansis, sed deorsum pendentibus, et juxta eas cruce. Hoc tradito, minister ille discessit, et unum ex famulatio suo nobiscum reliquit, qui responsum nostrum reportaret. Cum jam apud nos de hac re deliberarem, timidi et anxii hærebamus. Arceri a descensu in terram, et moneri de præpropere nostro discessu ; male nos affixerunt. Contra, cum videremus populum illum linguas externas callere, tantaque humanitate præditum esse, consolationi nobis erat non exiguæ : ante omnia, signum crucis, instrumento appositum, singulari gaudio nos affecit, tanquam salutis augurium manifestum. Responsum a nobis est lingua Hispanica, navem nostram satis commode se habere, quandoquidem malacias, et ventos contrarios potius experti essemus, quam tempestates : quantum ad ægrotos nostros, eos plurimos esse, quin et graviter laborantes, ita ut nisi descensus in terram illis permitteretur, de vita periclitarentur. Alia, quibus carebamus, speciatim exhibuimus, ad dentes, adesse nobis merces pauculas, quas si eis emere placeret, necessitatibus nostris subveniri posse, ne illis oneri essemus. Obtulimus servo præmium exiguum inducatis, et holoserici charmosyni parcellam, quæ ministro superiori offerretur ; sed ille non accepit, imo



vix aspicere sustinuit : atque ita in alia parva scapha, quæ ad eum missa fuit, discessit.

Tribus plus minus horis elapsis postquam servus responsum nostrum accepit, lembo versus nos devectus est vir (ut videbatur) ex magistratibus. Indutus erat toga cum manicis amplis, ex cameloto, coloris cærulei pulcherrimi, splendidioris multo, quam nos in Europa habemus : tunica interior viridis erat ; et similiter galerus ejus, qui factus erat in figuram turbani, eleganter compositi, neque prægrandis, qualia solent esse Turcica ; atque capillorum suorum cincinni infra oram turbani dependebant. Vir sane aspectu venerabilis. Vectus est in lembo, aliqua ex parte inaurato, quatuor solummodo viris, in eodem lembo, comitatus. Alius autem a tergo sequebatur, in quo erant viri circiter viginti. Quamprimum intra spiculi jactum venisset, signis quibusdam e lembo moniti sumus, ut aliquos e nostris ad illum mitteremus. Id quod statim fecimus in navis nostræ scapha ; virum ex nostris (uno excepto) primarium mittentes, et quatuor cum illo. Cunique circiter sex virgatas a lembo abessemus, jubebant ut nos sisteremus, nec propius accederemus. Quod et fecimus. Tum vero vir, quem modo descripsi, in pedes se erexit, et alta voce Hispanice interrogavit ; num Christiani estis ? Respondimus : Christianos nos esse : minus metuentes, quia signum crucis in instrumento illo videramus. Ad quod responsum, dexteram ille versus cælum sustulit, et deinde leniter ad os suum adduxit ; qui gestus in usu illis est cum Deo gratias agunt. Tunc autem perrexit : “ Si jurabitis (unusquisque vestrum) per merita Servatoris, piratas vos non esse : nec sanguinem humanum effudisse, sive jure, sive vi, intra spatium quadraginta dierum, ultimo elapsarum, licentiam obtinebitis in terram descendendi.” Respondimus, paratos nos omnes esse ad illud juramentum præstandum. Unde unus ex comitatu ejus, qui videbatur notarius esse, illud in scriptum redegit. Quo facto, alter e comitatu viri illius primarii, qui in eodem lembo vehebatur, postquam dominus in aurem ei quidpiam locutus esset, alta voce

dixit: “ Dominus meus hoc vobis notum esse velit, “ non ex superbia, aut fastu esse, quo minus navem “ vestram conscendat; sed, quia ex responso vestro “ innotescit plurimos inter vos se male habere, a con- “ servatores sanitatis in urbe monitus erat, ut ad aliquam “ distantiam colloqueretur.” Submissò capite nos inclinavimus, et respondimus: servos ejus humillimos nos omnes esse; magnoque honori ducere, et singulari suæ humanitati tribuere, id quod jamdudum factum esset: sed sperare nos, morbum illum, quo ægroti nostri laborant, contagiosum minime esse. Ita vir ille primarius reversus est. Paulo post adfuit notarius, et navem nostram conscendit; in manu sua fructum quandam ejus regionis tenens, aurantio non absimilem, verum colore magis in coccineum vergente, qui odorem spirabat suavissimum. Illum (ut videtur) gestabat, ut ei contra contagionem antidoti vice esset. Exhibuit autem nobis juramentum: per Jesum Dei filium, et merita ejus; ac deinde nobis dixit, postero die, ante solis exortum, affuturum, qui nos accerseret, ac ad domum peregrinorum perduceret, ubi præsto nobis essent, quæcunque necessaria, sive pro ægrotis, sive pro sanis. Sic a nobis discessit: cumque ei aureos aliquos obtulissemus, subridens dixit: se binum salarium pro una opera accipere non debere. Quorum verborum (ut arbitror) is sensus erat, quod salarium e publico ob operam suam reciperet. Nam (ut postea intellexi) officarium, qui præmia accipit, hominem bini salarii vocant.

Postero mane diluculo accessit ad nos minister ille, qui primus cum arundine sua nos adierat, et retulit: se venisse, ut ad domum peregrinorum nos deduceret: se autem horam anticipasse, ut commoditatem integri diei ad negotia nostra haberemus. “ Si autem (inquit) “ mihi auscultabitis, primo mecum aliquos vestrum “ mittetis, qui locum circumspiciant, et quomodo op- “ time ad vos recipiendos accommodari possit: postea “ autem ægrotos vestros accersetis, et reliquos, quos in “ terram descendere vultis.” Gratias ei egimus, et diximus, curam hanc, quam pro peregrinis miseris

suscepit, Deum pro certo remuneraturum. Itaque sex e nostris eum comitati sunt. Præiit ille, et respiciens ad nos, dixit perhumane certe: se servum nostrum tantummodo esse; et viæ ducem. Duxit autem nos per tres plateas, pulchras admodum: atque per totam, quam pertransivimus, viam haud pauci e populo ad utrumque latus congregati sunt, ordine stantes; verum more adeo civili, ut viderentur non tam ad otiosum spectaculum convenisse, quam ut adventum nostrum gratularentur. Multi autem ex iis, cum incederemus, brachia sua paululum aperuerunt: quo gestu utuntur cum adventum alicujus sibi gratum esse significare volunt. Domus peregrinorum ædificium est speciosum et spatiosum, exstructum ex lateribus, nostris colore paulo magis purpureis; cum fenestris decoris, aliquibus ex vitro, aliquibus autem ex panno linteo delicato, oleo intincto. Deduxit nos primo in cœnaculum satis elegans, super gradus locatum: tunc autem a nobis quæsivit: quot numero essemus? et, quot e nostris ægroti? Respondimus: universum numerum, tam sanorum, quam ægrotorum, esse ad unum et quinquaginta homines: ex quibus ægroti erant septendecim. Rogavit nos, ut aliquantis per præstolaremur, dum ad nos rediret. Quod post horam circiter fecit. Tum vero adduxit ad cubicula visenda, quæ nobis parata erant, numero novendecim: computatione scilicet inita (quemadmodum videtur) ut quatuor ex illis cubiculis, quæ reliquis nonnihil præstabant, quatuor ex primariis nostris exciperent, in quibus seorsum cubarent; reliquorum quindecim singula binis assignarentur. Cubicula elegantia erant, et lucida, nec non supellectili satis lauta ornata. Tum demum in porticum longam divertimus; qualia solent esse dormitoria monachorum; ubi ostendit nobis, per latus unum integrum (nam latus adversum nihil aliud erat, quam paries, et fenestræ) cellas septendecim, nitidas, partitiones habentes ex cedro. Quæ porticus, cum cellis, numero quadraginta (multo scilicet pluribus, quam nobis opus erat) instituta erat ad usum infirmorum. Simulque monuit, quod quamprimum aliquis ex ægrotis convalesceret, transferri

posset e cella in cubiculum. Ad quem usum parata erant decem alia cubacula, præter illa, de quibus ante diximus. Hoc facto, in cœnaculum nos reduxit, et attollens paululum arundinem suam (quod in more illis erat, quoties ministri mandata superiorum referunt) ita ad nos locutus. “Notum vobis facio, consuetudinem regni hujus postulare, ut post diem instantem, et crastinum (quos vobis ad transferendos e navi homines, et res vestras, permittimus) contineatis vos ipsos intra fores hasce in triduum. Veruntamen hoc vos non perturbet, neque propterea intra carcerem vos compingi existimate: sed potius indultum hoc esse, quo ab itinere vestro spiritus recreetis et reficiatis. Nullius rei egebitis: quin et sex famuli assignati sunt, qui vobis ministrent, et negotia vestra expediant.” Gratias ei egimus cum omni affectu et humilitate; et diximus: “Deus proculdubio in hac terra manifestatur.” Obtulimus ei etiam viginti aureos, sed ille quoque subridens, hoc solum dixit: “Quid, vultis me esse hominem bini salarii?” Sic abiit. Paulo post, prandium nostrum allatum est: quod certe satis lautum, et salubrem victum, tam respectu ciborum, quam potus, exhibuit: meliorem certe et uberiolem, quam pro modulo collegii ullius, quantum novi, in Europa. Potus erat trium generum: unum quodque eorum bonum et salubre: vinum ex uvis: potus ex granis, qualis est apud nos cerevisia, sed clarus et limpidus: et sicerae genus ex fructu quodam ejus regionis confectum, potus sane gratissimus, et miri refrigerii. Allata etiam est nobis magna copia aurantium illorum coccineorum, in usum ægrotorum: aiebant enim, ea præsens et efficax esse remedium contra ægritudinem in navigatione contractam. Præterea, pyxidem nobis tradidit, pillulis albescentibus sive cineritiis, plenam: monuitque ut ægroti nostri unam earum, singulis noctibus, in introitu lecti, sumerent: quas dixerat sanitatem eorum acceleraturas. Proximo die, cum a labore et opere circa vecturam hominum, et rerum nostrarum e navi, requievimus, visum est mihi, socios nostros in unum convocare: cum autem convenissent, ita eos allocutus

sum: " Amici mei charissimi, noscamus nos ipsos, et  
 " quo loco res nostræ sint. Viri sumus, in terram pro-  
 " jecti e mari, sicut Jonas e ventre balenæ, cum in alto  
 " veluti sepulti essemus. Jam vero, licet terram rur-  
 " sus calcamus, inter vitam tamen et mortem medii  
 " consistimus. Etenim fines, et veteris, et novi orbis,  
 " prætervecti sumus. Atque utrum nobis Europam  
 " rursus conspiciere dabitur, soli Deo notum. Miraculo  
 " quodam huc advecti sumus, atque a miraculo prope  
 " aberit, si hinc abvehamur. Quocirca, salutem præ-  
 " teritam, ac pericula præsentia et futura animo reco-  
 " lentes, ad Deum nos convertamus, corda levemus, et  
 " vias nostras singuli corrigamus. Præterea ad popu-  
 " lum Christianum, pietatis et humanitatis plenum,  
 " venimus: curemus (quæso) ne illam faciei confusio-  
 " nem super nos inducamus, ut coram illis vitia nostra,  
 " aut malos mores palam faciamus. Adhuc restat am-  
 " plius: illi enim (esti sub humanitatis forma) nos  
 " hujusce domus claustris ad triduum concluserunt,  
 " quis novit, numnam hoc faciant, quo morum nostro-  
 " rum experimentum sumant: quos si reppererint pra-  
 " vos, confestim exulare nos jubebunt; sin probos,  
 " moram hic longiorem indulgebunt: quos enim assi-  
 " gnarunt, famuli isti, quidni etiam speculatorum vices  
 " agant? Itaque, propter amorem Dei, atque si charum  
 " nobis sit bonum animarum et corporum nostrorum,  
 " ita nos geramus, ut et pacem cum Deo habeamus, et  
 " gratiam in oculis populi hujus inveniamus." Socii  
 nostri una voce mihi de iis, quæ admonueram, gratias  
 egerunt, promiseruntque sobrie se et modeste victuros,  
 absque scandalo vel minimo. Itaque tres illos dies  
 læti, et curis vacui, peregrimus, nihil solliciti de eo, quod  
 nobis post triduum illud contingere posset: quo etiam  
 dierum curriculo assidue propter convalescentiam  
 ægrorum nostrorum exhilarati sumus; qui se, veluti in  
 probaticam aliquam, divina sanandi virtute præditam,  
 missos existimabant: tam celeriter siquidem et con-  
 stanter convalescebant.

Crastino post illud triduum elapsum venit ad nos  
 homo novus, quem antea non videramus, veste cœrulea

amictus, quemadmodum et prior, nisi quod turbanum ejus album esset, cum cruce parva rubea in vertice. Habuit etiam liripipium circa collum, ex linteo purissimo. Sub introitum suum paululum se inclinavit, et brachia sua nonnihil explicavit. Nos vero eum resalutavimus modo admodum humili et submisso, ab ore ejus sententiam, vel vitæ, vel mortis expectantes. Postulavit, ut cum paucis aliquibus hominum nostrorum colloqueretur. Itaque sex tantum manserunt, cæteri se subdixerunt. Tum ille: “ Ego quidem do-  
 “ mus hujus peregrinorum officio præpositus sum; vo-  
 “ catione autem presbyter Christianus. Itaque jam  
 “ accessi, ut operam meam vobis in omnibus præsta-  
 “ rem, tanquam peregrinis, sed præcipue tanquam  
 “ Christianis. Nonnulla habeo, quæ vobis referam,  
 “ quæ (ut arbitror) non illibenter audietis. Status iste  
 “ licentiam vobis dedit per sex septimanas ulterius  
 “ commorandi. Neque vos conturbet, si quidem ne-  
 “ gotia vestra spatium amplius postulent: nam neque  
 “ lex ipsa regni in hac parte rigida est; tum vero mi-  
 “ nime dubito, quin et ipse vobis comperendinationem  
 “ temporis istius, prout res vestræ flagitabunt, procu-  
 “ rare possem. Quin et insuper narro vobis domum  
 “ hanc peregrinorum isto tempore sat ditescere, et pe-  
 “ cunia numerata bene instrui: reditus enim suos ac-  
 “ cumulavit jam per septem et triginta annos: tot enim  
 “ effluxerunt, ex quo peregrinus aliquis ad has partes  
 “ appulerat: itaque de impenis vestris solliciti ne sitis.  
 “ Sumptus, quamdiu hic manseritis, e publico ærario  
 “ ministrabitur: neque vel punctum temporis, hujus  
 “ rei causa, de mora vestra decedet. Quantum vero  
 “ ad merces, quas adduxisse dicitis, nullæ vobis impo-  
 “ nentur conditiones duræ, sed justis pretiis eas vende-  
 “ tis, valorem earum accipientes, vel in mercibus aliis,  
 “ vel in auro et argento: nostri enim nihil interest.  
 “ Sin vero quicquam sit, quod a statu isto petere  
 “ velitis, illud nos ne celetis. Reperietis enim nos  
 “ responsum tale relatores, quo vultus vester minime  
 “ decidat, aut contristetur. Hoc tantum vobis edico,  
 “ ne quis vestrum karanna longius (illa apud eos sesqui-

“milliari æquivalet) a mœniis urbis abscedat, sine “licentia speciali.” Respondimus, postquam nos vicissim intuiti essemus, gratiosam hanc et quasi paternam benignitatem admirantes, non habere nos, quod diceremus, cum et gratiis agendis verba non suppeterent, et prænobilis ejus et inopinata munificentia omnia, quæ a nobis petenda essent, præoccupasset. Nos certe cogitationem illam subire, quasi effigiem salutis æternæ in cœlis ante oculos haberemus; siquidem, qui paulo ante in faucibus mortis constituti eramus, adductos jam esse in locum, ubi consolationes perpetuæ et nil aliud spirant. Quantum ad mandatum nobis impositum, obedientiam summam præstituros, etsi fieri non posset, quin corda nostra ardentissimo sanctam illam et felicem terram ulterius visendi desiderio inflammarentur. Adjecimus, linguas prius faucibus nostris adhæsuras, quam nos mentionem vel personæ ejus venerandæ, vel gentis hujus universæ, in precibus nostris omitteremus. Supplicavimus etiam ei, ut nos in numero servorum suorum, verorum merito et fidorum, reputaret, jure non minore, quam quo unquam mortales mortalibus devincti fuerint: itaque nos ipsos, et omnia nostra ad pedes ejus humiliter projicere. Dixit, sacerdotem se esse, et sacerdotis mercedem exspectare: id est, fraternum amorem nostrum, et bonum animarum et corporum nostrorum. Ita a nobis discessit, non sine lacrymis, præteritidine animi obortis; nos quoque reliquit gaudio et affectu gratitudinis confusos et percussos, atque invicem dicebamus, nos venisse in terram quandam angelorum, qui nobis quotidie apparebant, et consolationibus præveniebant, quas ne cogitare quidem potuissemus, nedum exspectare.

Die proximo, horam circiter decimam matutinam, denuo nos invisit præpositus: et post salutationes utrinque factas dixit familiariter: se venisse, ut nos visitaret, et tempus nobiscum tereret. Tum cathedram poposcit, et consedit. Nos autem, numero decem (nam cæteri aut inferiores erant, aut foras abierant) circa eum sedimus: ac deinde ita exorsus est. “Nos de insula hac Bensalem (ita enim eam vocant “lingua sua) hoc habemus, quod ob situm insulæ

“ nostræ solitarium, et leges peregrinantibus e nobis  
 “ impositas de terra hac celanda, et raram exterorum  
 “ admissionem in regionem nostram, nobis quidem  
 “ maxima pars orbis habitabilis nota sit, ipsi vero aliis  
 “ penitus simus incogniti. Itaque cum quæstiones  
 “ illis aptiores sunt, qui minus norunt, consentaneum  
 “ est magis, ut vos me interrogetis, quam ut ego vos.”

Respondimus: nos illi gratias maximas referre, quandoquidem hanc nobis licentiam indulgeret; tum ex iis, quæ jam observavimus, facile nos conijcere, non esse rem in mundanis cognitu digniorem, quam statum et conditionem terræ hujus felicissimæ. Sed ante omnia (diximus) cum ab extremis terræ oris jam convenerimus, nec non in regno cœlesti nos olim conventuros speremus (eo quod utrinque Christiani simus) scire avemus, quandoquidem terra ista in tantum dissita sit, et vastis et incognitis maris tractibus divisa, a terra illa, in qua Servator noster, dum in carne fuit, versabatur: quis tandem hujus gentis apostolus, et quibus modis ad fidem conversa fuerit?

Facile erat, ex vultu ejus perspicere, gratam illi imprimis fuisse hanc quæstionem nostram: “ Cor meum  
 “ (inquit) vobis mirifice attraxistis, quod quæstionem  
 “ hanc primo in loco proponitis: indicat enim, vos  
 “ quærere primum regnum Dei: atque libenter, et  
 “ breviter, postulato huic vestro satisfaciam.”

“ Annos circa viginti ab ascensione Domini factum est, ut conspiceretur a populo Rensuæ (urbis  
 “ maritimæ ad orientalem plagam regionis nostræ  
 “ sitæ) noctu (nox autem erat nubila, sed placida)  
 “ juxta mille passus a littore, columna lucis præalta;  
 “ non figura pyramidalis, sed veluti cylindri, e pelago  
 “ versus cœlum erecta, et in vertice ejus crux lucis  
 “ ampla, corpore columnæ aliquanto splendidior. Ad  
 “ spectaculum hoc tam mirabile congregatus est (ut  
 “ fit) populus urbis super arenas maris, et stabat pauper  
 “ attonitus: verum paulo post scaphis parvis  
 “ plurimi se commiserunt, ut rem tanti stuporis propius inspicerent. Verum, postquam scaphæ intra  
 “ sexaginta circiter a columna virgatas advenissent,  
 “ ecce omnes subito se sistebant, nec ulterius procedere poterant: ita tamen, ut in circuitu movere,



“ sed non accedere propius liceret : adeo ut scaphæ  
 “ veluti in theatro starent, lucem hanc tanquam sce-  
 “ nam cœlestem spectaturæ. Evenit autem forte for-  
 “ tuna, ut in scapharum una adesset quispiam ex sa-  
 “ pientibus nostris, societatis nimirum domus Salomo-  
 “ nis : quæ domus sive collegium (fratres mei charis-  
 “ simi) oculus plane est hujusce regni ; qui postquam  
 “ aliquandiu columnam hanc, una cum cruce, attente  
 “ et devote contemplatus esset, in faciem se prostravit,  
 “ et dein se in genua erigens, manusque ad cœlum at-  
 “ tollens, hujusmodi preces fudit.

“ *Domine Deus cœli et terræ ; ex gratia tua speciali*  
 “ *ordinis nostri hominibus dignatus es opera tua crea-*  
 “ *tionis, et eorum secreta nosse ; atque dijudicare (quan-*  
 “ *tum generationibus hominum datur) inter miracula*  
 “ *divina, opera naturæ, effectus artis, et illusiones dæ-*  
 “ *monum, cum imposturis omnimodis. Agnosco et testor*  
 “ *coram hoc populo, rem hanc, quam ante oculos intue-*  
 “ *mur, esse digitum tuum, et miraculum verum. Quo-*  
 “ *niam autem e libris nostris didicimus, miracula nun-*  
 “ *quam a te edita, nisi ob finem aliquem divinum, et ex-*  
 “ *cellentem (etenim leges naturæ leges tuæ sunt, a qui-*  
 “ *bus nisi magnam ob causam minime recedis) humillime*  
 “ *obsecramus, ut signum hoc magnum nobis fortunes,*  
 “ *atque ejus interpretationem et usum in misericordia*  
 “ *concedas ; id quod, dum idem ad nos mittas, tacite et*  
 “ *secreto polliceris.*

“ Postquam ita precatus est, continuo scapham, in  
 “ qua vehēbatur, solutam sensit et mobilem, cæteris  
 “ adhuc veluti ligatis manentibus. Illud in signum  
 “ certum licentiæ appropinquandi interpretatus, sca-  
 “ pham fecit placide, et cum silentio, versus colum-  
 “ nam, remigio impelli. Verum antequam ad illam  
 “ pervenisset, columna cum cruce lucis dissipata est,  
 “ et se undique tanquam in firmamentum quoddam  
 “ stellarum multarum vertit : quæ etiam et ipsæ brevi  
 “ evanuerunt : neque aliud restabat spectandum, præ-  
 “ ter arcam quandam parvam ex cedro, siccam qui-  
 “ dem, neque aqua ullatenus madefactam, etsi nata-  
 “ ret. In parte autem ejus priore versus sapientem,  
 “ ramus palmæ, exiguus quidem et viridis, crescebat.  
 “ Is postquam plurima cum veneratione arcam in sca-

“ pham suam recepisset, ecce arca sponte se aperuit,  
 “ in qua reperti sunt, liber et epistola: uterque in  
 “ membrana pura scriptus, et sindonibus linteis invo-  
 “ lutus. Liber continebat canonicos libros universos  
 “ Veteris et Novi Testamenti, prout vos illos habetis  
 “ (etenim satis scimus quos libros ecclesiæ apud vos  
 “ recipiunt) atque apocalypsis ipsa, et nonnulla alia  
 “ ex Novi Testamenti scriptis, quæ eo tempore edita  
 “ non erant, nihilominus eo libro continebantur.  
 “ Quod vero ad epistolam, illa in hæc verba scripta  
 “ erat.

“ *Ego Bartholomæus, servus Altissimi, et apostolus*  
 “ *Jesu Christi, monitus sum ab angelo, qui in visione glo-*  
 “ *riæ mihi apparuit, ut arcam hanc maris fluctibus com-*  
 “ *mitterem. Itaque testor, et annuntio, ei populo, ad*  
 “ *quem Deus ordinaverit hanc arcam appellere; eo ipso*  
 “ *die ad eos venire, salutem, et pacem, et bonam volun-*  
 “ *tatem a Patre, et Domino Jesu.*

“ Præterea in duobus his scriptis, tam libro, quam  
 “ epistola, operatus est Deus miraculum insigne, illi,  
 “ quod apostolis ostendit (dono originali linguarum)  
 “ non dissimile. Etenim, cum eo tempore in hac  
 “ terra viverent Hebræi, Persæ, et Indi, præter ipsos  
 “ indigenas, singuli in libro illo, ac epistola, legerunt,  
 “ ac si in lingua cujusque propria scripta fuissent.  
 “ Hoc pacto (fratres mei) servata est hæc terra ab in-  
 “ fidelitate (quemadmodum et reliquiæ mundi veteris  
 “ servatæ fuerint ab aquis) per arcam, ope apostolicæ  
 “ et miraculosæ evangelizationis sancti Bartholomæi.”  
 Atque hic loqui desiit, quando nuncius quidam venit,  
 qui eum accersivit. Sicque eo colloquio nihil aliud  
 intervenit.

Die postero, statim a prandio, rursus ad nos venit  
 præpositus; seque excusavit, dicens, se pridie a nobis  
 subito et inopinato avocatum, nunc vero rediisse, ut  
 illud compensaret, tempusque nobiscum una insumeret,  
 si modo gratum nobis consortium ejus aut colloquium  
 fuerit. Respondimus, Imo illud tam gratum nobis  
 accedit, ut nec miseriarum præteritarum, nec pericu-  
 lorum futurorum memores simus, quamdiu colloquio  
 ejus fruamur. Addidimus, existimare nos horam unam,  
 sermones cum illo conserendo insumptam, annis integris

vita nostrae prioris praestare. Inclnavit se paululum, et postquam consedissemus, dixit: "Bene habet, quæstiones vestrae sunt." Tum unus e nostris, parva interposita mora, ita dixit: esse rem quandam, cujus cognoscendi quidem avidi, interrogandi autem timidi essemus, ne forte nimio plus praesumpsisse videremur: veruntamen singulari ejus erga nos humanitate confirmatos (cum nos vix pro exteris ducamus, qui servi ejus addictissimi et devotissimi sumus) ejus proponendi libertate usuros, humillime obtestantes, ut si responsione vix dignaretur, quæstioni tamen ignosceret, licet eam rejiceret. Dixit: nos observasse satis, et memoria adhuc tenere, verba illa ab ipso prolata, terram hanc felicem, in qua jam pedem figimus, paucis admodum cognitam esse, atque nihilo secius plerasque orbis nationes satis nosse: id quod verum esse plane perspiciebamus, quandoquidem linguas Europæ callerent, et res nostras in plurimis intelligerent, cum nos e contra in Europa, post tot et tam remotas navigationes, hac ætate postrema susceptas, nihil prorsus de hac insula inaudiverimus. Hoc mirari satis non posse, cum nationes omnes, aut per peregrinationes in partes externas, aut per adventus exterorum ad eas, sibi invicem innotescant. Licet autem, qui in natione externa peregrinatur, plus notitiæ et informationis visu nanciscatur, quam domi manens a peregrinante, auditu solo, addiscere possit; attamen, utroque modo, notitiam mutuam, aliqua ex parte, haberi posse. Verum quantum ad hanc insulam, nunquam nova ad nos allata de alicujus navis ab ea ad oras nostras appulsa, nedum ad littora Europæ, neque ad littora Indiæ, occidentalis aut orientalis: neque aliquid accepisse de navi ulla, cujuscunque ea populi sit, quæ a terra hac redierit. In hoc autem illud, quod admirationem movet, non consistere, situm enim ejus (ut dominatio sua dixerat) in tam vasti pelagi conclavi secreto, huic rei in causa esse posse; verum ut illi contra notitiam linguarum, librorum, rerum haberent, gentium ab iis tam immensis spatiis dissitarum, id omnem admirationem superare, neque nobis quomodo fieri hoc possit, ullo modo in mentem venire: nobis siquidem divinarum mentium et potestatum,

non autem hominum quorumvis conditionem videri, ut ipsæ occultæ et invisibiles iateant, cæteris interim illarum visui patentibus, et velut in aprico positis. Ad hæc verba præpositus placide subrisit, et dixit: non sine causa veniam nos hujus quæstionis petere, siquidem innuere, ac si terram hanc non aliam, quam terram magorum, duceremus, quæ spiritus aëreos in omnes partes emitteret: quorum ope et famulatio quæcunque in aliis regionibus gererentur pernosceret. Omnes uno ore humiliter respondimus, vultu tamen ita composito, ut eum non alias, quam joco, hoc dixisse præ nobis ferremus: nos sane facile in eam cogitationem venire, esse aliquid in hac natione plane supernaturale; illud tamen potius angelicum, quam magicum, ducere: verum ut perspicue apud dominationem suam eloqueremur, quid tandem illud fuerit, quod scrupulum hunc, ne quæreremus, iniecisset, nihil ex hac re sapuisse, sed quoniam in sermone præterito eum innuisse meminieramus, gentem istam de silentio erga peregrinos per leges cavisse. Ad hoc respondit: “ Recte quidem meministis: itaque in iis, quæ pro-

“ ferre apud vos instituo, nonnulla reservanda sunt,

“ quæ omnino revelare licitum non est: haud pauca

“ tamen supererunt, quæ satisfactionem vobis abunde

“ præstabunt.

“ Intelligetis igitur (id quod vobis fortasse vix cre-

“ dibile videbitur) ter mille circiter abhinc annis, aut

“ paulo plus, navigationes orbis terrarum (præsertim

“ in regiones remotas) majores fuisse, et magis strenue

“ susceptas, quam hodierno die. Ne existimetis, ne-

“ scire me, quantum apud vos creverint navigationes

“ intra annos centum et viginti proxime elapsos: satis

“ mihi hoc cognitum. Et tamen, majores (inquam)

“ fuerunt, eo tempore, quam nunc. Sive conservatio

“ illa reliquiarum humani generis, per arcam, a di-

“ luvio universali hanc navigandi confidentiam ho-

“ minibus indiderit, sive aliud quid in causa fuerit.

“ Sed utcunque, hoc, quod dico, verum est. Phœ-

“ nices, ac præcipue Tyrii, magnas habebant classes.

“ Similiter habebant et Carthaginienses, colonia ip-

“ sorum, quamvis ad occidentem magis sita sit. Ab

“ oriente vero, classes Ægyptiorum, et Palæstinæ, po-

“ tentes erant, et numerosæ. China autem, et Atlantis  
“ magna (quam vos Americam vocatis) quæ nunc  
“ yuncas tantum et canoas habent, vi magna abunda-  
“ bant, illis diebus, navium grandiorum. Insula hæc  
“ nostra (ut ex fidelibus ejus ætatis historiis plane li-  
“ quet) instructa tum fuit navibus mille quingentis,  
“ iisque fortibus, et magnæ capacitatis. De hoc, quod  
“ loquor, apud vos exigua admodum, aut nulla est  
“ memoria, at nobis pro certo cognitum est.

“ Eo etiam tempore, ad insulam hanc naves et carinæ  
“ earum omnium, quas modo nominabam, nationum  
“ appulerunt. Atque, ut fieri solet, naves illæ præter  
“ populares suos vehebant multos ex aliis regionibus,  
“ quæ ipsæ maritimæ non erant; veluti Persas, Chal-  
“ dæos, Arabes; ita ut omnes fere nationes potentes  
“ et celebres locum hunc adierint: ex quibus nonnul-  
“ las habemus stirpes, et tribus tenues, usque in ho-  
“ diernum diem. Quod vero ad naves nostras attinet,  
“ in omnes propemodum oras navigarunt, tam ad fre-  
“ tum vestrum, quod columnas Herculis appellatis,  
“ quam ad alias, tum Mediterranei, tum Atlantici  
“ maris, regiones: veluti ad Paguinum (civitatem in  
“ China antiquissimam) quæ eadem est cum Cambalu,  
“ et Quinze, ad orientale pelagus sita, non procul a  
“ finibus Tartariæ orientalis.

“ Eodem præterea tempore, et seculo integro in-  
“ sequente, aut amplius, populi magnæ Atlantidis  
“ potentes admodum erant. Etsi enim narratio et  
“ descriptio, a viro magno vestri orbis facta (scilicet,  
“ progeniem Neptuni sedes suas ibi fixisse) tum de  
“ magnificis, templo, palatio, urbe, et colle, quin et  
“ de multiplicibus pulchrorum et magnorum fluvio-  
“ rum spiris (quæ, tanquam totidem torques, temp-  
“ lum illud et urbem cingebant) ac denique de gran-  
“ dibus illis insignibus ascensus, per quos ad eadem  
“ perveniebatur, veluti per scalam quandam cœli, sit  
“ fabulosa et poëtica: hoc tamen veritatis immisce-  
“ tur, regionem illam Atlantidis, tam illam Peruviæ,  
“ tunc Coyam vocatam, quam illam alteram regni  
“ Mexicani, tunc dictam Tirambel, regna fuisse armis,  
“ classe, et opibus, potentia et superba. Tam (in-  
“ quam) potentia, ut eodem tempore (vel saltem in-

“tra spatium decem annorum) duas magnas expedi-  
 “tiones navales susceperint : hi nimirum de Tirambel,  
 “per Atlanticum mare, usque ad mare Mediterra-  
 “neum, illi autem de Coya per mare Australe, usque  
 “ad hanc insulam nostram. De priore autem expe-  
 “ditione videtur auctor ille vester aliquid a sacerdote  
 “Ægyptio, quem citat, hausisse. Pro certo enim ex-  
 “peditio talis fuit. Utrum vero Athenienses antiqui  
 “illi fuerint, qui copias illas repulerunt et profiga-  
 “runt, atque hæc eis gloria tribuenda, non habeo quid  
 “dicam : illud extra omnem dubitationem, nec navem,  
 “nec virum, unquam ab ea expeditione rediisse, neque  
 “meliore fortuna usa esset classis illa Coyæ, quæ nos  
 “invasit, nisi in hostes clementiores incidisset. Et-  
 “enim rex insulæ hujus (nomine Altabin) vir prudens,  
 “et imperator in bello optimus, cui tum hostium,  
 “tum propriæ vires, satis exploratæ erant, ita rem  
 “gessit, ut copias eorum terrestres, postquam in ter-  
 “ram descendissent, a classe eorum intercluderet,  
 “atque veluti indagine utrasque copias cingeret  
 “majori exercitu, quam illorum fuit, et terrestri  
 “et navali, sicque eos ad deditionem absque præ-  
 “lio compelleret : cumque in potestate sua essent,  
 “haud duriores condiciones imposuit, quam jusjuran-  
 “dum ab iis exigendo, se in posterum, contra illum,  
 “nunquam arma laturos : quo facto eos incolumes  
 “omnes dimisit. Veruntamen vindicta divina, non  
 “multo post, superbos illos ausus ulta est, siquidem,  
 “intra curriculum centum annorum, aut minus, At-  
 “lantis illa magna omnino perdita et destructa fuit :  
 “non terræ motu absorpta, ut vir ille vester affirmat  
 “(etenim tractus ille totus terræ motibus parum est  
 “obnoxius) sed per particulare diluvium, sive inunda-  
 “tionem : quandoquidem etiam hodierno die regiones  
 “illæ majores habeant amnes, atque etiam montes alti-  
 “ores, qui aquas in planities effundant, quam alia pars  
 “quæcunque orbis veteris. Sed illud verum est, inun-  
 “dationem illam non fuisse profundam, non amplius  
 “forsan, in pluribus locis, quam ad quadraginta pe-  
 “des ; unde factum, ut licet homines et bestias undi-  
 “que demerserit, silvestres nihilominus habitatores  
 “quidam montium evaserint. Aves quoque in tuto

“ fere fuerunt, ad montes aut arbores præaltas convo-  
 “ lando. Homines vero, licet in aliquibus locis ædi-  
 “ ficia haberent altiora, quam quo aquæ pervenire  
 “ possint; inundatio tamen illa, licet minime profunda,  
 “ diuturna certe fuit. Unde, qui in valle degebant,  
 “ propter penuriam cibi, et rerum aliarum necessaria-  
 “ rum, fame et inopia perirent. Itaque ne miremini,  
 “ si America, habitatorum tam rara sit, neque si popu-  
 “ lus ejusdem adeo simplex et barbarus existat. Ete-  
 “ nim rationem sic instituere debetis; populum Ame-  
 “ ricanum novum esse, et recentem (inquam) præ cæ-  
 “ teris orbis habitatoribus, annis non minus mille.  
 “ Tantum enim temporis intercesserat inter diluvium  
 “ universale, et illud Americæ particulare. Siquidem  
 “ tenues illæ et raræ humani generis reliquiæ, quæ in  
 “ montibus manserant, in inferiores regionis partes tarde  
 “ sobolem dederunt; cumque essent homines feri, et  
 “ omnium rerum rudes (neutiquam Noacho, et filiis  
 “ ejus similes, qui familia erant, ex universo orbe ele-  
 “ cta) ad literas, artes, et vitæ cultum, posteris trans-  
 “ mittendum, non sufficiebant. Atque insuper, cum  
 “ in habitationibus suis montanis (propter asperrimum  
 “ frigus regionum illarum) pellibus ursorum, tigridum,  
 “ et caprorum magnorum et hirsutorum, qui in illis par-  
 “ tibus abundant, vestire se consuevissent, postea autem  
 “ in vallem descendentes, intolerabiles ibi fervores ferre  
 “ non possent, neque vestium magis levium ulla copia  
 “ eis præsto esset, coacti sunt morem nude incedendi  
 “ introducere, qui apud illos usque in hodiernum diem  
 “ in usu est. Solummodo magna voluptate, et desi-  
 “ derio afficiuntur avium plumas gestandi; atque hoc  
 “ proculdubio a traditione, et exemplo majorum, qui  
 “ in montibus habitabant, hauserunt; qui ad hunc  
 “ forte usum allecti fuerunt ex innumera avium multitu-  
 “ dine, alta petentium, cum ima aquis stagnarent. Vi-  
 “ detis (fratres) per casum hunc majorem, et temporis  
 “ quasi miraculum, commercium nostrum cum Ameri-  
 “ canis cessasse, cum ipsi amplius non essent, cum qui-  
 “ bus, supra omnes mortales, commercium antea ha-  
 “ buimus, utpote regioni nostræ proximis. Quantum

“ vero ad alias orbis partes, manifestissimum est, secu-  
 “ lis succedentibus, sive propter bella mota, siye ex pe-  
 “ riodo et vicissitudine temporum, navigationes ubique  
 “ majorem in modum elanguisse: præcipue autem  
 “ navigationes longinquas; propterea quod triremes, et  
 “ ejusmodi carinæ, quæ oceanum vix tolerare possent,  
 “ in usum venire cœperunt. Hinc igitur, quam ob  
 “ causam, notitia illa regionis nostræ, quæ a naviganti-  
 “ bus ad nos acquiri potuit, multis abhinc sæculis defe-  
 “ cerit, clare cernitis; nisi forsitan raro eventu talis  
 “ appulsus obtigerit, quemadmodum ante dies paucos  
 “ vester. Jam verò de navigationis nostræ in alias partes  
 “ cessatione aliam vobis causam assignare oportet. Ne-  
 “ que enim denegare possum (si verum fateri cupiam)  
 “ quin apparatus et instructio nostra navalis, numero et  
 “ robore navium, abundantia nautarum, peritia guber-  
 “ natorum, et aliis rebus quibuscunque, æque hodie  
 “ valet, ac olim valebat. Itaque, quid in re sit, quod  
 “ domi jam sedeamus, separatim vobis declarabo: at-  
 “ que hoc propius accedet ad quæstionem vestram,  
 “ quam initio proposuistis, elucidandam.

“ Regnavit in hac insula, ante annos mille nongen-  
 “ tos, rex, cujus memoriam supra alios omnes maxime  
 “ colimus et veneramur: non superstitiose, sed tanquam  
 “ divini cujusdam instrumenti, licet hominis mortalis.  
 “ Nomen ei fuit Salomona. Eum autem pro legisla-  
 “ tore hujus gentis ducimus. Regi isti cor Deus indidit  
 “ latum, et in bonis inscrutabile: qui in illud totus  
 “ incumbebat, ut regnum et populum suum bearet.  
 “ Itaque, cum secum reputaret, quam sufficiens, et  
 “ (ut dicam) substantiva, terra hæc ex sese fuerit ad  
 “ seipsam sustentandam, absque opibus aut copiis exte-  
 “ rorum; quippe quæ in circuitu quinquies mille et  
 “ sexcenta milliaria, plus minus, contineret; et maxi-  
 “ ma ex parte ferax imprimis esset, et bonitate soli  
 “ præstaret: atque rursus perpendens classem et naves  
 “ regni, non segniter applicari et exerceri posse, tam  
 “ per piscationem, quam per transportationem et vectu-  
 “ ram de portu in portum; necnon per navigationes  
 “ ad insulas quasdam adjacentes, et imperio huic et



“legibus subditas: tum vero in memoriam revocans,  
 “quam felix et florens, eo tempore, regni hujus status  
 “fuerit; ita ut mille modis in deterius, sed vix ullo  
 “modo in melius, mutari posset; nihil omnino deesse  
 “putabat, quo fines suos nobiles plane et heroicis asse-  
 “queretur, nisi ut (quantum humana providentia effi-  
 “cere posset) res illas, quæ suo tempore tam feliciter  
 “essent fundatæ et stabilitæ, perpetuitate donaret.  
 “Quocirca inter leges alias suas fundamentales, leges  
 “plurimas sanxit de introitu exterorum interdicens;  
 “qui eo tempore (licet post calamitatem Americanam)  
 “satis frequens erat: isthoc instituto, quia a novitati-  
 “bus et mixturis morum metuebat. Verum est, inter-  
 “dictum simile, de introitu exterorum, scito veteri apud  
 “Chinenses valuisse, atque etiamnum valere. Sed ibi  
 “res est despicibilis, eosque reddidit gentem curiosam,  
 “imperitam, timidam, et ineptam. At legislator no-  
 “ster, in lege sua condenda, diversum longe adhibuit  
 “temperamentum. Primum enim, jura humanitatis  
 “omnia sarta tecta servavit, in institutis et foundationi-  
 “bus suis pro levamine et solatio peregrinorum afflic-  
 “torum; quod et vos experti estis.” Ad quod dic-  
 “tum, ut par erat, consurreximus omnes, nosque incli-  
 “navimus. Ille perrexit: “Rex idem, cupiens factis  
 “humanitatis consilia politica adjungere; atque huma-  
 “nitati minime convenire putans, ut exteri inviti  
 “detinerentur, nec minus rationibus status non conve-  
 “nire, ut redirent, et insulæ hujusce arcana evulgarent,  
 “hanc viam iniit. Constituit, ut ex exteris, quibus  
 “permissum foret in terram hanc descendere, qui abire  
 “vellent, non prohiberentur; qui autem manere præ-  
 “optarent, conditiones et vivendi facultates a statu  
 “reciperent; in qua re visu tam acri polluit, ut, post  
 “tot seculorum spatia a lege hac condita, memoriam  
 “nullam habeamus, ne vel unicæ duntaxat navis, quæ  
 “reditum prætulit; atque tredecim tantum virorum,  
 “temporibus diversis, qui in nostris navibus reverti  
 “elegerunt. Quid autem pauci illi, qui sic redierunt,  
 “de regione hac propalarint, nos fugit. Facile autem  
 “existimare potestis, quicquid retulerint, non aliter

“ quam pro insomnio quodam habitum esse. Naviga-  
 “ tiones autem nostras ad partes externas visum est legis-  
 “ latori nostro penitus coërcere. In China hoc non fit.  
 “ Etenim Chineses, quo volunt, et possunt, navigant.  
 “ Quod satis ostendit, legem illorum, de exteris arcen-  
 “ dis, a pusillanimitate sola, et metu provenire. Inter-  
 “ dictio autem hæc nostra unam tantum recipit restri-  
 “ ctionem, eamque certe admirabilem: bonum enim,  
 “ quod a communicatione cum exteris trahi possit, con-  
 “ servat, malum autem evitat. Id vobis nunc aperiam.  
 “ Atque hic videbor aliquantisper ab eo, quod agitur,  
 “ digredi: sed mox hoc ipsum ad rem pertinere perspi-  
 “ cietis. Intellegitis itaque (amici mei præcari) inter  
 “ acta illius regis unum maxime eminere. Illud est,  
 “ fundatio sive institutio ordinis cujusdam et societatis,  
 “ quam nos Domum Salomonis vocamus. Nobilissi-  
 “ mam dico (quantum nos arbitramur) omnium, per  
 “ terrarum orbem, fundationem, atque regni hujusce  
 “ luminare magnum. Domus hæc studiis et contem-  
 “ plationibus operum et creaturarum Dei dicata est.  
 “ Putant nonnulli, nomen traxisse a fundatore, paulu-  
 “ lum corruptum: ac si deberet dici Salomonæ domus:  
 “ verum archiva ipsa authentica sic scriptum habent,  
 “ prout in sermone quotidiano nunc profertur. Itaque  
 “ nomen fluxisse arbitror a rege illo Hebræorum, qui  
 “ apud vos celebris est, nobis autem non ignotus. Ha-  
 “ bemus enim portiones aliquas operum suorum, quæ  
 “ apud vos desiderantur. Historiam illam naturalem  
 “ dico, quam conscripsit *De plantis omnibus, a cedro*  
 “ *Libani, usque ad hyssopum, quæ de pariete egreditur,*  
 “ *atque de omnibus rebus, quibus vita et motus inest.*  
 “ Hinc animum meum cogitatio illa subiit, regem no-  
 “ strum, quandoquidem se in multis cum rege illo He-  
 “ bræorum consentire sensit (qui multis ante eum annis  
 “ vixerat) ejus titulo fundationem hanc honorasse. At-  
 “ que in hanc opinionem præcipue adducor, quod in  
 “ historiis admodum antiquis invenio, societatem hanc  
 “ interdum Domum Salomonis vocari, interdum autem  
 “ Collegium operum sex dierum. Unde persuasum  
 “ habeo, regem illum nostrum præcellentem ab Hebræis

“ addicisse, Deum mundum hunc, et omnia quæ  
“ ei insunt, sex dierum spatio creasse, ideoque cum  
“ domum illam institueret ad inquisitionem et inven-  
“ tionem naturæ veræ et interioris rerum omnium,  
“ quo Deus conditor majorem reciperet gloriam, ob  
“ fabricam earum; homines autem uberiores perci-  
“ perent fructum in usu earum; indidisse etiam ei  
“ illud alterum nomen, nimirum, Collegii operum sex  
“ dierum. Verum, ut redeamus tandem ad id quod  
“ nunc agitur. Postquam rex omnem subditis navi-  
“ gationem interdixisset, præterquam in partes huic  
“ imperio subditas, hanc nihilominus ordinationem  
“ sancivit; nimirum, singulis duodenis annis mitten-  
“ das ex hoc regno naves binas, in partes orbis diver-  
“ sas: in utraque navium harum tres ex fraternitate  
“ Domus Salomonis seorsum vehendos: his in man-  
“ datis dandum, ut nos, de rebus, et statu locorum  
“ illorum, ad quos appellerent, certiores facerent, præ-  
“ cipue autem de scientiis, artibus, manufacturis, et in-  
“ ventionibus mundi universi: utque in reditu libros,  
“ instrumenta, exemplaria in unoquoque genere, ad  
“ nos perferrent: navibus, postquam in terram fra-  
“ tres exposuissent, redeundum; fratribus autem us-  
“ que ad novam missionem peregre manendum: naves  
“ hasce non aliis mercibus instruendas, quam com-  
“ meatus copia bona, nec non thesauri satis larga  
“ quantitate, in usum fratrum, ad res eas coëmendas,  
“ et homines tales remunerandos, quibus opus esset.  
“ Jam vero, ut vobis proferam modos, quibus vulgus  
“ nautarum coërcentur, ne in terris, ad quas appellant,  
“ dignoscantur: aut quibus modis, in terram expositi,  
“ sub nomine nationum aliarum lateant: aut ad quæ  
“ loca navigationes nostræ designatæ sint: aut quæ  
“ loca novis rursus missionibus præfigantur, atque alias  
“ hujus generis circumstantias, quæ ipsam practicam  
“ partem spectant, mihi proloqui fas non est: neque  
“ multum certe ad quæstionem vestram conducet. Sic  
“ itaque videtis, commercium nos instituisse, non pro  
“ auro, argento, et gemmis, non pro sericis, aut aro-  
“ matibus, neque pro aliis quibusvis rebus crassis, sed  
“ tantum pro creatura Dei prima, luce scilicet: luce,

“inquam, in quacunq̄ue tandem terræ regione pro-  
“rumpente et germinante.”

Cumq̄ue hæc dixisset, conticuit: nos etiam aliquandiu silebamus. Revera enim omnes attoniti eramus, cum audiremus res tam mirabiles oratione tam probabili recenseri. Ille autem, animos nostros cogitationibus aliquibus gravidos sentiens, partui autem non maturos, civiliter admodum nos explicuit; et ad quæstiones de itinere, et fortunis nostris deflexit: sub finem autem dixit, recte nos facturos, si consultationem inter nos iniremus de tempore pro mora nostra a statu petendo. In quo jussit minime verecundari nos; tempus enim, quodcunq̄ue nobis postulare visum fuerit, ipse non dubitabat se impetraturum: ad quod dictum surreximus omnes, et humiliter fimbriam liripipii sui exosculari cœpimus. Ille autem renuit, et continuo a nobis discessit. Postquam vero inter homines nostros evulgatum fuit, statum illum conditiones exteris, qui manere vellent, largiri solere; vix ulli eorum persuadere potuimus, ut navem nostram curarent, aut quo minus præpositum mox adirent ad conditiones petendas. Sed, non sine magna difficultate, eos tandem cohibuimus, donec ex consensu, quid faciendum esset, statueremus.

Jam autem tanquam liberos nos rebamur, cum metum omnem extremæ ruinæ depulsum vidimus. Jucundissime item viximus: civitatem ipsam, nec non pomœrium illud, quod nobis concessum erat, perambulantes: in quo, quæcunq̄ue visu digna, aut grata erant, perquirebamus, et spectabamus. Interea familiaritatem cum plurimis ex civitate, iisque non ex inferiore ordine, contraximus: inter quos humanitatem tantam perspeximus, adeoque consuetudinem tam jucundam et liberam peregrinos veluti in sinu amplectendi, et fovendi, ut vix abesset, quin oblivionem nobis omnium eorum, quæ in patriis nostris chara antea erant, induceret. Quin et quotidie incidimus in res observatu et relatu dignissimas. Certe si ullibi terrarum speculum sit, quod oculos hominum allicere debeat, et detinere, illud exhibet hæc regio. Evenit die quodam, ut duo ex nostris invitarentur ad festum

quoddam (quod vocant) familiæ. Mos autem celebrandi festum illud censi merito possit maxime pius, ex ipsa naturæ lege depromptus, et veneratione dignus: monstrans proculdubio nationem illam omni bonitate refertam esse. Qui talis est: concessum est per leges regni cuivis, cui vivere contigerit dum triginta e corpore suo prognatõs simul superstites viderit, eosque omnes tertium ætatis annum egressos, festum hoc celebrare. Quod ex publico sumptu fit. Pater familiæ (quem Tirsanum vocant) biduo ante festum, tres ex amicis suis, quos eligere placuerit, sibi advocat, ac insuper magistratus civitatis, aut oppidi, ubi festum celebratur, præsentia honoratur: omnes autem ex familia utriusque sexus adesse jubentur. Per dies hosce duos Tirsanus cum amicis illis suis, et magistratu, circa bonum familiæ consultationem init. Tunc si quæ discordiæ, aut lites, in familia obortæ sint, terminantur, et sedantur. Tunc si qui ex familia in paupertatem redacti fuerint, aut quovis modo afflictis, iisdem subveniendi, et necessarium victum suppeditandi ratio initur. Tunc si qui eorum vitiis addicti, aut genus vitæ iners et pravum agant, reprehenduntur, et censuram subeunt. Quinetiam circa nuptias, et vitæ conditionem alicui eorum maxime convenientem; consilium tunc capitur; et alia similia tractantur, et decernuntur. Magistratus ideo assidet, ut decreta et mandata Tirsani, si quis forte ex familia non pareat, auctoritate sua muniat, et executioni demandet: licet hoc raro admodum requiratur, tantam, nimirum, ordini naturæ obedientiam præstant. Tunc etiam Tirsanus ex filiis suis unum eligit, qui cum eo in domo sua perpetuo vivat; qui exinde vocatur filius vitis. Ratio nominis postea patebit. Die festo, post liturgiam divinam celebratam, progreditur Tirsanus in aulam quandam amplam, ubi solennia festi peraguntur: quæ aula a parte superiori gradum habet unicum ascensus. Illic ad parietem, in medio, collocatur cathedra, cum mensa, et peristromate super eam: supra cathedram extenditur conopeum, rotundum, vel ovatum, ex hedera; hedera certe præ nostra plurimum albescente colore, non absimili folio populi, quam vocamus argenteam: sed aliquanto magis splendido: viret enim per hiemem.

Conopeum autem filis argenteis et byssinis diversorum colorum, quæ hederam colligant, eleganter contextitur; atque opificium plerunque est alicujus ex filiabus familiæ: in vertice reticulo tenui ex bysso et argento velatur, verum materia conopei hedera vera est: ex qua, post solennitatem finitam, amici familiæ folium aliquod, aut ramusculum, decerpere amant. Progreditur Tirsanus, prole sua universa stipatus, masculis præeuntibus, fœminis a tergo insequentibus. Si mater familiæ fuerit, quæ prolem universam peperit, collocatur ad dextrum latus cathedræ, orchestra quædam cooperta cum ostio secreto, et fenestris, ubi illa clam sedet. Tirsanus, postquam ingressus fuerit, in cathedra illa considet, universa familia juxta parietem, tam a tergo, quam a lateribus aulæ, super gradum ascensus, secundum ordinem ætatis, non habito sexus discrimine, se sistente, et super pedes erecta. Cum consederit (aula interim frequentia haud parva referta, sed sine turba aut strepitu) post moram nonnullam ingreditur ab inferiori parte aulæ taratannus (quod verbum apud eos significat haraldum) cujus latera tegunt adolescentuli duo; quorum unus rotulum gerit ex splendente illa lutea membrana, alter botrum uvarum aureum cum pedicillo sive caule longa. Haraldus, et uterque adolescentulus, palliis sericis coloris thalassini vestiuntur; verum pallium haraldi radios habet aureos, et dimittitur adeo ut terram nonnihil verrat. Haraldus, ter se aliquantulum inclinans, accedit usque ad gradum ascensus, ibique primo in manum sumit rotulum. Rotulus iste charta regia est, et redituum, privilegiorum complurium, exemptionem, et insignium honorificorum, patrifamiliæ concessorum, dona continet: inscribitur autem semper: *Tali, amico nostro dilecto, et creditori*: qui titulus, a rege, in hoc solummodo casu tribuitur. Aiunt enim regem nulli debitorem esse, nisi ob propagationem subditorum. Sigillum huic chartæ affixum est regis effigies, auro insculpta: atque quamvis hujusmodi chartæ, ex officio, et tanquam jure, expediuntur, pro arbitrio tamen, secundum numerum et dignitatem familiæ, variantur. Hanc chartam perlegit haraldus voce alta; dumque legitur, Tirsanus se in

pedes erigit, a duobus filiorum suorum, quos delegerit, supportatus. Tum haraldus super gradum ascendit, et Tirsano chartam in manus tradit: quo facto, ab omnibus, qui absunt, acclamatio magna fit lingua sua, quæ hoc significat, *Felices sunt populi Bensalem*. Deinde haraldus ab adolescentulo altero botrum uvarum recipit, qui (ut diximus) aureus est, tam caule, quam uvæ ipsis, sed uvæ eleganter colorantur: atque, si masculi ex familia numero excedant fœminas, uvæ purpureæ sunt, cum sole parvo in vertice posito: sin fœminæ mares, uvæ virides sunt, cum luna crescente in vertice. Uvæ autem numerum liberorum familiæ exæquant. Iste etiam racemus aureus ab haraldo traditur Tirsano; qui eundem statim filio illi, quem antea elegerat ut secum in domo maneret, tradit: is autem perpetuo eum ante patrem gestat, quoties in publicum progreditur, tanquam insigne honoris: atque inde nomen (ut dictum est) filii vitis accipit. Peracta hac solennitate, Tirsanus se recipit, atque post moram aliquam interjectam rursus ad prandium egreditur, ubi sedet sub conopeo solus, neque cuivis ex liberis, cujuscunque gradus aut dignitatis, una sedere conceditur: nisi forte fuerit ex domo Salomonis. Servitium mensæ præstant masculi ex familia, qui hoc faciunt, quoties ei aliquid subministrant, in genua procumbentes: fœminæ autem tantum juxta parietem circumstant. Pars aulæ, quæ infra gradum est, mensas habet utrinque sitas pro convivis, quibus decore admodum, et ordine bono, ministratur: sub finem autem prandii (quod apud illos in maximis suis solennitatibus, non ultra sesqui-horam durat) cantatur hymnus, pro ingenio componentis variatus (habent enim poëtas optimos) subjectum vero ejus perpetuo sunt laudes Adami, Noachi, et Abrahami: quorum primi duo universi generis humani parentes extiterunt, tertius, pater fideium. Concluditur tamen semper cum gratiarum actione propter nativitatem Servatoris nostri: in quo universæ terræ generationes benedictionem consequuntur. Finito prandio, Tirsanus iterum se recipit: atque solus subducitur in locum interiorum, ubi preces secretas fundit: dein progreditur tertio, ut benedic-

tionem suam impertiat universis liberis suis, qui eum circumstant, ut prius. Tum eos nominatim ad se singulos vocat, prout ei placuerit, licet raro ætatis ordo immutetur. Persona, quæ vocatur (mensa prius semota) continuo in genua ante cathedram procumbit: pater autem manus capiti ejus imponit, atque ei benedicit in hæc verba: “Fili Bensalem (aut filia Bensalem) pater tuus dicit: ille, per quem auram vitalem hausisti, verbum loquitur: Benedictiones Patris æterni, Principis pacis, et Columbæ sanctæ, descendant super te, et dies peregrinationis tuæ reddant multos et bonos.” Hanc benedictionem singillatim impertit. Quod si aliqui ex liberis masculis virtute et meritis præcelluerint (modo numerum duorum non excedant) post benedictionem generalem, seorsum eos vocat: manus autem super humeros eorum extendens, illis stantibus, sic inquit: “Fili, bene habet quod natus es, da Deo gloriam, et in finem persevera.” Atque una ei monile tradit, in figuram spicæ frumenti formatum: quod is semper postea in fronte turbani, aut galeri sui, portat. Hoc peracto, ad musicam et saltationem, et hilaritates id genus alias, apud eos usitatas, pro residuo diei se accingunt. Atque iste est modus festum illud celebrandi.

Intra paucos dies sequentes, amicitiam et familiaritatem cum mercatore quodam civitatis illius, cui nomen Joabin, contraxi. Erat autem Judæus et circumcिसus. Paucas enim quasdam Judæorum stirpes inter eos nunc degentes habent, quibus religionem suam permittunt: quam veniam facilius indulgere possunt, quandoquidem Judæi illi a Judæis in reliquis orbis partibus moribus longe diversi sunt. Nam cum Judæi alii nomen Christi odio habeant, atque adversus populum, inter quem degunt, secretam et inveteratam malitiam foveant, hi contra Servatori nostro attributa plurima sublimia reddunt, nationem autem Bensalem amant impensissime. Sane vir iste, de quo loquor, confiteri semper solebat, Christum natum fuisse ex virgine, atque homine mero majorem exitisse: tum narrare solebat, quod Deus eum Seraphim, qui thronum suum stipant, præfecit: vocabat eum etiam quandoque viam lacteam, quando-



que Eliam Messiaë, et aliis compluribus nominibus magnis eum insigniebat. Quæ omnia, licet divina Christi majestate longe inferiora sint, a stylo tamen Judæorum cæterorum multum differunt. Regionis autem Bensalem laudandæ idem nullum faciebat finem: quin et credi voluit, ex traditione quorundam Judæorum illic degentium, populum Bensalem ex stirpe Abrahami, per alium filium, quem Nachoram vocat, fuisse: quin et Mosem, per secretam quandam cabalam, leges illas, quibus populus de Bensalem hodie utitur, condidisse: atque in adventu Messiaë, cum consessurus sit Hierosolymis in throno suo, regem Bensalem ad pedes ejus sessurum; cæteris regibus ad distantiam longam amotis. Veruntamen, somnia ista Judaica si seponas, vir fuit admodum prudens, et doctus, et consilii profundi; quique legum et consuetudinum gentis illius Bensalem perquam gnarus extitit. Inter sermones alios, die quodam, forte dixeram, me relatione illa, quam e quibusdam ex nostris acceperam, circa consuetudinem illorum in celebrando festo, quod vocant, familiæ, magnopere delectatum esse; neque enim videbar mihi unquam de solemnitate aliqua inaudivisse, in qua natura tam insigniter præsideret. Quoniam vero familiarum propagatio ex nuptiali copula procedit, cupiebam aliquid ex eo rescire, tum circa leges et consuetudines ipsorum circa nuptias; tum utrum matrimonia intemerata conservarent; tum denique utrum polygamia inter illos interdiceretur. Quandoquidem nationes, quæ subditorum propagationi tantopere studerent, polygamiam plerunque tolerarent. Ad hæc respondit: “ Non sine  
“ causa certe institutionem illam excellentem festi fa-  
“ miliæ laudas. Quin et experientia apud nos compro-  
“ batum est, familias illas, quæ ex festi illius benedi-  
“ ctione participarunt, mirifice postea semper floruisse.  
“ Verum arrige aures modo, et narrabo tibi quod scio.  
“ Intelliges, sub sole vix reperiri gentem ullam tam  
“ castam, quam hæc de Bensalem: nec ob omni labe, et  
“ pollutione adeo puram. Virginem mundi plane dix-  
“ erim. Memini me legisse, in uno ex libris vestris  
“ Europæis, de sancto inter vos eremita, qui spiritum

“ fornicationis videre cupiit, atque parvum, deformem,  
 “ et turpem Æthiopem illico ei apparuisse: quod si  
 “ spiritum castitatis Bensalem videre expetisset, pro-  
 “ culdubio in forma Cherub alicujus pulchri et gloriosi  
 “ ei apparuisset. Nihil enim inter mortales pulchrum,  
 “ aut admiratione dignum, præ gentis istius animis  
 “ castissimis. Quamobrem notum tibi velim, nulla  
 “ inter eos esse lupanaria, prostibula nulla, nullas me-  
 “ retrices conductitias, neque aliqui hujusmodi. Imo  
 “ non sine detestatione quadam mirantur, vos in Euro-  
 “ pa talia tolerare. Aiunt, vos nuptias de officio suo  
 “ deturbasse: nuptiæ enim in remedium concupi-  
 “ scentiæ illicitæ institutæ sunt; concupiscentia autem  
 “ naturalis ad nuptias instar stimuli est. Verum cum  
 “ hominibus remedium, corruptis suis cupiditatibus  
 “ magis gratum, adsit, nuptiæ fere expelluntur. Itaque,  
 “ innumeros apud vos videre est, qui uxores non du-  
 “ cunt, sed cœlibatum potius impurum, et libidino-  
 “ sum, præoptant, quam jugum matrimonii honorabile.  
 “ Multi insuper, qui uxores ducunt, sero hoc faciunt,  
 “ cum juventutis flos et robur evanuerint. Sin forte  
 “ matrimonium contrahant, quid aliud est matrimonium  
 “ illis, quam mercatura mera? in quo affinitas, aut  
 “ dos, aut existimatio quæritur, cum desiderio non-  
 “ nullo (sed tamen tanquam rei indifferentis) sobolis:  
 “ minime autem fidelis illa inter virum et fœminam  
 “ nuptialis unio, quæ in principio instituta est, in  
 “ mentem venit. Neque etiam fieri potest ut illis, qui  
 “ tam magnam partem ætatis et roboris sui adeo viliter  
 “ consumpserunt, liberi (pars nostri altera) omnino in  
 “ pretio sint. Quin et durante vinculo matrimonii,  
 “ numnam res hæc in melius vertitur, ut fieri debuit, si  
 “ excessus isti necessitatis solummodo causa tolera-  
 “ rentur? Nequaquam: manent autem desideria eadem  
 “ etiam post matrimonium, in matrimonii ipsius de-  
 “ cus et opprobrium. Neque enim lupanarium fre-  
 “ quentatio, aut consuetudines meretriciæ, in maritis  
 “ magis, quam in cœlibem vitam agentibus, puniuntur.  
 “ Ad novos autem amores proclivitas, et meretriciorum  
 “ amplexuum delectatio (ubi peccatum in artem con-

“ versum est) nuptias reddit rem insipidam, et veluti  
 “ onus, aut tributum quoddam. Audiunt, hæc a vobis  
 “ defendi, utpote ad majora mala evitanda tolerata:  
 “ veluti, adulteria, virginum constuprationem, libidi-  
 “ nem contra naturam, et similia. Verum prudentiam  
 “ hanc censent esse præposteram: eamque vocant con-  
 “ ditiones Lothi; qui, ut hospites a contumelia exi-  
 “ meret, filias obtulit. Imo ulterius dicunt, ex hoc  
 “ parum aut nihil lucri fieri, cum vitia eadem, et ap-  
 “ petitus pravi usque maneant et abundant: quando-  
 “ quidem libido illicita instar fornacis sit, ubi, si flam-  
 “ mam omnino contineas, illico exstinguitur: sin exitus  
 “ aliquis detur, furit. Quantum vero ad amores mas-  
 “ culorum, istos ne fando quidem norunt, neque tamen  
 “ amicitias per universum orbem magis fideles, et in-  
 “ violatas, reperies. Atque (ut verbo dicam, sicut  
 “ antea quoque dixi) non ullibi legi tantam vigere cas-  
 “ titatem, quantam in hac terra. Quin et sermo apud  
 “ eos usitatus est, Qui impudicus est, sui reverentiam  
 “ perdit: reverentia autem sui, secundum Deum et re-  
 “ ligionem, vitiorum omnium frænum potentissimum.”

Hæc cum dixisset, Judæus ille, vir egregius, paulisper tacuit. Atque ego, licet audiendi magis, quam loquendi, cupidus, decorum tamen existimans, ut dum ille aliquantisper respiraret, ipse protinus non silerem, hoc tantum dixi, me ad eum verbis illis usurum, quibus usa est ad Eliam vidua Sareptana, venisse eum ad revocanda in memoriam nobis peccata nostra; quodque ingenue confiteri oportet, abundare justitiam Bensalem plus, quam Europæorum. Ad quæ verba paululum se inclinavit, et sermonem hoc modo continuavit.

“ Leges etiam habent circa nuptias complures, pru-  
 “ dentissimas sane, et honestissimas Polygamiam non  
 “ tolerant. Sanxerunt, ut nec nuptiæ celebrentur, nec  
 “ contractus de nuptiis futuris fiant, nisi post mensem a  
 “ tempore, quo uterque mutuo se primum conspexerunt.  
 “ Nuptias absque consensu parentum factas,  
 “ irritas quidem non habent, sed hæreditate mulctant:  
 “ etenim talium nuptiarum liberos duabus tertiis hære-

“ ditatis privant. Equidem, in libro cujusdam e ves-  
 “ tris, de republica quadam imaginaria, legi, ubi ma-  
 “ trimonium contracturis se invicem nudos conspicerere  
 “ permittitur. Hoc illi non probant. Etenim contu-  
 “ meliæ loco ducunt, ut quis, post notitiam tam fami-  
 “ liarem, rejiciatur: veruntamen, propter defectus in  
 “ viris et mulieribus complures secretos, qui matrimo-  
 “ nium postea infelix reddere possint, more utuntur  
 “ magis civili: prope oppida singula, stagna duo ha-  
 “ bent; quæ vocant stagna Adami et Evæ; ubi per-  
 “ missum est, uni ex amicis viri, atque itidem alteri  
 “ ex amicis fœminæ, spectare eos separatim in balneo  
 “ lavantes.”

Dumque hoc modo colloqueremur, venit quidam,  
 qui nuncius videbatur, indutus tunica picta et inaurata;  
 qui Judæum allocutus est. Unde ad me vertit, et  
 dixit, “ Ignoscas mihi, obsecro; sine mora hinc ac-  
 “ cessor.” Postridie mane rursus ad me venit Judæus,  
 lætabundus, ut videbatur, et dixit: “ Perlatus heri est  
 “ nuncius ad præfectum urbis, intra dies septem acces-  
 “ surum huc unum ex patribus domus Salomonis.  
 “ Duodecim jam anni elapsi sunt, ex quo ullum eorum  
 “ hic vidimus. Adventus ejus solennis futurus, causa  
 “ in occulto. Curabo, ut tibi et sociis tuis locus  
 “ commodus appareatur, unde celebritatem ingressus  
 “ ejus spectare possitis.” Gratias ei egi, et dixi, nunc-  
 cium hunc de accessu ejus mihi pergratissimum esse.

Die constituto ingressus est pater. Vir fuit staturæ,  
 et ætatis, mediocris, aspectu decorus, vultum præ se  
 ferens quasi miserantis. Vestitus erat toga, ex panno  
 nigro, sincero, cum manicis largis, et capa. Vestis  
 interior ex lino erat, elegantissimo certe et albissimo,  
 usque ad pedes demissa, cum balteo itidem candido,  
 ex lino. Liripipium etiam gestabat circa collum, ex  
 lino purissimo. Chirothecas habebat sumptuosas, et  
 gemmis ornatas. Calceos hyacinthinos ex holoserico.  
 Collum usque ad humeros nudum. Galeris figura  
 galeæ erat, aut monteræ, ut vocant Hispani: sub qua  
 propendebant cincinni ejus, subcrispi, et modo decenti  
 compositi. Color eorum subniger, quemadmodum et

barbæ, quæ in figuram rotundam tonsa erat. Vehementer autem in cathedra splendida, sine rotis, lecticæ more, binis equis, magnifice phaleratis ex holoserico cæruleo, auro intexto, cathedram ad utrumque finem supportantibus: una cum duobus cursoribus, ad utrumque latus cathedræ, pari ornatu. Cathedra ex cedro erat, inaurata, atque crystallo ornata: nisi quod pars anterior quadras haberet ex sapphiris, auro interstinctis; posterior autem similes ex smaragdis coloris Peruvianis. Etiam in medio verticis cathedræ sol erat, ex auro radians: et in fronte ejus Cherub parvus, alis expansis, ex auro itidem. Operimentum cathedræ erat pannus, ex filis aureis, cum serico cæruleo. Cathedram præibant quinquaginta juvenes, in tunicis laxis ex serico albo, ad tibiam mediam, et tibialibus ex serico itidem albo, calceis autem ex holoserico cæruleo, et galeris ex eodem, cum plumis elegantibus diversorum colorum, galerum ambientibus, in formam chordæ. Proxime ante cathedram incedebant duo viri, capitibus nudis, vestiti linteo albo, usque ad talos demisso, et succincti, calceis itidem ex holoserico cæruleo: qui gestabant, alter crucem, alter pedum pastorale: neutrum ex metallo, sed crucem ex xylobalamo, pedum ex cedro. Equites comitabantur nulli, nec ante, nec pone cathedram, ea (credo) ratione, ut tumultus omnis, et strepitus, evitarentur. Post cathedram sequebantur magistratus et fraternitates urbis. Sedebat solus, super pulvinar, ex holoserico quodam hirsutiore, coloris cærulei: sub pedibus autem vestem stragulam habebat ex serico item colorum diversorum similem Persicæ quidem, sed elegantiorum. Dextram, qua ibat, sustulit nudam, populo benedicens, sed cum silentio. Plateæ ita erant ordinatæ, ut via ampla pateret, nullibi interclusa: neque (credo) acies unquam in exercitu ordinata melius fuit, quam populus, eo tempore, in plateis. Quin et intra fenestras ipsas non indecenter stabant spectatores, sed quisque velut ordine suo locatus. Celebritate finita, Judæus mihi dixit: "Per aliquot jam dies detinebor, quo minus vobiscum pro solito, et ut cupio, versari possim: eo quod a præfecto urbis munus mihi deman-

“ datum est ut viro huic summo inservirem.” Tri-  
 duo post, Judæus ad me reversus est, et dixit: “ Bo-  
 nis avibus huc advenistis: pater enim domus Salo-  
 monis de vestra in hac urbe mora certior factus est:  
 mihiq̄ue mandavit, ut renunciem vobis, se universam  
 societatem vestram ad conspectum suum admis-  
 surum, seorsum etiam, cum uno aliquo vestrum,  
 quem ad hoc deligetis, collocuturum. Cui rei diem  
 perendinum designavit. Quoniam autem vos be-  
 nedictione sua impertire in animo habet, tempus  
 ante-meridianum præstituit.” Die et hora præfixis  
 venimus: ego autem a sociis meis ad privatum illud  
 colloquium deputatus sum. Invenimus eum cubiculo  
 specioso, aulæis splendentibus instructo, et tapetibus  
 strato, absque ullo gradu ascensus ad cathedram ubi  
 sedebat. Sedebat super solium humile, magnifice or-  
 natum, supra caput autem habebat conopeum ex se-  
 rico cæruleo, auro eleganter intertexto. Conclave  
 hominibus vacuum erat, nisi quod ab utroque latere  
 solii, honoris ergo, stabat servus, albis vestibus indu-  
 tus. Vestis ejus interior similis fuit illi, qua amictum  
 eum vidimus in platea. Sed loco togæ, indutus erat  
 pallio, cum capa, ex panno nigro, admodum sincero,  
 circa humeros revincto. Sub ingressum nostrum,  
 prout edocti fuëramus, inclinavimus nos submis-  
 se: cumque prope solium accessissemus, erexit se in pe-  
 des, dextram ejus, exuta chirotheca, attollens, in mo-  
 dum benedictis: nos autem singuli fimbriam liri-  
 pipii sui, proni exosculati sumus. Hoc facto, reliqui  
 ex sociis meis recesserunt, ego autem solus mansi.  
 Tunc innuit adolescentulis, ut illi quoque se subduce-  
 rent, meque juxta assidere voluit, atque lingua His-  
 panica, ad hunc modum, exorsus est.

“ Benedicat tibi Deus, fili mi: gemma præcipua  
 ex iis, quas habeo, te impertiar: etenim haud gra-  
 vabor, propter Dei et hominum amorem, statum  
 verum domus Salomonis tibi revelare. Fili, ut per-  
 spicue cognoscas statum verum domus Salomonis,  
 hoc ordine procedam. Primo declarabo finem fun-  
 dationis nostræ: secundo apparatus et instrumenta,

“ quibus ad opera instruimur: tertio, officia distincta,  
 “ et functiones, quæ sociis nostris assignantur: pos-  
 “ tremo, ordinationes, et ritus, quibus utimur.

“ Finis foundationis nostræ est cognitio causarum,  
 “ et motuum, ac virtutum interiorum in natura, at-  
 “ que terminorum imperii humani prolatio ad omne  
 “ possibile.

“ Apparatus autem, et instrumenta nostra, hæc sunt.  
 “ Habemus cavernas amplas et profundas, diversarum  
 “ altitudinum. Profundissimæ earum deprimuntur  
 “ usque ad sexcentas orgyas. Atque nonnullæ ex iis  
 “ effossæ sunt subter magnos montes, adeo ut si altitu-  
 “ dinem montis atque altitudinem cavernæ simul con-  
 “ feras, profunditatem habent aliquæ earum trium  
 “ milliarium. Reperimus enim altitudinem montis,  
 “ usque ad planum, et altitudinem cavernæ a plano,  
 “ idem revera esse; utrumque æque a sole, et radiis  
 “ cœlestibus, et aëre aperto, remotum. Has cavernas  
 “ regionem infimam vocamus. Iisdem autem utimur  
 “ ad omnes coagulationes, indurationes, refrigerationes,  
 “ et conservationes corporum. Utimur etiam iis ad  
 “ mineras naturales imitandas; atque ad productionem  
 “ novorum metallorum artificialium ex materiis et cæ-  
 “ mentis, quæ ibi præparamus et in multos annos  
 “ sepelimus. Utimur illis quandoque (quod mirum  
 “ videri possit) ad curationem quorundam morborum,  
 “ et prolongationem vitæ, in aliquibus eremitis, qui  
 “ illic vivere præoptant, bene instructi omnibus rebus  
 “ necessariis; qui certe vivacissimi sunt; a quibus  
 “ etiam multa addiscimus.

“ Habemus etiam alias sepulturas corporum natu-  
 “ raliū, et materiārum, non in concavo aliquo, sed  
 “ in ipsa terra contigua, ubi complura cementsa con-  
 “ dimus, ut Chineses condunt porcellanam suam. Sed  
 “ nos ea habemus majori varietate, et nonnulla ex iis  
 “ elegantiora, quam porcellana Chinesis. Quin et  
 “ habemus stercorationum, et fimorum varietatem  
 “ magnam, item congestionum et massarum aliarum,  
 “ quæ terram impingunt, et fertilem reddunt.

“ Habemus tures præaltas, quarum altissimæ usque

“ ad altitudinem semi-milliaris, linea perpendiculari,  
 “ insurgunt. Nonnullæ vero earum supra montes ex-  
 “ celsos sitæ, ita ut, si altitudinem montis et altitudinem  
 “ turris simul componas, extenditur altitudo in aliqui-  
 “ bus earum usque ad tria milliaria ad minimum. Hæc  
 “ autem loca regionem supremam appellamus, æsti-  
 “ mantes aëris tractum universum, inter supremam et  
 “ infimam, pro regione aëris media. Utimur his turribus,  
 “ prout altitudinibus et sitibus earum diversis convenit,  
 “ ad insolationes, refrigerationes, conservationes, et ad  
 “ meteora diversa spectanda, veluti ventos, pluvias,  
 “ nives, grandines, et aliqua ex meteoris ignitis. Atque  
 “ etiam supra eas, in aliquibus locis, sita sunt habita-  
 “ cula eremitarum, quos quandoque visitamus, atque  
 “ insuper, quid observare debeant, edocemus.

“ Habemus lacus magnos, tam saltos, quam dulces:  
 “ utimur autem iis ad suppetendos nobis pisces, aves ite in  
 “ palustres et aquaticas, omnis generis. Utimur etiam  
 “ iis ad sepulturas corporum nonnullorum naturalium.  
 “ Differentiam enim operationis invenimus in rebus,  
 “ quæ in terra sepeliuntur, aut in aëre subterraneo, et  
 “ iis, quæ in aqua submerguntur. Habemus stagna, in  
 “ quorum nonnullis aqua dulcis percolatur ex salsa:  
 “ in aliis autem per artem aqua dulcis in salsam mu-  
 “ tatur. Habemus insuper rupes in medio maris, et  
 “ loca quædam aprica ad littora ipsa, pro quibusdam  
 “ operibus efficiendis, in quibus aura maris requiritur.  
 “ Habemus quoque gurgites rapidos, et cataractas, ad  
 “ usum complurium motuum violentorum: ad similem  
 “ usum habemus machinas complures, quæ ventos ex-  
 “ cipiant, multiplicent, et roborent.

“ Habemus etiam puteos multos, et fontes artificiales,  
 “ ad imitationem naturalium scaturiginum et balneo-  
 “ rum factos, vitriolo, sulphure, chalybe, ære, plumbo,  
 “ nitro; et aliis mineralibus tinctos: habemus insuper  
 “ puteos et receptacula parva, ad rerum multarum in-  
 “ fusionem; ubi aqua (currens scilicet) virtutem cor-  
 “ porum melius et vivacius, quam in vasis, et catinis,  
 “ excipit. Inter quos habemus aliquos, in quibus con-  
 “ ficitur aqua, quam vocamus, paradisi, per præpara-



“ tiones quasdam nostras valde salubris et efficax facta  
 “ ad sanitatem et longævitatē.

“ Habemus etiam ædificia ampla et spatiosa; in  
 “ quibus imitamenta et repræsentationes meteororum  
 “ exhibemus: veluti, nivis, grandinis, pluviae, pluvia-  
 “ rum artificialum ex corporibus mistis, non aquis;  
 “ tonitruum, fulgurum, coruscationum, et generatio-  
 “ num insectorum et animalculorum in aëre, veluti  
 “ ranarum, muscarum, locustarum, et aliorum.

“ Habemus etiam cubicula nonnulla, quæ cubicula  
 “ sanitatis vocamus, ubi aërem ad libitum tingimus, et  
 “ temperamus, prout ad curationes complurium mor-  
 “ borum, et conservationem valetudinis, conducere, et  
 “ proprium esse, judicamus.

“ Habemus etiam balnea pulchra, et ampla, ex di-  
 “ versis mixturis, ad curationem complurium morbo-  
 “ rum, et corporis humani restaurationem ab arefa-  
 “ ctione; alia item ad roborationem, et confortationem  
 “ nervorum, partium vitalium, atque ipsius corporis  
 “ succi et substantiæ.

“ Habemus etiam pomaria, et hortos amplos et va-  
 “ rios, in quibus non tam nobis cordi est pulchritudo  
 “ ambulacrorum et similium, quam varietas terræ et  
 “ soli, diversis arboribus et herbis proprii. Aliqui  
 “ autem eorum arboribus et baccis consiti sunt, ad  
 “ potuum complura genera conficienda, præter vineas.  
 “ In his etiam experimenta facimus insitionum, et ino-  
 “ culationum, arborum tam sylvestrium, quam fructi-  
 “ ferarum, quæ multos et magnos effectus producant.  
 “ Atque efficimus per artem, in iisdem pomariis et  
 “ hortis, ut fructus et flores proveniant citius aut serius,  
 “ quam pro tempestate sua: item, ut minoribus inter-  
 “ vallis, pullulent, germinent, et fructum ferant, quam  
 “ natura sua consueverunt. Arbores et plantas  
 “ grandiores efficimus, quam pro natura sua; et fructus  
 “ earum majores et suaviores; atque sapore, odore,  
 “ colore, et figura differentes a specie sua: et multos  
 “ ex iis ita præparamus, ut ad usus medicinales valeant.  
 “ Habemus etiam modos, per quos plantas complures,  
 “ per solas terræ mixturas, absque semine, exurgere,

“ et crescere, faciamus : atque etiam novas et incognitas plantas educimus, a vulgaribus differentes, atque plantas ex una specie in aliam transmutamus.

“ Habemus etiam septa, et vivaria, pro bestiis et avibus omnigenis : quibus, non tam propter novitatem et raritatem, quam ad dissectiones et experimenta anatomica, utimur, ut ab iis, quid fieri possit circa corpus humanum, lucem accipiamus. In quibus mirabiles multos effectus reperimus, veluti vitæ in iis continuationem, licet nonnullæ partes, quas vos pro vitalibus habetis, perierint, aut extractæ fuerint ; resuscitationem nonnullarum, quæ specie tenus mortuæ erant, et similia. Experimentum etiam sumimus super illas venenorum omnium, et antidotorum, et aliorum medicamentorum, tam chirurgicorum, quam medicinalium, ut corpori humano melius cavemus. Arte etiam reddimus alias majores, et proceriores, quam pro natura sua ; e contra, alias nanas facimus, et statura justa privamus : præterea alias feraciores, et partu numerosiores reddimus, quam natura earum fert ; e contra, alias steriles, et generationi ineptas. Etiam colore, figura, et animositate, eas multis modis variamus. Procuramus etiam mixturas et copulationes animalium diversarum specierum, quæ novas species produxerunt, neque tamen eas steriles, prout communis fert opinio. Insuper, complura genera serpentium, vermium, muscarum, piscium, ex putrefactione producimus ; quorum nonnullæ in perfectas species maturantur, sicut aves, aut bestię, aut alii pisces ; et sexu discriminantur, et generant. Neque tamen casu hoc facimus, sed satis novimus ex quali materia quale animal sit producibile.

“ Habemus etiam piscinas particulares, ubi similia experimur in piscibus, quæ prius de bestiis, et avibus diximus.

“ Habemus etiam loca propria ad generationem ejusmodi vermium, et muscarum, quæ vobis incognitæ, et imprimis utiles sunt : quales sunt apud vos bombyces, et apes.

“ Non te remorabor commemorando quales habemus domus pro conficiendis, vino, sicera, cerevisia, et aliis potibus, aut pro panibus omnimodis conficiendis: aut culinas, in quibus conficiuntur et præparantur jura, cibi rari et inusitati, ad effectus speciales. Vina habemus ex uvis: potus item ex aliis succis fructuum, decoctionibus granorum, et radicum, et mixturis mellis, sacchari, mannæ, fructuum multorum (sicut in uvis faciunt) passorum; etiam ex lacrymis arborum, et medullis arundinum. Potus autem isti sunt ætatum diversarum, nonnulli usque ad annum quadragesimum servati. Habemus etiam potus medicatos ex infusionibus et mixturis diversarum radicum, herbarum, aromatum, quin et additis quandoque carnibus, ovis, lacticiniis, et aliis esculentis, ex quibus potibus nonnulli sunt instar cibi et potus conjunctim, adeo ut complures, præsertim ætate decrepita, ex illis solis vivant, cum exiguo, aut nullo usu cibi, aut panis. Atque ante omnia contendimus, ut potus tenuissimarum partium conficiamus, quo facilius in corpus se insinuent, sed absque omni mordacitate, acrimonia, aut corrosione: adeo ut nonnulli eorum, super dorsum manus impositi, post exiguam moram, insensibiliter ferme ad palmam penetrabunt; qui tamen linguam, aut palatum, non mordebunt. Habemus etiam aquas, quas ita maturamus, ut nutritivæ plane fiant, et in potus excellentes evadant; unde complures alio potu uti non lint. Panes habemus ex diversis granis, radicibus, nucibus, et glandibus, aliquos etiam ex carnibus et piscibus arefactis, cum fermentorum, et salitionum generibus variis, quorum alii mirum in modum appetitum excitant, alii ita nutritivi, ut ex iis solis, absque alio cibo, complures vivant, qui tamen longævi plerunque sunt. Cibos habemus, quos ita tundimus, inteneramus, et mortificamus, sed tamen absque aliquo gradu putredinis, ut calor stomachi debilis eos facile in chylum bonum vertat, non minus quam calor stomachi fortis operari possit in cibos communes. Genera quædam cibi, panis, et potus, ha-

“ bemus, quæ sumpta, diutius quam pro consueto,  
 “ jejunium tolerare facient: alia item, quibus qui in-  
 “ suescunt, carne fiunt duriore, et solidiore, quam  
 “ antea: tum et robur ipsorum ad motum quemlibet  
 “ augetur et intenditur.

“ Habemus etiam dispensatoria, vel officinas phar-  
 “ macorum: in quibus facile est existimare, cum nos  
 “ tanta copia et varietate plantarum, et animalium, præ  
 “ vobis in Europa, abundamus (etenim satis novimus  
 “ quid apud vos inveniatur) simplicia item, pharmaca,  
 “ et ingredientia ad medicinas, tanto debere esse magis  
 “ varia et multiplicia. Ibi quoque pharmaca habemus  
 “ ætatum diversarum, et fermentationis diuturnæ.  
 “ Quantum vero ad medicinarum præparationes, non  
 “ solum distillationes omnigenas exquisitas, et sepa-  
 “ rationes habemus, præcipue autem per calores lenes,  
 “ et percolationes, per diversa lintea, lanea, ligna, imo  
 “ et substantias solidiores, sed multo magis compo-  
 “ nendi modos excellentes, per quos compositorum  
 “ incorporationem talem assequimur, ut videantur  
 “ ferme simplicia naturalia.

“ Habemus etiam artes complures mechanicas, vo-  
 “ bis incognitas, et materias per eas confectas, veluti  
 “ papyros, lintea, serica, textilia, consuta ex plumis  
 “ elegantissime splendoris mirabilis, tincturas et in-  
 “ fectiones colorum pulcherrimas, et alia complura.  
 “ Quin et officinas etiam aliquarum artium prædicta-  
 “ rum, tam earum, quæ in usum communem receptæ  
 “ non sunt, quam earum quæ sunt. Etenim scire  
 “ debes ex iis quæ jam recensui, complura per uni-  
 “ versum regnum in usu esse, quamvis, si ab inven-  
 “ tione nostra fluxerint, eorum quandoque exemplaria,  
 “ tanquam primigenia, et optime elaborata, in domo  
 “ nostra retinemus.

“ Habemus etiam fornaces valde diversas, quæque  
 “ gradus calorum diversos exhibent et servant, caloris  
 “ scilicet acris et celeris, robusti et pertinacis, lenis et  
 “ moderati, sufflati, tranquilli, humidi, sicci, et simi-  
 “ lium. Sed ante omnia calores ministramus ad imita-  
 “ tionem caloris solis, et cælestium, qui pertranseunt

“ inæqualitates multiplices, et veluti orbes, progressus;  
“ et periodos, per quas opera mirabilia educimus.  
“ Necnon habemus imitationes caloris firmorum; et  
“ ventrium animalium, atque sanguinis et corporum  
“ ipsorum: fœnorum, et herbarum dum humidæ sunt  
“ congestarum et conclusarum; calcium vivarum, et  
“ rerum aliarum. Item habemus instrumenta, quæ  
“ calorem excitant per motum tantum: atque insuper  
“ loca ad insolationes fortes, et rursus loca subter-  
“ ranea, quæ vel natura, vel arte, calores excitant.  
“ Hos calores diversos exhibemus, prout natura ope-  
“ rationis, quam designamus, postulat.

“ Habemus etiam domus perspectivas, ubi experi-  
“ menta exhibemus omnium luminum, et radiationum;  
“ omnium quoque colorum; atque ex corporibus dia-  
“ phanis et incolaratis repræsentamus colores singulos,  
“ non in forma iridum gliscentes (ut fit in gemmis, et  
“ prismatibus) sed per se, simplices et constantes. Præ-  
“ terea exhibemus omnem radiorum multiplicationem,  
“ adeo ut lumen ejaculemur ad distantias magnas;  
“ illique eam virtutem, et fortitudinem indimus, ut  
“ per hujusmodi lumen cerni possint lineæ et puncta  
“ tenuissima. Exhibemus omne genus luminum tin-  
“ ctorum, et coloratorum, atque omnes elusiones et  
“ deceptiones visus, in figuris, magnitudinibus, moti-  
“ bus, coloribus; omnes demonstrationes umbrarum,  
“ et imaginum in aëre volitantium. Invenimus, quo-  
“ que media complura, apud vos ignota, luminis ori-  
“ ginalis producendi ex diversis corporibus. Rursus,  
“ artificia invenimus, per quæ objecta valde remota in  
“ oculos incurrant, veluti, in cælo, et aliis locis remo-  
“ tis. Imo etiam quæ prope sunt tanquam ex longin-  
“ quo ostendimus, et quæ ex longinquo tanquam prope,  
“ fictas ad libitum exhibentes distantias. Præterea  
“ habemus oculorum adminicula, quæ bis-oculis ves-  
“ tris, et speculis, usu longe præstant. Habemus  
“ etiam artificia, et perspicilla, quibus corpora minuta  
“ et pusilla distincte et perfecte cernimus; veluti  
“ membra, et colores, muscarum exiguarum, et ver-  
“ mium; grana et glacies in gemmis alias non visibi-

“ les ; plurima in urinis, et sanguine, alias item non  
 “ visibilia. Porro exhibemus artificiales irides, ha-  
 “ lones, circulos, vibrationes, et trepidationes luminis.  
 “ Denique exhibemus omnes modos reflexionis, re-  
 “ fractionis, et conduplicationis objectorum.

“ Habemus etiam gemmas omnium generum, mul-  
 “ tasque earum pulcherrimas, et vobis incognitas: item  
 “ chrystalla, et vitra diversorum generum, inter ea  
 “ autem quædam ex metallis vitrificatis, et nonnullis  
 “ materiis aliis præter eas, ex quibus apud nos vitra  
 “ conficiuntur. Tum complura etiam fossilia, quæ  
 “ vos non habetis. Magnetes item virtutis prodi-  
 “ giosæ, et lapides alios raros, tam naturales, quam  
 “ artificiales.

“ Habemus etiam domos sonorum, ubi experimur et  
 “ demonstramus sonos omnes, eorumque generationes:  
 “ Habemus harmonias, quæ apud vos in usu non sunt,  
 “ miscentes non tantum beta illud acutum et molle, ut  
 “ vos, sed quadrantes sonorum, et sonos et tremulos ali-  
 “ quos dulcissimos. Habemus instrumenta complura  
 “ musica, quæ vobis nondum innotuerunt, aliqua eo-  
 “ rum melodiam exhibentia suaviorem, quam vestra.  
 “ Campanas quoque et tintinnabula soni jucundissimi.  
 “ Exhibemus sonos exiles tanquam magnos: et graves  
 “ similiter tanquam extenuatos, et acutos. Dein fin-  
 “ gimus trepidationes plurimas ex sonis, qui in ortu  
 “ suo primo integri sunt. Exhibemus atque imitamur  
 “ sonos omnes articulatos, et literas, item voces, et  
 “ cantus, quadrupedum, et avium. Habemus quoque  
 “ adminicula auditus, quæ, auribus apposita, majorem  
 “ in modum sensum ipsum, et sonorum delationem,  
 “ promovent. Habemus vocum reflexiones (quas echo  
 “ dicitis) complures mirabiles, et artificiales, vocem  
 “ non tantum multipliciter reperiunt et jactantes,  
 “ sed earum alias vocem augentes, alias extenuantes:  
 “ nonnullas autem earum vocem articulatam reddent-  
 “ tes differentem ab originali. Habemus, ultimo, mo-  
 “ dos deferendi sonos in tubis, et concavis aliis, ad  
 “ magnam distantiam, atque in lineis tortuosis.

“ Habemus etiam domus suffituum et odorum, ubi

“ et experimenta saporum adjungimus. Odores ibi  
 “ (quod mirum videri possit) multiplicamus et fortifi-  
 “ camus. Imitamur odores naturales, efficientes ut  
 “ odores omnigeni ex aliis mixturis exspirent, quam ex  
 “ genuinis. Similiter etiam sapes imitamur, ita ut  
 “ gustum, quamvis accuratum, plane fallant. In domo  
 “ hac continetur insuper confectionarium, ubi confi-  
 “ cimus bellaria, placentas, et hujusmodi alia, tam  
 “ humida, quam sicca: imo et condimus ea cum rebus  
 “ aliis dulcibus gratissimis, præter saccharum, et mel.  
 “ Vina ibi conficimus jucundissima, lacticinia, jura,  
 “ salsamenta, et acetaria, grata certa ad gustum, et  
 “ vobis minime in usu.

“ Habemus etiam domus machinarum, ubi præsto  
 “ sunt machinæ, et organa, ad omnia genera motuum.  
 “ Ibi tentamus celeriores educere motus, quam apud  
 “ vos ullos habetis, sive ex sclopetis vestris minoribus,  
 “ sive alia quacunque machina. Tentamus item motus  
 “ reddere faciliores, et intensiores, eos multiplicando  
 “ per rotas, et modos alios. Tum motus educimus  
 “ fortiores et potentiores, quam vos habetis, in majori-  
 “ bus vestris bombardis, et basiliscis quibuscunque.  
 “ Exhibemus tormenta bellica, et machinas, omnis  
 “ generis: novas mixturas pulveris pyrii: ignes Græcos  
 “ in aqua ardentes, et inextinguibiles: ignes missiles  
 “ in omni varietate, tam ad voluptatem, quam ad usum.  
 “ Imitamur ibi avium volatus; gradus quosdam habe-  
 “ mus et commoditates vecturæ per aërem, instar ani-  
 “ malium alatorum. Naves habemus, et scaphas, quæ  
 “ subter aquas navigare possint, et pelagi furores melius  
 “ perferre: cingula etiam ad natandum, et suffulci-  
 “ menta. Habemus horologia complura exquisita, et  
 “ alios motus aëris et aquarum, in orbem, et per vices,  
 “ revertentes; item motus nonnullos perpetuos. Imi-  
 “ tamur motus animalium in simulachris eorum: veluti  
 “ in simulachris hominum, quadrupedum, avium, pis-  
 “ cium, et serpentum. Alios denique habemus motus,  
 “ æqualitate insignes, et subtilitate.

“ Habemus etiam domum mathematicam, ubi in  
 “ strumenta omnia, tam geometrica, quam astrono-  
 “ mica, exquisitissima repræsentantur.

“ Habemus etiam domum præstigiarii, ubi omni  
 “ modas præstigias, imposturas, et illusiones, et earum  
 “ fallacias, exhibemus. Facile autem credetis, nos,  
 “ qui tot habemus vere naturalia, quæ admirationem  
 “ moveant, posse etiam infinita hominum sensibus im-  
 “ ponere; si ea in miraculum ornare, et exaltare vel-  
 “ lemus. Verum nos omnem imposturam, et menda-  
 “ cium, odio habemus. Quinetiam sociis omnibus  
 “ domus nostræ, sub pœna ignominia et mulctæ, se-  
 “ vere interdiximus, ne quid ex naturalibus, artificioso  
 “ apparatus ementitum ostentent; sed purum solum, et  
 “ ab omni fuco, et affectatione miraculi, immune.

“ Atque hæ sunt (fili) domus Salomonis divitiæ.

“ QUANTUM ad functiones et munera sociorum nos-  
 “ trorum; duodecim habemus, qui in regiones externas  
 “ navigant, sub aliarum nationum nomine (nostram  
 “ enim terram non revelamus) qui libros, materias, et  
 “ exemplaria experimentorum ad nos perferunt. Hos  
 “ Mercatores lucis vocamus.

“ Tres habemus, qui experimenta, quæcunque in  
 “ libris inveniuntur, colligunt. Hos Deprædatores vo-  
 “ camus.

“ Tres habemus, qui experimenta artium omnium  
 “ mechanicarum; atque etiam scientiarum liberalium,  
 “ insuper et practicarum omnium, quæ in artem non  
 “ coaluerunt, colligunt. Hos Venatores appellamus.

“ Tres habemus, qui ad nova experimenta se accin-  
 “ gunt, prout ipsis expedire visum fuerit. Hos Fos-  
 “ sores, sive Operatores in mineris, vocamus.

“ Tres habemus, qui experimenta reliquorum su-  
 “ pradiectorum in titulos, et tabulas, digerunt, ut in-  
 “ tellectus in ea melius agere possit, ad eliciendas  
 “ ex iis observationes, ex axiomata. Hos Divisores vo-  
 “ camus.

“ Tres habemus, qui ad hoc ordinantur, ut in ex-  
 “ perimenta sociorum suorum introspeciant, et ex iis  
 “ extrahant, et comminiscantur inventa, quæ ad usum  
 “ vitæ, et practicam spectent, nec non quæ inserviant  
 “ scientiis, non solum quoad opera, sed etiam ad li-  
 “ quidas causarum demonstrationes, modos eliciendi  
 “ naturales divinationes, atque facilem et manifestam



“ informationem, quæ sint in corporibus singulis partes  
 “ latentes, quæ virtutes? Hos *Euergetas* appellamus.

“ Tum vero post multos sociorum universorum con-  
 “ ventus et consultationes, qui labores et collectiones  
 “ priores penitus introspiciunt, et quasi ruminantur,  
 “ tres habemus, quibus curæ est ex iis, quæ jam sub  
 “ oculis sunt, nova experimenta, lucis sublimioris,  
 “ atque in naturam altius penetrantia, excitare, et di-  
 “ rigere. Hos *Lampadas* vocamus.

“ Tres habemus, qui experimenta, ita injuncta et  
 “ mandata, re exsequuntur, eorumque successus re-  
 “ ferunt. Hos *Insitores* vocamus.

“ Postremo, tres habemus, qui inventiones et reve-  
 “ lationes priores in natura, per experimenta, in obser-  
 “ vationes majores, axiomata, et aphorismos, erigunt,  
 “ et promovent; quod faciunt nonnisi consultatione et  
 “ colloquio prius habitis cum sociis universis. Hos  
 “ *Interpres naturæ* appellamus.

“ Habemus etiam (ut res ipsa postulat) novitios  
 “ quosdam, et tirones, ut successio hominum, ad experi-  
 “ rimenta et axiomata designatorum, non intercidat;  
 “ præter famulos multos et ministros, tam viros, quam  
 “ mulieres: hoc etiam apud nos in more est, ut accu-  
 “ rate deliberemus, quæ ex inventis et experimentis  
 “ nostris in lucem eductis, evulgari conveniat, quæ  
 “ autem minime. Quinetiam jure-jurando nos omnes  
 “ astringimus ad ea celanda, quæ celari decrevimus:  
 “ etsi nonnulla ex iis, cum consensu, interdum regi,  
 “ aut senatui, revelemus, alia autem omnino intra no-  
 “ titiam nostram cohibemus.

“ QUANTUM ad ordinationes, et ritus nostros: ha-  
 “ bemus porticus duas spatiosas, et pulchras. In  
 “ quarum una ordine collocamus exemplaria vario-  
 “ rum omnium et præstantiorum inventionum; in  
 “ altera autem, statuas inventorum insigniorum. Ibi  
 “ statuam videre est *Columbi vestri*, qui primus In-  
 “ dias occidentales aperuit. Itidem fabricatoris primi  
 “ navium. Item monachi vestri, qui primus tormenta  
 “ invenit ignea, et pulverem pyrium. Item inventoris  
 “ musicæ. Item inventoris literarum. Item inventoris

“ imprimendi typis. Item inventoris phænomenorum  
 “ astronomiæ. Item inventoris operandi in metallis.  
 “ Item inventoris vitri. Item inventoris fili bomby-  
 “ cini. Item inventoris vini. Item inventoris segetum  
 “ et panis. Item inventoris sacchari. Atque inven-  
 “ tores hosce omnes apud nos servamus ex traditione  
 “ magis certa et fideli, quam apud vos habetur. De-  
 “ inde habemus statuas inventorum complurium in-  
 “ signiorum ex nostris, qui res, et opera nobilia inve-  
 “ nerunt: quæ cum ipsi non videritis, descriptiones  
 “ eorum facere nimis longum esset; tum in iisdem  
 “ recte intelligendis proclive erit errare. Etenim in-  
 “ ventori rei cujusque dignioris statuam mox erigimus,  
 “ eique honorarium satis liberale elargimur. Statu-  
 “ arum istarum aliæ ex ære sunt; aliæ ex marmore, et  
 “ lapide lydio; aliæ ex cedro, et aliis lignis quibusdam  
 “ pretiosis, inauratis, et adornatis; ex ferro aliæ; aliæ  
 “ ex argento; quædam ex auro.

“ Habemus etiam hymnos quosdam, et liturgiarum  
 “ formas, quas quotidie cantamus, et recitamus; qui-  
 “ bus laudes, ac jubilæa, et gratiarum actiones reso-  
 “ namus Deo, propter mirabilia opera sua: precum  
 “ item formulas quasdam, quibus auxilium et bene-  
 “ dictionem ejus imploramus, ut labores nostros diri-  
 “ gere et illuminare dignetur, atque in bonos usus et  
 “ sanctos convertere.

“ Postremo, apud nos in usu est præcipuas in regno  
 “ urbes subinde adire, et visitare, in quibus (prout  
 “ occasio se offert) talia inventa utilia revelamus,  
 “ qualia nobis visum fuerit. Prædicimus etiam, an-  
 “ tequam adveniant (id quod ad naturales divinationes  
 “ pertinet) morbos epidemicos, pestes, animalium nox-  
 “ iorum examina, famem, tempestates et procellas,  
 “ terræ-motus, inundationes aquarum, cometas, anni  
 “ temperaturam, et alia: quinetiam consilia super  
 “ rebus hisce damus, et quid populo facere con-  
 “ veniat ad præventiones et remedia hujusmodi ma-  
 “ lorum.”

Cumque hæc dixisset, se in pedes erexit: ego  
 autem et edoctus fueram, in genua procubui, unde

dextram capiti meo imponens, dixit: “Benedicat  
“tibi Deus, fili mi; huic itidem relationi, quam feci,  
“Deus benedicat. Licentiam tibi concedo in bonum  
“gentium aliarum eandem evulgandi; siquidem nos  
“hic in sinu Dei vivimus; natio aliis penitus incog-  
“nita.” Hæc locutus discessit: assignaverat autem  
bis mille circiter aureos, muneris loco, mihi et sociis  
meis numerandos. Largitores enim magni sunt, ubi-  
cunque venerint, etc.

*Reliqua perficere non vacabat.*

## IMAGO CIVILIS

### JULII CÆSARIS.

---

**JULIUS CÆSAR** a principio fortuna exercita usus est, quod ei in bonum vertit; hoc enim illi fastum detraxit, nervos intendit. Animus ei inerat studio et affectu turbidus: judicio et intellectu admodum serenus: hocque indicat facilis illa sui explicatio, tum in rebus gerendis, tum in sermone. Nemo enim, aut celerius decernebat, aut magis perspicue loquebatur: nil impeditum, nil involutum quis notarēt. Voluntate autem et appetitu is erat, qui nunquam partis acquiescebat, sed ad ulteriora semper tendebat: ita tamen ut non immaturo fastidio, sed legitimis spatiis, transitus actionum gubernaret: semper enim perfectissimas clausulas actionibus imponebat. Itaque ille, qui post tot victorias et tantam partam securitatem, reliquias belli civilis in Hispania non contempsit, sed præsens subegit; post extremum illud demum bellum civile confectum, et omnia undique pacata, expeditionem in Parthos continuo moliebatur. Erat proculdubio summa animi magnitudine, sed ea, quæ magis amplitudinem propriam, quam merita in commune, spiraret. Prorsus enim omnia ad se referebat, atque ipse sibi erat fidissimum omnium actionum suarum centrum: quod maximam ei et perpetuam fere felicitatem peperit. Non enim patria, non religio, non officia, non necessitudines, non amicitia, destinata ejus remorabantur, vel in ordinem redigebant. Nec magnopere versus in æternitatem erat; ut qui nec statum rerum stabiliret, nec quicquam egregium, vel mole vel instituto, fundaret vel conderet; sed veluti ad se cuncta retulit. Sic etiam ad sua tempora cogitationum fines recepit. Nominis tantum celebritate frui voluit, quod etiam sua id nonnihil interesse putaret. Ac in propriis certe votis magis poten-

tiæ, quam dignitati, studebat; dignitatem enim et famam non propter se, sed ut instrumenta potentia, colebat. Itaque veluti naturali impetu, non morata aliqua disciplina ductus, rerum potiri volebat; iisque magis uti, quam dignus videri: quod ei apud populum, cui nulla inerat dignitas, gratiosum erat: apud nobiles et proceres, qui et suam dignitatem retinere volebant, id obtinuit nomen, ut cupidus et audax videretur. Neque multum sane a vero aberrarunt, cum natura audacissimus esset, nec verecundiam unquam, nisi ex composito, indueret. Atque nihilo secius ita ista efficta erat audacia, ut eum nec temeritatis argueret, nec fastidio homines enecaret, nec naturam ejus suspectam faceret; sed ex morum simplicitate quadam et fiducia, ac nobilitate generis, ortum habuisse putaretur: atque in cæteris quoque rebus omnibus id obtinuit, ut minime callidus aut veterator haberetur, sed apertus et verax. Cumque summus simulationis et dissimulationis artifex esset, totusque ex artibus compositus, ut nihil naturæ suæ reliquum esset, nisi quod ars probavisset; tamen nil artificii, nil affectationis appareret, sed natura et ingenio suo frui, eaque sequi existimaretur. Neque tamen minoribus et vilioribus artificiis et cautelis omnino obnoxius erat, quibus homines rerum imperiti, et qui non propriis viribus, sed alienis facultatibus subnixi, ad auctoritatem suam tuendam uti necesse habent; utpote qui omnium actionum humanarum peritissimus esset, atque cuncta paulo majora ipse per se, non per alios transigeret. Invidiam autem extinguere optime norat; idque vel dignitatis jactura consequi non alienum a rationibus suis duxit; veramque potentiam amplexus, omnem illam inanem speciem et tumidum apparatus potentia, æquo animo, per totum fere vitæ cursum, declinavit et transmisit: donec tandem, sive satiatus potentia, sive adulationibus corruptus, etiam insignia potentia, nomen regium et diadema, concupivit; quod in perniciem ejus vertit. Regnare autem jam usque a juventute meditatus est; idque ei exemplum Syllæ, affinitas Marii, æmulatio Pompeii, corruptelæ et perturbatio temporum facile suggerebant. Viam autem sibi ad regnum mirò ordine

sternebat: primum per potentiam popularem et seditiosam, deinde per potentiam militarem et imperatoriam. Nam initio sibi erant frangendæ senatus opes et auctoritas, qua salva nemini ad immodica et extraordinaria imperia aditus erat. Tum demum evertenda erat Crassi et Pompeii potentia, quod nisi armis fieri non poterat. Itaque (ut faber fortunæ suæ peritissimus) primam structuram per largitiones, per iudiciorum corruptelas, per renovationem memoriæ C. Marii, et partium ejus (cum plerique senatorum et nobilium e Syllana factione essent) per leges agrarias, per seditiosos tribunos quos immittebat, per Catilinæ et conjuratorum insanias, quibus occulto favebat, per exilium Ciceronis, in cujus causa senatus auctoritas vertebatur, ac complures hujusmodi artes, attollebat et evehebat: sed maxime omnium per Crassi et Pompeii et inter se et secum conjunctionem solvebat. Qua parte absoluta, ad alteram continuo partem accingebatur, factus proconsul Galliarum in quinquennium, rursusque in alterum quinquennium: atque armis, legionibus, et bellicosa et opulenta provincia potens et Italiæ imminens. Neque enim eum latebat, postquam se armis et militari potentia firmasset, nec Crassum nec Pompeium sibi parem futurum; cum alter divitiis, alter famæ et nomini confideret; alter ætate, alter auctoritate senesceret; neuter veris et vigentibus præsiidiis niteretur. Quæ omnia ei ex voto cessere; præsertim cum ipse singulos senatores et magistratus, et denique omnes, qui aliquid poterant, ita privatis beneficiis devinctos et obstrictos haberet, ut securus esset de aliqua conspiratione vel consensu adversus suos conatus ineundis, antequam aperte rempublicam invaderet. Quod cum et semper destinasset, et aliquando tandem faceret, tamen personam suam non deponebat; sed ita se gerebat, ut æquitate postulatorum, et simulatione pacis, et successibus suis moderandis, invidiam in adversas partes torqueret; seque incolumitatis suæ gratia ad bellum necessarium coactum præ se ferret. Cujus simulationis vanitas manifesto deprehensa est, postquam, confectis bellis civilibus, regiam potestatem adeptus, omnibusque æmulis, qui aliquam ei solitudinem injicere possent, e medio

sublatis, tamen de reddenda republica ne semel quidem cogitavit, neque hoc saltem fingere aut prætexere dignaretur. Quod liquido declarat cupiditatem et propositum regni adipiscendi ei et semper fuisse, et ad extremum patuisse. Neque enim occasionem aliquam arripuit, sed ipse occasiones excitavit et efformavit. In bellicis autem rebus maxime ejus virtus enituit, quæ tantum valuit, ut exercitum non tantum duceret, sed et effingeret. Neque enim major ei scientia affuit in rebus gerendis, quam in animis tractandis: neque id vulgari aliqua disciplina, quæ obsequium assuefaceret ad mandata, aut pudorem incuteret, aut severitatem usurparet; sed quæ miris modis ardorem et alacritatem adderet, et victoriam fere præriperet: quæque militem erga ipsum plus conciliaret, quam liberæ reipublicæ conducebat. Cum autem in omni genere belli versatus esset, cumque artes civiles cum bellicis conjungeret, nil tam improvisum ei accidebat, ad quod remedium paratum non haberet; et nil tam adversum, ex quo non utilitatem aliquam derivaret. Personæ autem suæ debitas partes attribuit; ut qui sedens in prætorio in magnis præliis omnia per nuncios administraret. Ex quo duplicem fructum capiebat: ut et in discrimen rarius se committeret, atque ut cum res inclinare cœpissent, prælium per ipsius præsentiam, veluti nova auxilia, instauraretur. In omni autem apparatu et conatu bellico non tantum ad exempla res gerebat, sed nova et accommodata summa ratione comminiscèbatur. Amicitias satis constanter et singulari cum beneficentia et indulgentia coluit. Amicorum tamen hujusmodi delectum fecit, ut facile appareret, eum inquirere ut instrumenti, non impedimenti, loco amicitia eorum esset. Cum autem et natura et instituto ferretur ad hoc, ut non eminens inter magnos, sed imperans inter obsequentes esset, amicos sibi adjunxit humiles, sed industrios, quibus ipse omnia esset. Hinc illud, *Ita vivente Cæsare moriar*; et cætera id genus. Nobilium autem et æqualium suorum amicitias ex usu suo ascisebat: ex intimis autem neminem fere admittebat, nisi qui ex se omnia speraret. Quin et literis et doctrina mediocriter ex-

cultus fuit, sed ea, quæ ad civilem usum aliquid conferret. Nam et in historia versatus erat, et verborum pondera et acumina mire callebat; et cum multa felicitati suæ tribueret, peritus astrorum videri voluit. Eloquentia autem ei nativa et pura erat. In voluptates propensus ac effusus erat, quod ei apud initia sua loco simulationis erat: nemo enim periculum ab hujusmodi ingenio metuebat: voluptates autem suas ita moderabatur, ut nihil utilitati aut negotiorum summæ officerent, et animo potius vigorem, quam languorem, tribuerent. In mensa sobrius, circa libidines incuriosus, in ludis lætus et magnificus. Talis cum esset, id ad extremum ei exitio fuit, quod ad principia sua incremento fuerat; id est, studium popularitatis. Nil enim tam populare est, quam ignoscere inimicis: qua, sive virtute, sive arte, ille periit.

---

## IMAGO CIVILIS AUGUSTI CÆSARIS.

---

**AUGUSTO CÆSARI**, si cui mortalium, magnitudo animi inerat inturbida, serena, et ordinata: idque indicant res illæ omnium maximæ, quas ab ineunte adolescentia gessit. Nam qui ingenio commotiores sunt, ii fere adolescentias per varios errores transigunt, ac sub mediam ætatem demum se ostendunt: quibus autem natura est composita et placida, ii prima etiam ætate florere possunt. Atque cum animi dotes, sicut et bona corporis, sanitate quadam, pulchritudine, et viribus contineantur et absolvantur, fuit certe avunculo Julio viribus animi impar, pulchritudine et sanitate superior. Ille enim inquietus et incompositus (ut sunt fere ii qui comitali morbo tentantur) se ad fines suos nihilominus summa ratione expediebat; sed ipsos fines minime ordinaverat, sed impetu infinito, et ultra mor-



tale appetens, ferebatur ad ulteriora: hic autem sobrius, et mortalitatis memor, etiam fines suos ordine admirabili descriptos et libratos habuisse visus est. Primum enim, rerum potiri volebat; deinde, id assequi, ut dignus eo fastigio existimaretur: dein etiam frui summa fortuna humanum esse ducebat: ad extremum, addere se rebus, et imaginem et virtutem sui principatus seculis post se futuris imprimere et inferre meditabatur. Itaque prima ætate potentiæ, media dignitati, vergente voluptatibus, senectute memoriæ et posteritati, serviebat.

IN  
FELICEM MEMORIAM  
E L I Z A B E T H Æ  
ANGLIÆ REGINÆ.

---

ELIZABETHA et natura et fortuna mirabilis inter fœminas, memorabilis inter principes, fuit. Neque hæc res indicium monachi alicujus aut hujusmodi censoris umbratilis desiderat: nam isti homines, stylo acres, judicio impares, et partis suæ memores, rerum minus fideles testes sunt. Ad principes viros pertinet hæc cognitio, atque ad eos, qui imperiorum gubernacula tractarunt, et rerum civilium ardua, et arcana norunt. Rarum in omni est memoria muliebri imperium: rarior in eo felicitas; rarissima cum felicitate diuturnitas. Illa vero quadragesimum quartum regni sui annum complevit; neque tamen felicitati suæ superstes fuit. De hac felicitate pauca dicere institui, neque in laudes excurrere: nam laudem homines tribuunt, felicitatem Deus.

Primum in parte felicitatis pono, quod ad imperatorum fastigium a privata fortuna evecta sit. Siquidem hoc in moribus et opinionibus hominum penitus inssedit, ut quæ præter spem et expectationem eveniunt, majori felicitati deputentur. Sed non hoc est quod volo; illud intueor, principes, qui in domo regnatrice, et ad spem successionis non dubiam nutriti sunt, ab educationis indulgentia et licentia depravatos, plerumque et minus capaces et minus moderatos evadere. Itaque optimos et excellentissimos reges reperias, quos utraque fortuna erudit: talis apud nos fuit Henricus septimus, et apud Gallos Ludovicus duodecimus; qui recenti memoria, et eodem fere tempore, non tantum a privata, sed etiam

ab adversa et exercita fortuna, regnum accepere, atque (ille prudentia, hic justitia) florere. Similis fuit et hujusce principis ratio; cujus initia et spes variavit fortuna, ut in principatu ad extremum erga illam constans et æquabilis esset. Nam Elizabetha natalibus suis successioni destinata, deinde exhæredata, tum posthabita fuit; eadem, regno fratris, fortuna magis propitia et serena, regno sororis magis turbida et ancipiti usa est. Neque tamen ex vinculis subito in regnum assumpta est, ut ab infortunio exacerbata intumesceret; sed libertati restituta, et exspectatione aucta, tum demum regnum, sine tumultu aut competitore, placide et felicissime obtinuit. Atque hæc ideo adducimus, ut appareat, divinam providentiam, optimam principem meditatam, per istiusmodi disciplinæ gradus eam præparasse et extulisse. Neque sane natalium dignitati calamitas matris obesse debet; cum præsertim satis constet, Henricum octavum prius amoris novo, quam iræ adversus Annam, indulgisse; ejusque regis natura et ad amores, et ad suspiciones propensissima, et in iisdem usque ad sanguinem præceps, posteritatis notam non effugiat. Adde, quod criminatione, vel personæ ipsius, ad quem referebatur, nomine, minus probabili et tenuissimis conjecturis innixa, circumventa erat; quod et fama, etiam tum, occulto, ut solet, murmure excepit, et Anna ipsa, celso animo et memorabili voce, sub tempus mortis suæ protestata est: nacta enim nuncium (ut existimabat) et fidum et benevolum, eadem hora, qua ad mortem se parabat, hujusmodi mandata ad regem perferenda dedit: “regem in ipsa novis honoribus cumulanda institutum suum optime servare et perpetuo tueri; cum illam primum, generosa stirpe ortam, sed nobilitatis titulis non insignitam, dignitate marchionissæ ornasset, deinde in regni et thori consortium accipisset; et postremo, quia non restabat terreni honoris gradus altior, innocentem ad coronam martyrii evehere voluisset.” Atqui nuncius ille ad regem, alio amore flagrantem, hoc perferre non ausus est; sed fama, veritatis vindex, ad posteros pertulit.

Atque non exigua pars felicitatis Elizabethæ, etiam mensura, ac veluti curriculum ipsum regiminis sui nobis

visum est: non tantum quia diuturnam, sed quia spatium illud ætatis suæ occupavit, quod rerum moderamini, et habenis regni flectendis et moliendis, aptissimum esset. Annos enim viginti quinque (qua ætate curatura finitur) nata, cum regnare inciperet, ad septuagesimum ætatis annum imperium produxit. Itaque, nec pupillæ detrimenta et aliena arbitria; nec rursus exactæ et ægræ senectutis incommoda experta est. Senectus autem, etiam privatis, miseriarum satis; sed regibus, præter communia ætatis mala, adhuc status sui declinationes et inglorios exitus afferre solet. Nemo enim fere in regno ad multam et invalidam senectutem pertingit, quin aliquam imperii et existimationis diminutionem patiatur: cujus rei exemplum maxime eminent in Philippo secundo rege Hispaniarum, principe potentissimo et imperandi peritissimo; qui extremis suis temporibus, et fessa ætate, hoc quod diximus penitus sensit: ideoque prudentissimo consilio se rerum conditioni submitit, territoriis in Galliis acquisitis se ipse mulctavit, pacem ibidem firmavit, alibi tentavit ut res compositas atque integra omnia posteris relinqueret. Contra, Elizabethæ fortuna tam constans et valida fuit, ut nec ulla rerum declinatio vergentem certe, sed tamen adhuc vigentem, ætatem sequeretur: atque insuper, in signum felicitatis suæ certissimum, non prius diem obierit, quam de defectione in Hibernia prospero prælii eventu decretum esset; ne gloria ejus aliqua ex parte deformata et imperfecta videretur. Et etiam illud cogitandum censeo, in quali populo imperium tenuerit: si enim in Palmyrenis, aut Asia imbelli et molli regnum sortita esset, minus mirandum fuisset; cum effæminato populo fœmina princeps competeret: verum in Anglia, natione ferocissima et bellicosissima, omnia ex nutu fœminæ moveri et cohiberi potuisse, summam merito admirationem habet.

Neque hæc inclinatio populi sui, belli cupida, et pacem ægre tolerans, obfuit, quo minus perpetuis suis temporibus pacem coleret et teneret. Atque hanc ejus voluntatem cum successu conjunctam inter maximas ejus laudes pono. Hoc enim ætati suæ felix, hoc sexui decorum, hoc conscientiæ salutare fuit. Tentata

paulisper circa decimum regni sui annum in partibus borealibus rerum commotio, sed statim sopita et extincta est. Reliqui anni interna pace, eaque segura atque alta, florere. Pacem autem florentissimam judico, duabus de causis; quæ ad meritum pacis nihil faciunt, ad gloriam maxime: una, quod vicinorum calamitatibus, veluti flammis lucentibus, magis fiebat conspicua et illustrata: altera, quod commodis pacis armorum honor non defuit; cum celebritatem nominis Anglici in armis et re militari per multa decora non solum retineret, sed etiam augetet. Nam et auxilia in Belgium, Galliam, et Scotiam missa; et navales expeditiones susceptæ in Indias; atque ex illis nonnullæ per universi globi terrarum ambitum factæ; et classes in Lusitaniam, et ad oras Hispaniæ infestandas submissæ; et rebelles in Hibernia sæpius concisi et domiti, nihil aut de virtute bellica gentis nostræ remitti, aut de ejusdem fama et honore deperire, sinebant.

Aderat etiam gloriæ meritum, quod et regibus vicinis tempestivis ab ipsa auxiliis regnum conservatum sit; et populis supplicibus, pessimo principum consilio ministrorum suorum crudelitati, et plebis furori, et omni laniæ et vastitati relictis et fere devotis, levamentum malorum datum est; per quod res eorum adhuc steteret. Nec minus consiliis, quam auxiliis, benefica et salutaris princeps fuit: ut quæ regem Hispaniarum toties de lenienda in subditos suos in Belgio ira, et illis suo imperio sub tolerabili aliqua conditione restituendis, interpellavit: et reges Galliæ perpetuis et repetitis monitis de edictis suis, pacem spondentibus, observandis, maxima fide sollicitavit. Non negaverim consilio ejus successum defuisse: neque enim prius illud sivit fatum Europæ commune; ne forte ambitio Hispaniæ, veluti carceribus liberata, in regnorum et rerumpublicarum orbis Christiani detrimentum (ut tunc res erant) se effunderet: hoc etiam posterius non sivit sanguis tot innocentium, cum uxoribus et liberis, ad focos et cubilia sua per infimam plebis faciem, ut belluas quasdam publica auctoritate et animatas, et armatas, et missas, effusus; qui ut regnum, tam nefario scelere obligatum, mutuis cædibus et con-

trucidationibus expiaretur, in ultionem poscebat. Illa tamen utcunque officium fœderatæ et prudentis, et benevolæ, præstitit.

Alia etiam subest causa, cur pacem ab Elizabetha cultam et conservatam admiremur: ea nimirum, quod non a temporum inclinatione, sed ab ejus prudentia et rebus bene ordinatis, pax ista profecta sit. Nam cum et interna factione ob causam religionis laboraret, et hujus regni robur et præsidium universæ Europæ instar propugnaculi esset adversus regis Hispaniæ illis temporibus formidabilem et exundantem ambitionem et potentiam, belli materia non defuit; verum ipsa et copiis et consiliis superfuit. Istud eventus docuit maxime memorabilis inter res gestas nostri seculi universas, si felicitatem spectes. Nam cum classis Hispanica, tanto rerum tumore et totius Europæ terrore et exspectatione, et tanta victoriæ fiducia, freta nostra sulcaret, nec naviculam aliquam in mari accepit, nec villulam aliquam incendio vastavit, nec littus omnino attigit: sed prælio fusa, misera fuga et crebris naufragiis dissipata est, atque pax Anglico solo et finibus immota, et inconcussa mansit.

Nec minus felix in conjuratorum insidiis devitandis, quam in copiis hostilibus devincendis et propulsandis, fuit: non paucæ enim contra vitam ejus conspirationes factæ felicissime et patefactæ et disturbatæ sunt: neque ex eo vita ejus magis trepida aut anxia; non stipatorum numerus auctus; non tempus intra palatium actum et rarus in publicum processus; sed segura et fidens, et, potius liberationis a periculo, quam periculi ipsius memor, nihil de consuetudine sua pristina vivendi mutavit.

Etiam illud notatu dignum videtur, qualia tempora fuerint in quibus floruit. Sunt enim quædam secula tam barbara et rerum nescia, ut homines, tanquam animalium greges, imperio coërcere nil magnum fuerit. Hæc autem princeps in tempora eruditissima et excultissima incidit; in quibus eminere et excellere non absque maximis ingenii dotibus et singulari virtutis temperamento dabatur. Etiam imperia fœminarum nuptiis fere obscurantur, laudesque et acta in maritos transeunt:

illis autem, quæ innuptæ degunt, propria et integra gloria manet. In illam vero hoc magis cadit, quod nullis imperii adminiculis, nisi quæ ipsa sibi comparaverat, fulciebatur: non frater uterinus aderat, non patruus, non alius quispiam familia et stirpe regia, qui particeps ei curarum et dominationis subsidium esset. Sed et eos, quos ipsa ad honores evexerat, ita et cohibuit, et commiscuit, ut singulis maximam complacendi sollicitudinem injiceret; atque ipsa semper sui juris esset. Orba sane fuit, nec stirpem ex se reliquit: quod etiam felicissimis contigit, Alexandro Magno, Julio Cæsari, Trajano, aliis: et semper varie jactatum, et in contrarias partes trahi et disputari solet; cum alii hoc in diminutionem felicitatis accipiant, ne forte homines supra mortalem conditionem bearentur, si et in individuo, et in speciei propagatione, felices essent; alii autem in cumulum felicitatis rem vertant, quod ea demum felicitas completa videatur, in quam fortunæ nil amplius liceat; quod, si posteri sint, fieri non potest.

Aderant ei et externa; statura procera; corporis decora compages; summa dignitas oris cum suavitate; valetudo maxime prospera. Superest et illud, quod, ad extremum valens et vicens, nec fortunæ commutationes nec senectutis mala experta, eam, quam tantopere sibi votis precari solebat Augustus Cæsar, euthanasiam facili et leni obitu sortita sit. Quod etiam de Antonino Pio, imperatore optimo, celebratur; cujus mors somni alicujus suavis et placidi imaginem habebat. Similiter et in Elizabethæ morbo nil atrox, nil ominosum, nil ab humana natura alienum erat. Non desiderio vitæ, non morbi impatientia, non doloris cruciatibus torquebatur: nullum aderat symptoma dirum aut fœdum; sed omnia ejus generis erant, ut naturæ fragilitatem potius, quam corruptionem aut dedecus, ostenderent. Paucos enim ante obitum dies, ex corporis nimia siccitate, et curis, quæ regni culmen sequuntur, attenuata, nec unquam mero aut uberiore diætâ irrigata, nervorum rigore percussa, vocem tamen (quod fieri non solet in ejusmodi morbo) et mentem, et motum, licet tardiozem et hebe-

tiorem, retinuit. Atque is personæ ejus status paucis diebus tantum duravit; ut non tanquam actus vitæ novissimus, sed tanquam primus gradus ad mortem fuerit: nam imminutis facultatibus in vita diu manere, miserum habetur; sed a sensu paulatim sopito ad mortem properare, placida et clemens vitæ clausula est.

Addo et illud in felicitatis ejus cumulum insignem; quod non tantum nomine proprio, sed et ministrorum status virtute, felicissima fuit.

Tales enim viros nacta est, quales fortasse hæc insula ante eum diem non peperit. Deus autem, regibus favens, etiam spiritus ministrorum excitat et ornat.

Restant felicitates posthumæ duæ, iis quæ vivam comitabantur fere celsiores et augustiores: una successoris, altera memoriæ. Nam successorem sortita est eum, qui licet et mascula virtute et prole, et nova imperii accessione fastigium ejus excedat et obumbret; tamen et nomini et honoribus ejus faveat, et actis ejus quandam perpetuitatem donet: cum nec ex personarum delectu, nec ex institutorum ordine, quicquam magnopere mutaverit; adeo ut raro filius parenti, tanto silentio, atque tam exigua mutatione et perturbatione successerit. Memoria autem ejus, ita et in ore hominum, et in animis viget, ut, per mortem extincta invidia, atque incensa fama, felicitas memoriæ cum felicitate vitæ quodammodo certet. Nam si qua ex studio partium et dissenensione religionis vagatur fama factiosa (quæ tamen ipsa jam timida videtur, et consensu victa) ea et sincera non est, et perennis esse non potest. Atque ob eam causam præcipue hæc, qualia sunt, de felicitate ejus et divini favoris notis, collegi; ut malevolus aliquis tantis Dei benedictionibus suas maledictiones inserere vereatur. Si quis autem ad hæc, ut ille ad Cæsarem, *Quæ miremur, habemus: sed quæ laudemus, expectamus*: sane existimo veram admirationem quandam laudis excessum esse. Neque ea, quam descripsimus, felicitas ulli evenire potest, nisi qui et a divina gratia eximie sustineatur atque foveatur; ac etiam moribus et virtute hanc fortunam sibi aliqua ex parte finxerit. Sed tamen visum est pauca admodum, quæ



ad mores pertinent, adjungere, in iis solummodo, quæ iniquorum sermonibus maxime aditum et fomitem præbere videntur.

Fuit Elizabetha, in religione pia et moderata; et constans, ac novitatis inimica. Atque pietatis indicia, licet in factis et rebus, quas gessit, maxime elucescant; tamen et in vitæ ratione et consuetudine familiari adumbrata sunt. Liturgiis et divinis officiis, aut sacello solenniore, aut interiore raro abfuit. In Scripturis et patrum scriptis (præcipue beati Augustini) legendis, multum versata est. Preces quasdam ipsa ex occasione et re nata composuit. In Dei mentionem vel communi sermone incidens, fere semper Creatoris nomen addidit; et oculos et vultum ad humilitatem et reverentiam quandam composuit, quod et ipse sæpe notavi. Quod autem quidam vulgaverunt, eam minime mortalitatis memorem fuisse, adeo ut nec de senectute, nec de morte, mentionem æquo animo ferret, id falsissimum fuit; cum ipsa sæpissime, multis ante mortem annis, magna comitate, se vetulam diceret; et de inscriptione sepulchri, quid sibi maxime placeret, sermones haberet; cum diceret, sibi gloriam et splendidos titulos minime cordi esse; sed lineam memoriæ unam aut alteram, quæ nomen ejus tantum, et virginitatem, et tempus regni, et religionis instaurationem, et pacis conservationem, brevi verborum compendio, significaret. Verum est, cum, ætate florenti et liberis procreandis habili, de successore declarando interPELLARETUR, respondisse, *Se linteum sepulchrale sibi vivæ ante oculos obtendi nullò modo passuram*. Attamen, non multis ante mortem annis, cum cogitabunda esset, ac, ut verisimile est, de mortalitate sua meditareTUR, ut quidam ex intimis sermonem intulisset, quod munera, et loca multa et magna in republica nimium diu vacarent, commotior et assurgens, *Se certo scire suum locum ne tantillum temporis vacaturum*, dixit.

Quod ad moderationem in religione attinet, hæere videbimur, propter legum in subditos religionis pontificiæ latarum severitatem; sed ea proferemus, quæ nobis et certo nota et diligenter notata sunt. Certissimum est, hunc fuisse istius principis animi sensum, ut

vim conscientiis adhibere nollet; sed rursus, statum regni sui prætextu conscientiæ et religionis in discrimen venire non permetteret. Ex hoc fonte, primum duarum religionum libertatem et tolerationem auctoritate publica in populo animoso et feroce, et ab animorum contentione ad manus et arma facile veniente, admittere, certissimam perniciem judicavit. Etiam in novitate regni, cum omnia suspecta essent, ex præsulibus ecclesiæ quosdam magis turbidi et factiosi ingenii, auctoritate legis accedente, sub custodia libera habuit: reliquis utriusque ordinis, non acri aliqua inquisitione molesta, sed benigna conniventia, præsidio fuit. Hic primus rerum status. Neque de hac clementia, licet excommunicatione Pii quinti provocata (quæ et indignationem addere, et occasionem præbere novi instituti potuit) quicquam fere mutavit; sed natura sua uti perseveravit. Nam, prudentissima fœmina et magnanima, hujusmodi terrorum sonitu nil admodum commota est; secura de populi sui fide et amore, et de factionis pontificiæ intra regnum ad nocendum virium tenuitate, non accedente hoste externo. At sub vicesimum tertium regni sui annum, rerum commutatio facta est. Atque hæc temporis distinctio, non commode ficta, sed in publicis actis expressa, ac veluti in ære incisa est. Neque enim ante annum eum gravior aliqua pœna per leges prius sancitas subditis pontificiæ religionis incubuit. Verum sub hoc tempus, ambitiosum et vastum Hispaniæ consilium de hoc regno subjugando paulatim detegi cœpit: hujus pars magna fuit, ut omnibus modis intra regni viscera factio a statu aliena, et rerum novarum cupida, excitaretur, quæ hosti invadenti adhæreret. Ea ex dissentione religionis sperabatur; itaque huic omni opera incumbendum statuebant, et, pullulantibus tunc seminariis, sacerdotes in regnum immissi, qui studium religionis Romanæ excitarent et spargerent, vim excommunicationis Romanæ in fide subditorum solvenda docerent et inculcarent, et animos hominum novarum rerum expectatione erigerent et præpararent.

Circa idem tempus, et Hibernia apertis armis tentabatur; et nomen et regimen Elizabethæ variis et scele-

ratis libellis proscindebatur : denique insolitus erat rerum tumor, prænuncius majoris motus. Neque sane dixerim singulos sacerdotes in participationem consilii assumptos, aut quid ageretur conscios, sed tantummodo prava alienæ malitiæ instrumenta fuisse. Sed tamen hoc verum est, et multis confessionibus testatum, omnes fere sacerdotes, qui ab eo, quem diximus, anno usque ad tricesimum Elizabethæ annum (quo consilium Hispaniæ, et pontificium, per memorabilem illum et classis et terrestrium copiarum apparatus executioni mandatum erat) in hoc regnum immissi erant, habuisse in mandatis inter functionis officia hoc insuper, ut, *Non posse hæc diutius stare; novam rerum faciem et conversionem non ita multo post conspicuam fore; curæ esse et pontifici et principibus catholicis rem Anglicam, modo ipsi sibi non desint*, insinuarent. Etiam ex sacerdotibus nonnulli rebus et machinationibus, quæ ad status labefactionem et subversionem pertinebant, manifeste se immiscuerant; et, quod maxime movit, per literas ex multis partibus interceptas consilii hujus et negotii ratio patefacta est; in quibus scriptum erat, *Vigilantiam reginæ et concilii sui circa catholicos elusum iri; illam enim ad hoc tantum intentam esse, ne quod caput in persona alicujus nobilis aut viri primarii catholicorum factioni se attolleret: at consilium jam tale adhiberi, ut per homines privatos atque ex inferiori nota, neque eos inter se conspirantes et conscios, per secreta confessionum omnia disponerentur et præpararentur*. Atque hæc tum artes adhibebantur, hujusmodi hominibus (quod etiam nuper in casu non dissimili videre licuit) usitatæ et familiares. Hac tanta periculorum tempestate lex quædam necessitatis imposita est Elizabethæ, ut eam partem subditorum, quæ a se alienata, et per hujusmodi venena facta erat quasi insanabilis, atque interim ob vitam privatam a publicis muneribus et expensis immunem ditesceret, gravioribus legum vinculis constringeret. Atque ingravescente malo, cum origo ejus sacerdotibus seminariorum deputaretur, qui in exteris partibus nutriti, et exterorum principum, hujus regni ex professo hostium, opibus et eleemosynis sustentati essent; et in locis versati, ubi ne nomen quidem ipsum

Elizabethæ, nisi ut hæreticæ, excommunicatæ, et diris devotæ, audiebatur; quique etsi non ipsi criminibus majestatis imbuti, at eorum, qui hujusmodi sceleribus operam dedissent, intimi agnoscerentur; quique suis artibus et venenis ipsam catholicorum massam, antea magis dulcem et innoxiam, depravassent, et novo veluti fermento et perniciose malignitate infecissent; non aliud inventum est remedium, quam ut hujusmodi homines ab omni in hoc regnum aditu sub pœna capitis prohiberentur: quod tandem vicesimo septimo regni sui anno factum est. Neque ita multo post eventus ipse, cum tanta tempestas hoc regnum adorta esset et totis viribus incubisset, horum hominum invidiam et odium quicquam leniebat, sed potius auxit; ac si omnem charitatem patriæ exuissent. Ac postea sane, licet metus ab Hispania (qui hujus severitatis stimulus erat) consediisset aut remitteretur; tamen cum et memoria præteriti temporis in animis et sensibus hominum alte infixæ maneret, et leges semel factas, aut abrogare inconstans, aut negligere dissolutum videretur: ipsa rerum vis Elizabetham traxit, ut ad priorem rerum statum, qui ante vicesimum tertium regni sui annum erat, revertere sibi iutegrum non esset. Huc accessit quorundam in fisci commodis augendis industria; et ministrorum justitiæ, qui non aliam patriæ salutem, quam quæ legibus continetur, introspicere aut intueri consueverunt, sollicitudo; quæ quidem executionem legum poscebant et urgebant. Ipsa tamen (in naturæ suæ specimen manifestum) ita legum mucronem contudit, ut pauci pro numero sacerdotes capitali supplicio plecterentur. Neque hæc defensionis loco dicta sunt, qua res istæ non egent: cum et salus regni in hoc verteretur, et universæ istius severitatis ratio et modus longe infra sanguinaria, et inter Christianos vix nominanda, eaque potius ab arrogantia atque malitia quam a necessitate profecta, pontificiorum exempla steterit. Sed ejus, quod asseruimus, memores, eam in causa religionis moderatam fuisse, et variationem, quæ fuit, non in natura sua, sed in temporibus exstitisse, demonstrasse nos existimamus.

De constantia autem Elizabethæ in religione ac ejus

cultu, maximum argumentum est, quod religionem pontificiam, regno sororis auctoritate publica et multa cura impense et stabilitam et altas jam radices agentem, atque omnium, qui in magistratibus et cum potestate erant, consensu et studio firmatam; tamen quandoquidem nec verbo Dei, nec primitivæ puritati, nec conscientiæ suæ consentanea esset, maximo animo et paucissimis adjumentis convulsit et abrogavit. Neque id præceps aut acri impetu, sed prudenter et tempestive fecit. Idque, tum ex aliis multis rebus, tum ex responso quodam suo per occasionem facto conjicere licet. Nam primis regni diebus, cum in omen et gratulationem novi principatus vincti (ut moris est) solverentur, accessit ad eam, ad sacellum tum pergentem, aulicus quidam, qui ex natura et consuetudine jocandi, licentiam quandam sibi assumpserat: isque, sive ex motu proprio, sive a quodam prudentiore immissus, libellum supplicem ei porrexit, et in magna frequentia clara voce addidit, *Restare adhuc quatuor aut quinque vinctos, idque immerito; illis se libertatem ut reliquis petere; eos esse quatuor Evangelistas, atque etiam apostolum Paulum, qui diu ignota lingua, tanquam carcere, conclusi, inter populum conversari non possent.* Cui illa prudentissime, *Sciscitandum adhuc melius ab ipsis esse, utrum liberari vellent, necne.* Atque ita improvisæ quæstioni suspenso responso occurrit; veluti omnia integra sibi servans. Neque tamen timide et per vices hæc instillavit; sed ordine gravi et maturo, habito inter partes colloquio, et peractis regni comitiis: tum demum, idque intra orbem unius anni vertentis, ita omnia, quæ ad ecclesiam pertinebant, ordinavit et stabilivit, ut ne punctum quidem ab illis ad extremum vitæ diem recedi pateretur. Quin et singulis fere regni comitiis, ne quid in ecclesiæ disciplina aut ritibus innovaretur, publice monuit. Atque de religione hactenus.

Quod si quis ex tristioribus, leviora illa exaggeret; quod coli, ambiri, quin et amoris nomine se celebrari et extolli sinebat, atque volebat: eaque ultra sortem ætatis continuabat: hæc tamen si mollius accipias, ad-

miratione et ipsa carere non possunt; cum talia sint fere, qualia in fabulosis narrationibus inveniuntur; de regina quadam in insulis beatis ejusque aula atque institutis, quæ amoris administrationem recipiat, sed lasciviam prohibeat: sin severius, habent et illa admirationem, eamque vel maximam, quod hujusmodi delicæ, non multum famæ, nil prorsus majestati ejus officerent; nec imperium relaxarent, nec impedimento notabili rebus et negotiis gerendis essent. Hujusmodi enim res se cum publica fortuna commiscere haud raro solent. Verum, ut sermones nostros claudamus: fuit certe ista princeps bona et morata; etiam talis videri voluit: vitia oderat, et se bonis artibus clarescere cupiebat. Sane ad mentionem morum illius in mentem mihi venit quod dicam. Cum scribi ad legatum suum jussisset de quibusdam mandatis, ad reginam matrem Valesiorum separatim perferendis; atque qui ab epistolis erat clausulam quandam inseruisset, ut legatus diceret, tanquam ad favorem aucupandum, *Esse nimirum ipsas duas fœminas principes, a quibus, in usu rerum et imperandi virtute et artibus, non minora quam a summis viris, exspectarentur*; comparisonem non tulit, sed deleri jussit; *Seque artes longe dissimiles et instituta diversa ad imperandum afferre*, dixit. Delectabatur etiam haud parum, si quis forte hujusmodi sermonem intulisset: *Eam, etiamsi in privata et mediocri fortuna ævum traduxisset, tamen non absque aliqua excellentiæ nota apud homines victuram fuisse*; adeo nihil a fortuna sua ad virtutis laudem mutuare, aut transferre volebat. Verum si in ejus laudes, sive morales sive politicas, ingrederer, aut in communes quasdam virtutum notas et commemorationes incidendum est, quod tam rara principe minus dignum; aut si propriam ipsis lucem et gratiam conciliare velim, in vitæ ejus historiam prolabendum, quod et majus otium et venam uberiolem desiderat. Ego enim hæc paucis, ut potui. Sed revera dicendum est; non alium verum hujus fœminæ laudatorem inveniri posse, quam tempus: quod cum tam diu jam voluitur, nihil simile, in hoc sexu, quoad rerum civilium administrationem peperit.

# IN HENRICUM PRINCIPEM WALLIÆ

## ELOGIUM FRANCISCI BACONI.

HENRICUS primogenitus Regis Magnæ Britanniae, Princeps Walliæ, antea spe beatus, nunc memoria felix, diem suum obiit 6. Novemb. anno 1612. Is magno totius regni luctu et desiderio extinctus est, utpote adolescens, qui animos hominum nec offendisset nec satiasset. Excitaverat autem propter bonam indolem multiplices apud plurimos omnium ordinum spes, nec ob brevitatem vitæ frustraverat. Illud imprimis accessit, quod in causa religionis firmus vulgo habebatur: prudentioribus quoque hoc animo penitus insederat, adversus insidias conjurationum (cui malo ætas nostra vix remedium reperit) patri eum instar præsidii et scuti fuisse, adeo ut et religionis et regis apud populum amor in eum redundaret, et in æstimationem jacturæ merito annumeraretur. Erat corpore validus et erectus, statura mediocri, decora membrorum compage, incessu regio, facie oblonga et in maciem inclinante, habitu plenior, vultu composito, oculorum motu magis sedato quam forti. Inerant quoque et in fronte severitatis signa, et in ore non nihil fastus. Sed tamen si quis ultra exteriora illa penetraverat, et eum obsequio debito et sermone tempestivo deliniverat, utebatur eo benigno et facili, ut alius longe videretur colloquio quam aspectu, talisque prorsus erat, qui famam sui excitaret moribus dissimilem. Laudis et gloriæ fuit procul dubio appetens, et ad omnem speciem boni et auram decoris commovebatur; quod adolescenti pro virtutibus est. Nam et arma ei in honore erant ac viri militares; quin et ipse quiddam bellicum spirabat; et magnificentiae operum (licet pecuniæ alioquin satis parcus) deditus erat: amator iusuper antiquitatis et artium. Literis quoque plus ho-

Harl.  
MSS.  
Vol.  
1893.  
fol. 75.

noris attribuit quam temporis. In moribus ejus nihil laudandum magis fuit, quam quod in omni genere officiorum probe institutus credebatur et congruus: filius Regi patri mire obsequens, etiam reginam multo cultu demerebat, erga fratrem indulgens; sororem vero unice amabat, quam etiam (quantum potuit virilis forma ad eximiam virginalem pulchritudinem collata) referebat. Etiam magistri et educatores pueritiæ ejus (quod raro fieri solet) magna in gratia apud eum manserant. Sermone vero obsequii idem exactor et memor. Denique in quotidiano vitæ genere, et assignatione horarum ad singula vitæ munera, magis quam pro ætate constans atque ordinatus. Affectus ei inerant non nimium vehementes, et potius æquales quam magni. Etenim de rebus amatoriiis mirum in illa ætate silentium, ut prorsus lubricum illud adolescentiæ suæ tempus in tanta fortuna, et valetudine satis prospera, absque aliqua insigni nota amorum transigeret. Nemo reperiebatur in aula ejus apud eum præpotens, aut in animo ejus validus; quin et studia ipsa, quibus capiebatur maxime, potius tempora patiebantur quam excessus, et magis repetita erant per vices, quam quod exstaret aliquod unum, quod reliqua superaret et comperceret, sive ea moderatio fuit, sive in natura non admodum præcoci, sed lente maturescente, non cernebantur adhuc quæ prævalitura erant. Ingenio certe pollebat, eratque et curiosus satis et capax, sed sermone tardior et tanquam impeditus: tamen si quis diligenter observaverat ea, quæ ab eo proferebantur, sive quæstionis vim obtinebant, sive sententiæ, ad rem omnino erant, et captum non vulgarem arguebant; ut in illa loquendi tarditate et raritate judicium ejus magis suspensum videretur et anxium, quam infirmum aut hebes. Interim audiendi miris modis patiens, etiam in negotiis, quæ in longitudinem porrigebantur; idque cum attentione et sine tædio, ut raro animo peregrinaretur aut fessa mente aliud ageret, sed ad ea, quæ dicebantur aut agebantur, animum adverteret atque applicaret; quod magnam ei (si vita suppetiisset) prudentiam spondebat. Certe in illius principis natura plurima erant obscura, neque judicio cujuscumque patefacienda,



sed tempore, quod ei præreptum est. Attamen quæ apparebant, optima erant, quod famæ satis est. Mortuus est ætatis suæ anno decimo nono ex febris contumaci, quæ ubique a magnis et insulans fere insolitis siccitatibus ac fervoribus orta per æstatem populariter grassabatur, sed raro funere; dein sub autumnum erat facta lethalior. Addidit fama atrocior (ut ille ait) erga dominantium exitus suspicionem veneni. Sed cum nulla ejus rei exstarent indicia, præsertim in ventriculo, quod præcipue a veneno pati solet, is sermo cito evanuit.

Tacit.  
Annal.  
L. iv.  
11.

DIALOGUS  
DE  
BELLO SACRO.

Ad reverendissimum in Christo patrem,

LANCELOTUM ANDREWES Episcopum Wintoniensem,  
REGIÆ MAJESTATI a sanctoribus consiliis.

---

REVERENDE PRÆSUL,

INTER consolationes haudquaquam minima est, si quis sibi aliorum calamitates repræsentet, quæ cum suis conformitatem habeant. Exempla enim penetrant magis, quam argumenta; quinetiam illud nobis innuunt, quod Scriptura in solatium adducit; nil novi nobis accidisse. Afficiunt autem exempla eo magis, quo propius ad similitudinem rerum nostrarum accedunt: multoque adhuc magis si fortuna illos non levius mulctarit, qui nobis ipsis dignitate et virtute præcellerunt. Etenim, ut inanem præsumptionem sapit, si nos ipsos cum melioribus componamus; ita, ex altera parte, recte et salubriter infertur conclusio; si alii, nobis superiores, similia perpessi sint, non esse cur nos supra modum conqueramur.

In hoc consolationis genere, equidem mihi ipsi minime defui; quamvis ut Christianus (per infinitam Dei misericordiam) altiores etiam consolationes degustaverim. Quamobrem, ex varia rerum memoria, et librorum lectione, cum exempla haud pauca, tam vetera, quam recentia, mihi ante oculos proposuissem; cogitationes meæ moram (fateor) fecerunt, imo etiam acquieverunt, in tribus præcipue viris: tanquam maxime eminentibus, et cum illa fortuna, quæ mea ali-

quando fuit, conjunctissimis. Hi tres in rebus publicis suis singuli magistratibus amplissimis perfuncti sunt: iidem, non præliis, aut alio infortunii genere, dejecti, sed judiciis, et legum auctoritate, tanquam rei, et delinquentes, abdicati; iidem insuper celebres fuerunt scriptores, ita ut memoria calamitatis ipsorum apud posteritatem jam maneat, et se exhibeat tanquam pictura, quæ noctu gesta repræsentet, inter pulcherrimas et illustres operum et actorum suorum tabulas: quin et omnes tres (si hoc ad rem conducere) exempla fuerunt valida ad extinguendam cujuspian ambitionem fortunam de novo tentandi: quandoquidem unusquisque eorum magna cum gloria revocatus et restitutus fuerit; sed ad graviorem suam ruinam, quæ in morte violenta exitum reperit. Fuerunt hi tres viri, Demosthenes, Cicero, et Seneca. Quando igitur cum viris hisce eximiis me tum fortuna, tum studia, junxerint, inquirere et observare cœpi, quomodo calamitates illi suas toleraverint, et præcipue quomodo tempus impenderint, cum a civilibus negotiis prorsus abdicati, et inhabiles pronunciati sint: ut ab illis aliquid addiscerem; utque mihi non solum consolatorum, verum etiam consiliariorum loco essent. Observavi autem quam diversis modis infortunia illorum illos affecerunt; ea præcipue in re, de qua inquirere cœperam; temporis scilicet, et calamorum suorum, applicatione. Ciceronem vidi, durante exilio suo (quod biennium ferme complevit) ita animo emollitum et dejectum, ut nihil præter epistolas quasdam muliebres exaraverit, omnia questibus implentes. Attamen, ex tribus illis (meo quidem iudicio) minima ei causa affuit, cur magnopere perturbaretur. Etsi enim iudicatum fuisset, eoque iudicii genere, quod summam auctoritatem obtinuit, lege scilicet lata, ut exularet, et universæ ejus fortunæ fisco addicerentur, domus ejus diruerentur; utque capitale cuivis esset, qui de ejus restitutione ageret; nihilominus calamitas ejus, etiam eo tempore, ignominie nota caruit; atque nil aliud quam temporis procella reputabatur, quæ eum tanquam turbine subverterat. Demosthenes contra, licet iudicium, quo pro-

scriberetur, ignominiae plenum esset; utpote repetundarum damnatus; neque repetundarum simpliciter, sed quae cum proditione, et laesa majestate, conjunctae essent; nihilominus calamitatis suae sensum tam exiguum praese tulit, ut exilii tempore negotiis civilibus non abstineret, sed iisdem se immisceret; atque per literas saepius, consilio suo impertire populum Atheniensem ausus esset, non minus, quam si adhuc ad clavum sederet; ut patet in quibusdam ejus epistolis, quae hodie exstant. Seneca certe, qui ob corruptelas varias, et crimina, damnatus fuit, et in exilium actus in insulam quandam solitariam, mediocritatem servavit: quamvis enim calamus ejus non refrixit, tamen in negotia civilia se ingerere abstinuit: sed otium, quod nactus erat, in scribendis libris quibusdam, excellentis argumenti, et usus in omne aevum, insumpsit; licet aliquos eorum dedicaverit minus pro dignitate.

Exempla haec in instituto quodam, ad quod etiam alias sponte inclinabam, me multum confirmarunt, ut concessum mihi tempus omnino in scribendo imponderem; utque talentum a Deo concreditum, non ut prius trapezitis particularibus, sed excambiis publicis, quae nunquam exhaurientur, et usuram pro certo reddent, committerem. Itaque cum ante annos aliquot *Instaurationis* meae partem edidissem (quod quidem opus inter opera mea illud est, *si nunquam fallit imago*, cui plurimum tribuo) decrevi certe in caeteris ejus partibus minime defatisci. Quod etiam nunc ago. Etsi autem de illo opere testimonia plurima ex partibus transmarinis receperim (taliam certe, quibus non potuerim majora, cum tam insigni approbatione et honore, sub initiis, in argumento tam abstruso expectare, illud tamen animo meo penitus insedit, opus memoratum, hominum, praesertim vulgaris judicii, capita supervolare. Itaque constitui (licet inversa paulisper ordinis serie) rem ad sensus judicium deorsum trahere, per exempla quaedam, et portiones *Naturalis Historiae*, et inquisitiones super eam: quod etiam ex parte feci. Rursus, quia opus meum *De augmentis scientiarum* parasceve quaedam, et tanquam

clavis esse possit ad *Instaurationis* sensum melius reserandum (quippe quod notionum et veterum et novarum mixturam recipiat; ubi *Instaurationis* novas tantum notiones proponat meras; nisi quod hinc et inde inspergantur veteres ad gustum tantum) consentaneum putavi, illud opus in linguam generalem ex vernacula vertere; non sine multis et magnis additionibus, præsertim in libro secundo; qui partitiones scientiarum complectitur: idque ita cumulate præstiti, ut judicem librum illum, jam in plures divisum, pro prima *Instaurationis* parte haberi posse; quam *Partitionem scientiarum* nomine antea insignivi: et sic fidem meam in hac parte liberari confido. Atque hoc etiam jam peractum est. Præterea, quoniam civilem, quam tam diu sustinui, personam prorsus exuere non potui (cujus si ipse obliviscerer, satis multi meminissent) opus etiam *De Legibus* ingressus sum; hoc instituto, ut characterem quendam justitiæ proponerem, mediæ cujusdam naturæ, inter speculativas et speciosas legum descriptiones a philosophis factas, atque scripta jureconsultorum, qui particularibus placitis, et scitis patriarum et rerumpublicarum suarum sunt ut plurimum obnoxii et astricti. Hoc autem opus, quoniam tantum absorpturum fuisset temporis, atque alia jure præcedere deberent, infectum reliqui; solummodo portiunculam ejus quandam, ad exemplar, in uno ex libris *De Augmentis Scientiarum* (octavo scilicet) exhibui. Verum est etiam (fateor) me in animo habuisse *Digestum* quoddam *legum* patriæ meæ ut componerem; sed quia plurimorum manibus indigebat, neque ex me solo pendebat, illud quoque deposui. Jam, cum in *Instauratione* mea universi generis humani bonum mihi ante oculos proposuerim: ut vita humana excoleretur, bearetur, et ampliori a natura dote donaretur; in opere autem illo *De Legibus*, cujus initia perstrinxi (ut dictum est) humani generis similiter bonum mihi proposuerim, sed in societate civili, et scientiæ politicæ dotibus: putavi etiam aliquid me patriæ bono aut honori debere, quam semper dilexi; adeo ut licet magistratus, quos gessi, supra meritum meum essent;

amor tamen meus boni publici, et curæ circa illud impensæ, etiam supra, et ultra gradus, in quibus collocabar, transcenderent. Quocirca (præsertim cum opus illud *De legibus patriis* deposuissem) honorem aliquem patriæ dilectæ exhibere volui: quod operam dedi ut facerem in *Historia* mea regni *Henrici Septimi*. Quantum vero ad librum illum jam pridem editum; cui antea titulus, *Delibationes morales et civiles*; nunc autem, *Sermones fideles, sive interiora rerum* inscribitur; eum etiam multipliciter auxi, et ditavi; et in linguam quoque Latinam e vernacula verti curavi. Illud autem scriptorum genus animi reficiendi et levandi causa subinde tracto: quamvis non sum nescius, ejusmodi scripta, minore labore et molimine, nomen meum fortasse magis illustrare et attollere posse, quam reliqua, quæ tractavi, et tracto. Quinetiam libellum meum *De Sapientia Veterum*, ut ab interitu tutior esset, in tomo operum meorum moralium et politicorum rursus edendum curavi.

Verum hæc omnia scripta mea animo revolvens subiit cogitatio, universa in civitatem, nulla in templum, procedere; exceptis paucis alicubi inspersis, quæ ad religionem spectant. Atqui cum in templo ipso tanta solatia degustaverim et hauserim, cupio etiam oblationis quidpiam illuc deferre. Argumentum itaque delegi, mixtum ex rebus ad religionem spectantibus, et civilibus; atque etiam medium inter contemplationes, et activa; tractatum scilicet *De bello sacro*: quis enim noverit, numnon illud contingere possit: *Exoriere aliquis?* Res magnæ (præsertim quæ ad religionem referuntur) ab exiguis sæpenumero oriuntur initiis; et modulus prius factus quandoque ædificium ipsum invitat. Hoc opus (quia semper dedicationes adulatorias minus probavi) paternitati tuæ dedicare visum, in pignus veteris nostræ familiaritatis et amicitiae: nec minus quia inter viros ætatis hujus tibi reverentiam haud vulgarem deberi existimem.

*Reverendæ paternitatis tuæ amicus fidelis,*

FR. S. ALBAN.

# DIALOGUS DE BELLO SACRO.

## INTERLOCUTORES.

EUSEBIUS. ZEBEDÆUS. GAMALIEL. MARTIUS.

EUPOLIS. POLLIO.

## CHARACTERES HARUM PERSONARUM.

*Zebedæus, Romano-catholicus, fervidus, et zelotes. Gamaliel, in religione reformata, fervidus item, et zelotes. Eusebius, theologus orthodoxus, et moderatus. Martius, vir militaris. Eupolis, politicus. Pollio, aulicus. Omnes præter Gamalielem Romano-catholici.*

---

CONVENERUNT Parisiis, in domo Eupolidis, Eusebius, Zebedæus, Gamaliel, et Martius; singuli eorum, viri egregii, sed multum inter se differentes. Aderat etiam Eupolis ipse: atque, dum sederunt colloquentes, intervenit ab aula Pollio: ac quamprimum eos vidit, more suo ingenioso, et faceto, dixit.

POLLIO. Video quatuor hic præsentés, qui mundum egregium, arbitror, constituere possint: tantum enim ab invicem discrepatis, quantum quatuor elementa, et nihilo secius concordés estis. Quantum vero ad Eupolidem, quia moderatus est, et placidus, illum loco quintæ essentiæ ponere libet. EUPOLIS. Si nos quinque, Pollio, mundum constituimus majorem, unicus tu mundum minorem constituere possis; siquidem omnia et profitearis, et cœnitaris, ad teipsum solum referre. POLLIO. At quid illi, qui hoc agunt, sed minime profitentur? EUPOLIS. Sunt illi quidem minus animosi, sed magis metuendi. Verum age, et nobiscum sermones conferas: etenim inter nos de præsentis orbis Christiani statu loque-

bamur; in quo libenter etiam opinionem tuam audiremus. **POLLIO.** Domini mei, iter hoc mane confeci; jamque æstus diei ingruit: itaque sermones vestri, opus est, aures meas admodum delectent, quo ab oculis impetrent, ut somno abstineant. Attamen si permittetis, ut vos excitem, si quando sermones vestri mihi videantur obdormiscere, quantum potero somnum abigam. **EUPOLIS.** Imo gratum nobis feceris, si hoc præstiteris. Illud tantum metuo, ne univ-ersum, quod tractamus, argumentum instar insomnii cujusdam, haud penitus insulsi et vani, sed insomnii tamen, tibi videbitur. Etenim optata bona, absque spe effectus, nedum tentandi copia, non multum illis præstant: verum ne te diutius detineamus, cum ingrediebaris, Martius hic et attentiones nostras excitavit, et animos affectit oratione sua, quam inchoavit tantum: neque male cedit hæc res ad somnolentiam tuam discutiendam: videbatur enim sermo ejus quasi ad bellum classicum canorum. Si placet igitur, Marti, de integro sermonem renoves: nam et sermo ipse dignus erat qui repetatur; atque mehercle, corona auditorum ista non mediocriter dignitate aucta est per præsentiam Pollionis. **MARTIUS.** Cum modo ingressus es, Pollio, libere animi mei sensum hisce dominis meis aperui: me observasse, quod per dena jam annorum lustra, proxime elapsa, minus nobile quiddam spirarunt (si mihi fas sit dicere) orbis Christiani bella, et expeditiones militares. Ecce bella cum subditis, similia litibus quidem protervis in foro; in quo pertinaciter lege agitur pro jure suo recuperando; quod melius forsitan placido et quieto more obtineri potuit. Ecce pusillas oppidi cujuspiam, aut portiunculæ territorii, debellations: quales esse solent rusticorum acquisitiones agelli, aut anguli terræ, commode adjacentis. Quod si etiam bella pro regno Neapolitano, aut ducatu Mediolanensi, aut regnis Lusitaniæ, aut Bohemiæ, suscepta fuerint; tamen et hæc ipsa, tanquam bella ethnicorum (Atheniensium, Lacedæmoniorum, Romanorum) pro secularibus quidem commodis, et ambitione dominationis, gesta sunt; nec militia Christiana censeri debent digna. At ecclesia missiones suas in extremos fines gentium et insularum facit, nobili opera



et instituto ; verum hoc sonat tantum : *Ecce unus gladius hic*. Reges et principes Christiani merito accusandi, quod fidei Christianæ propagationi, armis et opibus suis, non invigilent. Attamen Dominus noster, qui in terra manens dixit apostolis : *Ite et prædicate* ; dixit etiam, de cælo, Constantino : *In hoc signo vince*. Quis miles Christianus pia æmulatione non commoveatur, cum viderit ordinem quendam, societatis Jesu, aut sancti Francisci, aut sancti Augustini, tot et tanta, pro religionis Christianæ propagatione, sustinere et perficere, ordinem vero sancti Jacobi, aut sancti Michaëlis, aut sancti Georgii, nil aliud fere perpetrare, neque majora meditari, quam ut vestes solennes induant, festa patronorum suorum anniversaria celebrent, et cæteros ritus ac cæremonias ordinis sui observent ? Quin et mercatores ipsi in judicio surgent contra principes et proceres Europæ : illi enim viam in mari latam straverunt et triverunt, usque ad ultimos orbis fines ; classes et copias navales Hispanorum, Anglorum, Belgarum, instruendo et mittendo, quantæ Indias quidem, et Chinam, terrefacere et concutere possint : hæc autem omnia propter margaritas scilicet, aut gemmas, aut aromata, suscepta sunt : at propter margaritam illam regni cælorum, aut gemmas cælestis Hierusalem, aut aromata horti sponsi, malum quidem navis ne unum erectum vidimus. Illud interim pro nihilo ducunt, sanguinem Christianum, in partibus tam remotis, inter se præliantes, effundere ; sed ne guttam quidem in causa Christi. Verum, ne immemor videar rerum præclararum, in hoc genere gestarum, fateor intra spatium illud quinquaginta annorum (de quo loquor) aut paulo plus, tres susceptas esse actiones memorabiles, a Christianis, contra infideles ; in quibus Christiani invasores fuere. Cum enim bellum defensivum sit, necessitatis potius bellum judico, quam pietatis. Prima fuit celebris illa et felix expeditio navalis, quæ victoria apud insulas Cursolares terminata est ; quæ hamum inseruit naribus Ottomanni usque ad diem hodiernum. Quod opus præcipue instructum et animatum fuit ab eximio illo principe, papa Pio quinto ; quem miror successores ejus inter sanctos non retulisse.

Secunda fuit nobilis illa (licet calamitosa) expeditio Sebastiani, Lusitaniæ regis, in Africam; quæ ab illo solo, absque aliorum ope, suspecta fuit; ita solo, ut aliis se postea excusandi necessitatem imponeret. Pro ultima numero memorabiles illas incursiones, a Sigismundo principe Transylvaniae factas: cujus felicitatis filium a Christianis ipsis abscissum fuit; contra monita egregia et paterna papæ Clementis octavi. Plures mihi non occurrunt. POLLIO. Pace tua, quid dicis de extirpatione Maurorum Valentia? Ad quam subitam quæstionem Martius paululum obticuït: Gamaliel autem, sermonem arripiens, dixit. GAMALIEL. Plane censeo, Martium recte actionem illam præterisse: etenim, mea sententia, damnanda prorsus est. Imo videtur factum illud Deo displicuisse. Cernitis enim regem, sub cujus imperio hoc factum est (quem vos Catholici pro sancto et immaculato principe habetis) in ipso ætatis suæ flore sublatum, auctorem autem et suasorem rigoris ejus (cujus fortuna super rupem ædificata putabatur) corruisse; quin et opinantur plurimi, rationes ejus facti nondum esse transactas, sed iis reddendis Hispaniam adhuc esse obnoxiam: eo magis, quod ingens Maurorum illorum numerus (exilio jam probati) constanter in fide perseverant, et veros se Christianos in omnibus præstant, præterquam quod appetitu vindictæ in Hispanos flagrent. ZEBEDÆUS. Noli, obsecro, Gamaliel, de actione illa magna temere judicare; quæ instar ventilabri Christi fuit in regionibus illis; nisi forte monstrare poteris, pactum aliquod Hispanorum cum illis populis, quale Josuah fecit cum Gibeonitis: quo cautum esset, ut execrabilis illa generatio sedes antiquas retineret. Quinetiam vides, edicto regio hoc executioni mandatum fuisse, non tumultuarie: gladius enim manibus plebis neutiquam commissus est. EUPOLIS. Arbitror equidem Martium illud omisisse. non quod iudicio in alterutram partem inclinaret; sed quia cum actionibus belli haud bene congruebat; siquidem cum subditis tantum res fuit; neque armis contra itum est. Verum permittamus (si placet) Martium in oratione procedere; loquebatur enim (ut mihi vide-

tur) tanquam theologus armis indutus. MARTIUS. Fa-  
teor, Eupoli, me in iis, quæ loquor, pietatem et reli-  
gionem præcipue mihi ante oculos proponere: nihilo-  
minus, si loquendum mihi esset ut homini animali  
tantum, eadem consulerem. Neque enim reperiri ho-  
die potest expeditio aliqua, aut actio, etiam respectu  
secularis amplitudinis, et honoris terreni, quæ cum bello  
contra infideles comparetur. Neque in hoc, quod  
asserō, novitatem aliquam, aut ventosum quidpiam  
propono; sed quod in exemplis recentibus ejusdem  
generis se ostendit; licet fortasse minus arduis. Casti-  
liani, seculo superiore, orbem novum aperuerunt; atque  
regnum Mexicanum, Peruviam, Chilen, et alias Indiæ  
occidentalis regiones, subegerunt, et plantarunt. Vide-  
mus quam ingentes opum fluctus in Europam, ex ea re,  
inundarunt; adeo ut orbis Christiani census in decu-  
plum, imo in vicecuplum, jam aucti sint. Verum est,  
aurum, tempore invasionis primæ, in iis regionibus con-  
gestum fuisse, et accumulatum; sed argenti venæ ad-  
huc perpetuo scatent. Ex eodem etiam auso infinita  
territorii et imperii facta est accessio. Neque enim  
unquam antehac orbis Christianus in duplum crevit;  
quod vere asseri possit jam esse factum, si computes id,  
quod jamdudum acquisitum est, cum eo, quod in pos-  
terum acquiri possit per occupationem et culturam ea-  
rum partium ulteriorem. Neque tamen affirmari vere pos-  
sit (si ingenue loquamur) fidei Christianæ propagationem  
navigationum illarum et plantationum causam præci-  
pue extitisse; sed aurum, argentum, opes, et gloriam.  
Ita ut, quod in Dei providentia primum fuerit, in ho-  
minum appetitu et intentione secundas tantum partes  
obtinuit. Similia prædicari possint de navigationibus et  
expeditionibus præclaris Immanuelis Lusitaniæ regis;  
cujus arma Africam et Asiam cingere cœperunt; atque  
ad se trahere non solum commercium aromatum, la-  
pidum pretiosorum, moschi, et pharmacorum, sed sedes  
et imperia in partibus illis orientis extremis. Neque  
enim in his ipsis religio Christiana præcipue ante oculos  
obversabatur, sed amplificatio et prolatio imperii et  
divitiarum. Accidit autem jam, ex duobus istis præ-

claris facinoribus, cum orientales et occidentales Indiæ molo sub Hispaniæ ditione unitæ sint, id quod magniloquus quidam dixit: *Solem in imperio Hispanorum nunquam occumbere, sed aliquam ejus partem semper irradiare.* Quod (si verum dicendum est) radius quidam est gloriæ, non dico corpus solidum gloriæ, in quo monarchia Hispaniæ reliquis omnibus monarchiis superior sit. Quamobrem, ut concludam, videre est in hisce expeditionibus contra ethnicos et infideles, honorem et utilitatem, tam spiritualem, quam temporalem, in una, tam intentione, quam prosecutione, coivisse.

**POLLIO.** At, ut mihi videatur, pace tua, Marti, meminisse debueras homines sylvestres, et mere barbaros, similes esse bestiis et avibus, quæ feræ sunt naturæ; quarum proprietas (qualis esse potest) possessionem sequitur, et occupanti conceditur: sed in populis civilibus hoc non tenet.

**MARTIUS.** Ego certe nil tale discriminis agnosco inter animas rationales; sed contra sentio, quicquid in ordine sit ad bonum populi alicujus majus, et latius, actionem posse injustitia absolvere, concessio quod populus sit, sive magis, sive minus, cultus et civilis. Verum, non facile tibi concedam, Pollio, populos, Peruvianum, aut Mexicanum, ita penitus fuisse barbaros, vel feros, ut oratio tua innuit: aut quod talis poni debeat differentia inter illos, et alios infideles, qui hodie in locis plurimis degunt. In Peruvia, licet nudi fuissent, temperatura fortasse climatis hoc postulante; et consuetudines nonnullæ admodum barbaræ apud eos invaluisse; attamen administrationi certe Incarum, in aliquibus, humanitas et civilitas non defuerunt. Reduxerant nationes illas, ab idolorum omnigenum adoratione, ad adorationem solis. Atque (quantum memini) liber *sapientiæ* gradus idololatriæ distinguit: constituens idolorum vilium et despiciabilium cultum magis cæcum et detestandum esse, quam simplicem cultum creaturæ. Et similiter (nisi fallor) faciunt quidam ex prophetis; ponentes cultum idolorum, per metaphoram, tanquam turpissimam et maxime bestialem fornicationem. Insuper Peruviani, sub imperio Incarum, magna habuerunt templa

superstitionis suæ; justitiæ administrato apud eos viguit: obedientiam et fidelitatem constantissimam regibus suis exhibebant: etiam contra hostes cum justitia quadam militari procedebant, ac si jus feccialium novissent; legem suam, tanquam meliorem, iis offerentes, antequam gladium stringerent. Neque absimilis erat politia regni Mexicani, quod monarchia electiva, non hæreditaria, erat. Quatenus vero ad populos Indiæ orientalis (Goæ, Calecuti, Malacæ) erant illi populi delicati et lauti; frugi certe, cum quadam elegancia, etsi parum bellicosi. Ita ut si æqua lance res ponderetur, imperium Turcarum censi possit magis barbarum, quam horum quodvis. Tyrannis crudelissima, polluta sanguine imperatorum suorum in successionebus singulis; mancipiorum et vassallorum massa; sine nobilibus: sine generosis; sine ingenuis; hæreditates nullæ; nullæ stirpes antiquæ; gens sine *affectibus naturalibus*; quæque (ut ait Scriptura) *non movetur desideriis mulierum*; immisericors, et incuriosa erga liberos proprios; gens sine institutionibus moralibus; sine literis, artibus, et scientiis; quæ vix jugerum agri, aut horam diei mensurare norit; sordida, et immunda in ædificiis, victu, et similibus: atque (ut verbo dicam) opprobrium merum generis humani. Ista tamen natio hortum mundi in eremum vertit. Nam (ut recte habetur in proverbio) *Ubi equus Ottomanii pedem ponit, populus vix crescit*. POLLIO. Veruntamen, in medio invectivæ tuæ, Marti, Turcas jure suo non privas, eos neutiquam pro idololatriis habendos esse. Etenim, si (ut ipse modo dixisti) discrimen haud parvum sit, inter cultores idolorum vilium, et solis; majus se offert discrimen, inter cultum creaturæ et Creatoris. Agnoscunt enim Turcæ Deum patrem, creatorem cœli et terræ, primam in Trinitate personam, etsi reliquas duas negant. Ad quem sermonem cum Martius conticuisset, occurrit Zebedæus, vultu commotiore, et reprehensionem spirante, et dixit. ZEBEDÆUS. Cavendum sedulo, Pollio, ne in hæresin Immanuelis Comneni, imperatoris Græciæ, imprudentes labamur; qui asseruit Mahometis Deum, verum esse Deum: quæ hæresis a synodo non solum rejecta et damnata est, sed imperatori imputata, veluti, insaniam species quædam:

quam etiam ei exprobat episcopus Thessalonicensis, verborum acerbitate minime repetenda. **MARTIUS.** Ingenue fateor, me in illa opinione esse, bellum contra Turcas plus justitiæ et meriti habere, quam contra alios quoscunque gentiles, aut barbaros, qui aut fuerunt, aut nunc sunt, tam religionis intuitu, quam honoris: licet facilitas forsân, et spes perficiendi, ad aliam magis electionem invitare possit. Verum antequam ulterius progredior, tum et ipse libenter respirarem; tum etiam dominationes vestras obnixè rogarem, ut sermonis vices excipiatis, qui melius eas sustinere potestis; sed et præcipue hoc mihi occurrit, quoniam in conventu nostro hic aliquos video, qui egregii legis divinæ interpretes sunt, etsi dogmatibus nonnullis dissentientes. Ipse autem, non sine ratione, judicio meo diffido, tum quod in seipso infirmum sit, tum quod zelo et ardore in hac causa abripi possit: itaque vitio mihi verti possit, si plura de hac re dissererem, priusquam fundamenta solide jacta videam, quæ justitiam actioni huic asserant, ab iis, qui in justitia causæ discutienda meipso magis versantur, et peritiores sunt. **EUPOLIS.** Magna certe lætitia afficior, Marti, cum intueor in viro militari tantam animi moderationem; quandoquidem in re, quæ sanguinem excalescat, atque insuper speciem habeat sanctitatis, non abripiaris ad prætermittendam, aut pro concessio admittendam, considerationem justitiæ. Atque quoniam (ut mihi videtur) colloquium hoc nostrum feliciter procedit, si dominationes vestræ annuant, nonnulla de distributione argumenti in partes proponam. Cui rei cum omnes assensissent, Eupolis dixit. **EUPOLIS.** Mihi certe non incongruum videtur, si Zebedæum exoraremus, ut quæstionem hanc discutiât; utrum bellum propter fidei Christianæ propagationem, absque alia aliqua hostilitatis causa, jure suscipi possit; et in quibus casibus. Fateor insuper, libenter me audire velle dissertationem de jure; non solum permissivo, sed etiam utrum non obligentur principes Christiani, et respublicæ, ad hujusmodi bellum inferendum? Quam partem si Gamalieli placuerit in se recipere, quæstio de jure, simpliciter accepta, plene discussa fuerit. Superest quæstio comparativa; nempe, dato, quod hæc res

aut legitima, aut obligatoria sit, utrum tamen aliæ res eam prævertere non debeant; veluti, extirpationes hæresium; schismatum reconciliationes; morum reformationes; prosecutiones titulorum et jurium pro temporalibus dominiis, et vindictis; et hujusmodi: atque insuper, in quantum bellum illud sacrum cæteras illas res vel præstolari debeat; vel cum iis pari passu incedere; vel illas compescere, et in ordinem redigere, tanquam se inferiores? Quoniam autem hæc pars late patet, atque Eusebius adhuc silentium tenuit (si dominationes vestræ jubeant) illam, per viam mulctæ, ei imponemus. Interim vereor, ne Pollio, qui perspicacia et acumine pollet ad distinguendum quid sit in rebus solidum et grave, quidque rursus speciosum et phantasticum, hæc omnia nihil aliud esse existimaturus sit, quam impossibilia, et aquilas (ut dicitur) in nubibus: itaque eum rogabimus, ut argumentum hoc totis viribus stringat et premat; ut ab eo moniti et edocti, rem aut rejiciamus, si inveniatur tumida et inflata, aut saltem ab ea separemus quicquid insit inane, et minime sperabile. Atque quia ingenue fateor me in alia opinione esse (etsi cum Pollione dimicare dura sit provincia) tamen quantum in me est probare conitar rem hanc perfici, et ad exitum perducere posse: atque ostendam quibus modis impedimenta omnia et obstacula, vel tolli, vel superari, queant. Tum vero tempestivum erit Martio (si rem prius non deposuerimus) sermonis partes resumere; tam quoad suasoriam, quam quoad consultatoriam; quibus scilicet mediis, apparatus, cæterisque denique, quæ ad activam partem conducant, administrari possit: verum hæc, quæ dixi, pro tenuitate judicii mei in medium adduxi; dominationes vestræ rem melius disponent. Universi non solum distributionem probarunt, sed etiam suis partibus acquieverunt. Verum, quia inclinabat dies, colloquium in mane crastinum differre consenserunt. Solummodo Pollio dixit. **POLLIO.** Sane, Eupolis, de me recte conjicis. Plane enim sentio, nisi orbem Christianum veluti pistillo contundatis, et novam inde massam conficiatis, de bello sacro spem nullam reliquam esse. Atque semper hoc apud

me statui, lapidem philosophicum, et bellum sacrum, diverticula tantum esse cerebrorum nonnihil læsorum; et eorum, qui plumas in capite gestant, non in pileo. Veruntamen, pro humanitate vestra, mihi credite; si vos quinque contraria senseritis, præsertim postquam ea, quæ in animo mihi sunt, recensuerim, paratus ero cum Hippocrate renunciare: *Athenienses insanire, solum autem Democritum sanum esse.* Atque, ne me a negotio penitus abhorrere judicetis, ab initio jam aliquid contribuam. Vos proculdubio varia et egregia comminiscimini; sed facite quod jubeo. Papa, qui nunc sedet, decrepitus est, et mors ejus quotidie exspectatur, non secus quam si campana jam pulsaret. Date operam, ut post eum eligatur papa, minime senex, annorum quasi inter quinquagesimum et sexagesimum: assumat autem sibi nomen Urbani; quia ejus nominis papa primo cruciatam instituit, et tanquam tuba sacra expeditionem in terram sanctam excitavit. EUPOLIS. Bene ais. Sed estò, si placet, paulo plus serius in hoc colloquio.

Die sequente iidem convenerunt, prout constituerant; cumque consedissent, et aliquid a Pollione facetiarum inspersum esset; qui sic ludebat; bellum jamdudum inchoatum esse; se enim, per totam noctem, nihil aliud, quam de Janisariis, et Sultanis, et Tartaris, somniasse; Martius dixit. MARTIUS. Distributio colloquii, quæ ab Eupolide heri facta est, et a nobis approbata, mihi sane videtur omnino perfecta et absoluta, præterquam una in parte: loquor autem, non de numero partium, sed de earundem ordine et collocatione. Ita enim dispositum est colloquium, ut Pollio et Eupolis possibilitatem aut impossibilitatem actionis ventilarent, antequam ego mediorum et apparatus declarationem explicaverim. Ipse autem sæpius animadverti in deliberationibus ingressum propinquiorem in considerationem modi rei gerendæ sive exsequendæ opinionem prius conceptam de possibilitate aut impossibilitate penitus subvertisse: adeo ut quæ primo intuitu possibile videbantur, inquirendo in modos perficiendi, impossibilitatis convicta fuerint: et e contrario, quæ impossibilia quis primo putasset, mediorum rursus explicatione (tanquam lumine



a dorso rerum posito, et affulgente) se ostenderit possible; quæ antea impervia putabantur, perviis factis. Hoc autem non eo dico, quo ordinem interloquendi immutarem, sed solummodo ut a Pollione et Eupolide impetrem, ne quid peremptorie et conclusive pronuncient, donec me de executionis modis disserentem audierint: atque deinde ad replicandum sine præjudicio se reservent, postquam ante oculos veluti modulum quendam rei gerendæ contemplati sunt. Pergrave istud, et sobrium Martii monitum, et cautio, plurimum a reliquis collaudata: unde Eupolis dixit. **EUPOLIS.** Cum Martius aliquid corrigere inceperit in eo, quod heri decretum est, licebit et mihi (præsertim in propositione quadam, quam ipse intuli) omissionis alicujus meminisse: quæ plus est quam collocatio partium præpostera. Quantum enim conjicio, addenda, et inserenda erat quæstioni de jure hæc appendix; quousque bellum sacrum sit prosequendum? Nempe; utrum usque ad eradicationem et exterminium populorum? Atque insuper, utrum res ad hoc deducenda sit, ut fides nova armis compellatur; religio falsa vi et suppliciis vindicetur; an potius, ut regiones et populi solummodo subjugentur; unde per gladium secularem via aperiat ad gladium spiritualem, qui persuasione, instructione, et hujusmodi remediis, quæ ad salutem animarum, et informationem conscientiarum, propria sunt, penetret? Sed fieri potest, ut hoc, quod tanquam omisum noto, seorsum in partem constitui opus non sit; quia Zebedæus, pro ea qua pollet prudentia, in eam sponte incidet; tanquam annexum quoddam quæstionis de jure; quæ discuti et determinari non potest, absque distinctionibus, et limitationibus. **ZEBEDÆUS.** Confirmator certe reddor, Eupolis, cum videam iudicio tuo (quod tanti æstimo) id probari, quod ipse apud me facere institueram. Quemadmodum enim Martius bene notavit, rem esse laxiorem de possibilitate disserere, priusquam modi ipsi conficiendi in medium adducantur; similiter se habet, de justitia definire, absque recensione et consideratione casuum particularium. A principio itaque casus distinguam: etsi veniam mihi dabitis,

si eos seorsum singulos nimis præcise non discutiam: nam et prolixum hoc foret; ac rursus, non in artibus aut methodis occupati jam sumus, sed in colloquio deliberativo. Primum igitur in genere quæritur (sicut Eupolis antea memoravit) utrum principibus Christianis, bellum invasivum inferre liceat, solummodo et simpliciter propter propagationem fidei, sine alia quapiam hostilitatis causa? Secundo, quæritur, posito in partem casus, quod regiones illæ olim Christianæ, et ecclesiæ membra erant, ubi *candelabrum aureum steterat*; etsi jam plane defecerint, neque reliquiæ ullæ sint Christianorum; utrum licitum non sit, bellum inferre, ut illæ ecclesiæ denuo reuniantur, tanquam vetus Christi patrimonium? Tertio quæritur, addito in partem casus ulteriorem, multitudinem adhuc Christianorum magnam in illis locis degere; utrum licitum non sit, bellum inferre, ad illos a jugo infidelium liberandos? Quarto, utrum bellum inferri juste non possit, ad recuperandum et expurgandum loca sacra et solennia, modo polluta et prophanata; qualia sunt civitas, et sepulchrum, sancta; et hujusmodi loca, ubi adoratio, et devotio, se imprimis exercuerunt? Quinto, utrum bellum licite geri non possit, ad ultionem capiendam de blasphemis, et contumeliis, vero Deo et Servatori nostro illatis; aut de effusione sanguinis Christiani, quamvis multis retro seculis facta; quandoquidem judicia divina cancellis temporum minime concludi, et multoties peccatorum tantum maturitatem expectare, constet? Sexto, in considerationem venit (id quod modo proposuit Eupolis) utrum bellum sacrum (quod, sicut causæ dignitate, ita et prosecutionis justitia, aliis omnibus præcellere debet) urgeri licite possit usque ad expulsionem et internecionem populorum, vim conscientis inferendam, atque hujusmodi acerbitates exercendas: vel qualis adhibenda sit moderatio, et limitatio; ne, dum Christianos nos esse meminerimus, alios homines esse oblivisci videamur. Intervenit tamen articulus quidam, qui hos universos præcedere debeat; et fere missos faciat, quantum ad hoc particulare bellum contra Turcas: qui in mentem mihi forsitan non venisset, nisi Martium heri

tyrannidem Turcarum, tam ad vivum, oratione sua depingentem, audissem; quam tu, Pollio, invectivam appellasti, licet revera justa esset et debita contestatio; et quanto in animo magis revolvo, tanto plus in opinione illa confirmor; arma scilicet pro imperio illo debellando, etsi religionis causam seponamus, licite sumi posse. Postquam Zebedæus ista dixisset, aliquantisper respiravit, si quid forte cæteri in eam rem injecissent: sed postquam nil aliud, quam silentium, et attentionis signa observaverat, ad ea, quæ dicturus erat, hoc modo perrexit.

**ZEBEDÆUS.** Dominationes vestræ, in hac quæstione, de jure belli sacri contra Turcas, non exspectabunt a me tractatum justum: sed sermonem tantum, qualis deliberationi conveniat: atque ad hujusmodi brevitatem, et modum dicendi, me componam. Primum hoc concedam; sicut belli causa justa esse debet; ita ejus causæ justitia oportet ut sit liquida; non obscura, aut scrupulis implicata. Etenim, omnium legum consensu, in causis capitalibus, probationes requiritur plenas esse et evidentes. Quod si hoc postulandum sit ubi uniùs vita periclitatur, quid de bello dicemus, ubi semper in innumeros mortis sententia fertur? Cavendum itaque imprimis, ne immolando cruorem hominum, per bellum injustum, beatissimum Servatorem nostrum, ac similitudinem Moloch, aut idoli ethnici, adoremus. Justitia actionis cujuscunque consistit; in meritis causæ; in legitima jurisdictionis auctoritate; atque in prosequendi modo debito: quantum enim ad intentionem interiorum, eam curiæ cæli relinquo. De his separatim, prout referri possint ad subjectum præsens belli sacri contra infideles, et nominatim contra potentissimum illum, et maxime formidabilem fidei hostem, Turcam. Equidem teneo, et confido me liquido probaturum (quantum per summam quandam, et capita tantum rerum, probatio haberi possit) bellum contra Turcam justum esse, et legitimum, tam jure naturali, quam jure gentium; necnon jure divino, quod illorum duorum est perfectio. Quatenus vero ad legem positivam, et civilem, vel Romanorum, vel aliorum quorumcunque; machinæ

sunt illæ certe nimis exiles, quæ tantæ quæstionis pondus regant. Itaque, meo iudicio, multi ex recentioribus scholasticis (etsi homines alias egregii) non recta quidem insistunt via ad quæstionem illam discutiendam; nisi forte donum Navii nacti sint, ut cotam novacula scindere queant. Primo, quantum ad legem naturæ: Aristoteles philosophus, non malus ejus legis interpret, multorum ingenia exercuit, scito illo ingenioso; de natura domino, et natura servo. Affirmando, disertis verbis, et peremptorie, usque a natalitiis res aliquas natas esse ad regendum, aliquas ad parendum: quod oraculum secundum varios sensus acceptum fuit. Acceperunt illud nonnulli pro sermone jactantiæ; ut Græcorum in barbaros imperandi jus assereret; quod thema defensum melius fuit a discipulo ejus Alexandro. Alii acceperunt veluti modulum quendam speculativum; quod natura et ratio hoc volunt et poscunt, ut meliores imperent; sed neutiquam ut jure hoc vindicare possint: verum ego, nec pro verborum jactantia, nec pro voto quodam aut optato, illud accipio; sed pro assertione vera, quemadmodum ab illo definitur, et limitatur. Sic enim asserit. Si inveniri possit disparitas talis et inæqualitas inter hominem et hominem, qualis inter hominem et brutum cernitur, aut inter animam et corpus, jus plane imperandi inducit: quod videtur potius suppositio impossibilis, quam sententia veritatis experts. Verum, mea quidem opinione, et sententia recta est, et suppositio possibilis; atque ejus naturæ, quæ locum habuit, et habet, tum in viris aliquibus, tum in nationibus. Sed antequam ad reliqua pergamus, ambigua quædam, et a sensu vero sermonis nostri multum aberrantia, ne interpellant, abigamus et relegemus. Si quis asserat, eos, qui magis ingenio pollent, et meritis præcellunt, jus tale ad imperandum obtinere, ut minus dignos per vim subjicere, et sibi in servitutem redigere, licitum sit, nugæ meræ sunt: suffragia hominum nunquam in eo coibunt, ut declaretur, quis sit dignior. Etenim, si ordinem naturæ spectes, non solum ei dominium debetur, qui intellectu eminent, ut Aristoteles asserit; sed non minus ad imperium requiruntur, for-

titudo, ad protegendum; et ante omnia, probitas et rectitudo, ad abstinendum ab injuria. Ita ut perplexa plane res sit, definire, quis ad imperandum habilis magis sit. Alii siquidem viri, aliæ gentes, in his præponi debent; alii in illis. Itaque thesis, quam adduco, non tenet in comparativo: nempe, ut prudentior, aut fortior, aut justior natio regere debeat; sed in privativo: hoc scilicet volumus; sicubi reperiatur ejusmodi cumulus aut congeries populi (etsi forsitan regnum vel imperium vocetur) omnino indigni qui imperent, justa belli causa oritur, ut ii subjugentur a natione alia civili, et ad imperandum habili: imo licet hoc a Cyro quopiam, aut Cæsare, qui Christiani non fuerunt, fieri supponatur. Secundus error, quem exulare volo, hic est: ne quis hoc a me dici putet de tyrannide aliqua personali; sicut imperium Romanum fuit sub Caligula, aut Nerone, aut Commodo: numquam populus, quæso, plecti debeat ob id, in quo jamdudum plectitur? Sed ubi ipsa status constitutio, et consuetudines, et leges ejus fundamentales (si modo leges appellari mereantur) jus naturæ et gentium plane convellunt: tum (inquam) bellum contra eos justum censi debet. Quæstionem autem istam in tres partes dividam. Primo, utrum existere possit natio aliqua, vel hominum cœtus, quibus justum sit bellum inferre, absque injuria aliqua præcedente, quæ vindicanda sit, aut provocatione? Secundo, quæ tandem sint illæ juris naturæ, et gentium, violationes et impugnationes, quæ omni jure ad regendum spoliant et privant? Tertio, utrum hujusmodi legis naturæ et gentium violationes inveniuntur hodie in aliqua gente; et nominatim in imperio Ottomannorum? Quantum ad primam; nullo modo affirmare hæsitaverim, gentes tales, aut cœtus hominum, existere posse. Hujus rei fundamenta poni non possunt magis solida, quam si in donationem imperii originalem et primitivam inspiciamus. Observa igitur verba donationis illius; præcipue præfationem. Dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et domine-tur piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ.* Hinc Franciscus de Victoria, et alii nonnulli, egregie

inferunt, atque extrahunt verissimum et plane divinum aphorismum; non fundatur dominium nisi in imagine Dei. Hic habemus chartam donationis omnis domini. Facilius itaque erit de causis revocationis aut amissionis ejusdem judicare. Imaginem si deleas, jus una cessat. At imago næc quid est, aut quomodo deletur? Pauperes Lugdunenses, et hujusmodi spiritus fanatici, respondebunt, imaginem Dei esse puritatem; id autem, quod delet, esse peccatum. Verum hoc ad eversionem imperii omnis spectat. Neque peccatum Adami, aut maledictio illud secuta, eum jure domini sui privavit, sed in creaturis rebellionem tantum, et reluctationem excitavit. Itaque (si diligenter attendas) cum charta ista Noacho et filiis, post diluvium, renovaretur, non fit per verba restitutionis domini, qualia erant prima: *Dominamini*, etc. Sed: *Terror vester, ac tremor vester erit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, cum universis, quæ moventur super terram*; imperium minime de novo concedendo, quod ratum manebat, sed contra reluctationem illud protegendo. Interpretes igitur saniores hanc imaginem interpretantur esse rationem naturalem; quæ si in toto, aut maxima ex parte, deformetur, jus imperii exstinguitur: atque si interpretum omnium sententias diligenter perpendas, de casu dubitant, non de lege. Sed hoc proprie tractandum veniet cum de secunda parte disseremus; quæ ipsas imaginis deformationes explicabit. Verum pergamus. Hoseas propheta, in persona Dei, de Judæis dicit: *Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes constituerunt, et non cognovi*. Qui locus aperte indicat dominia quædam esse, quorum Deus se auctorem negat. Etsi enim occulta ejus providentia ordinentur, voluntate tamen ejus revelata minime agnoscuntur. Neque hoc de gubernatoribus malis, aut tyrannis, intelligi potest (illi enim, in Scripturis, sæpenumero auctoritate muniuntur, et stabiliuntur, tanquam potestates legitimæ;) sed de perversitate aliqua, et totali defectione, in gente, aut populo ipso: quod ex eo liquido colligitur, quandoquidem propheta loquitur de dominio in abstracto, non de persona domini. Licet autem nonnulli ex iis, quos diximus, hæretici textu hoc abusi sint, eumque

male distorserint; sol tamen in transitu per cloacas non inquinatur. Atque insuper, si quis inferat ex verbis prophetæ sequentibus (quæ hanc rejectionem ob idololatriam eorum factam declarant) interpretatione ista omnium nationum idololatricarum destrui dominia (quod perspicue falsum est,) hoc meo iudicio non sequitur: idololatria enim Judæorum, eo tempore, atque idololatria ethnicorum, quæ tum fuit, et hodie invenitur, peccata sunt naturæ inter se multum discrepantis, respectu fœderis specialis, et manifestationis clarioris, quibus Deus seipsum nationi illi devinxit, et exhibuit. Hæc imperii nullitas, et domini privati, quam in nationibus aliquibus reperiri dicimus, significantius adhuc a Mose exprimitur in cantico suo, sub persona Dei, Judæos alloquentis: *Ipsi me provocastis in eo, qui non est Deus; et ego vos provocabo in eo, qui non est populus.* Tales (proculdubio) erant populi Cananæorum, et reliqui, post donationem terræ promissionis Israelitis factam. Ab eo enim tempore jus eorum in terram illam corrui, etsi in locis compluribus armis subjugati non fuerint, sed in possessione manserint. Ex hoc videre licet, nationes quasdam nomine-tenus existere, quæ nationes jure non sunt; sed multitudines tantum et examina populorum. Quemadmodum enim homines quidam sunt, quos ex-leges appellamus; proscripti scilicet per leges civiles diversarum regionum: ita etiam nationes quædam sunt, ex-leges factæ, et proscriptæ per jura naturæ et gentium, aut per mandatum Dei immediatum. Sicut etiam reges quidam sunt de facto, et non de jure, respectu nullitatis tituli eorum; ita nationes quædam reperiuntur, terras et possessiones suas de facto, et non de jure, occupantes, respectu nullitatis politiæ, aut regiminis sui. Sed recipiamus exempla aliqua in medium probationum nostrarum; etenim sic disposita, non minus probabunt, quam si in finem rejiciantur; tum vero illustrabunt magis. Indubitatum semper fuit, bellum contra piratas juste geri posse per nationem quamcunque, licet ab iis minime infestam aut læsam. An quia certas sedes, aut lares, non habent? At in piratico bello, a Pompeio Magno gesto

(quodque revera inter bella, quæ gessit, ei maxime honorificum et gloriosum fuit) piratæ nonnullas urbes tenuerunt, portus quamplurimos, etiam magnam provinciæ Ciliciæ partem: atque piratæ, qui hodie sunt, Julia Cæsarea receptum habent. Bestiæ non ideo minus feræ, quia speluncas habent. An quia periculum ab iis, tanquam nubes, volitat et volvitur, ut nesciamus in quam partem erupturum sit; adeo ut omnium, sine discrimine, res agatur? Ratio certe hæc posterior, bona; illi tamen non insunt omnia; neque profecto ea est, quæ ut plurimum allegatur. Vera enim causa hujus rei hæc est; quod piratæ communes humani generis hostes sint; quos idcirco omnibus nationibus persequi incumbit, non tam propter metus proprios, quam respectu fœderis inter homines socialis. Sicut enim quædam sunt fœdera in scriptis, et in tractatus redacta, contra hostes particulares iuta: ita naturalis et tacita confœderatio inter omnes homines intercedit, contra communes societatis humanæ hostes. Adeo ut, ad hujusmodi bella indicenda, non opus sit denunciatione aliqua solenni; non expectanda supplicatio a natione læsa ut summittantur auxilia; sed istiusmodi formulas omnes supplet jus naturæ in bello piratico. Idem censendum est de latronibus per terram, et insidiatoribus viarum; quales adhuc dicuntur pagi nonnulli Arabum; et reguli quidam montani, qui secus angustas vias, et a viatoribus frequentatas, habitant. Neque (ut prius de piratis dictum est) principibus tantum vicinis hos debellare conceditur; verum etiam, si quæ natio sit, quantumvis longe dissita, quæ merito et gloriæ sibi duceret bellum istud suscipere (veluti Romani olim bellum gesserunt pro liberanda Græcia) proculdubio hoc facere cum iustitia possint. Nec absimile pronuntio de regno assassinatorum jam extincto, quod situm erat super fines Saracæ, atque olim magno principibus orientis, pro tempore, terrori fuit. Ibi consuetudine receptum erat, ut regis mandato, et ex cæca obedientia eidem præstanda, quivis illorum obligatus esset, et veluti voto obstrictus, ad cædem cujusvis principis, aut personæ, perpetranda, quam rex suus designavit. Con-



suetudo ista, sine controversia, totum illud regimen invalidum reddidit, et nullo jure subnixum; tanquam machinam quandam, contra societatem humanam exstructam, quæ ab omnibus incendi et destrui meruit. Idem pronuntio de anabaptistis civitatis Monasteriensis, etiamsi imperatori rebelles non fuissent; atque etiamsi nil sceleris revera commisissent. Quin et si adhuc fuerit, aut in futurum exorturus sit hominum cœtus aliquis, qui teneret et poneret, omnia licita esse, non ex præscripto legum, aut regularum aliquarum, sed ex motu et instinctu secreto et vario spiritus; hic proculdubio natio nulla censenda, populus nullus, nulla politia, quam Deus agnoscit: cuivis sane nationi, populum hunc (si ad sanitatem redire recuset) exterminare penitus ex cœtu hominum, et a facie terræ delere licebit. Proponam jam exemplum rei fictæ: et tamen veteres in dubio reliquerunt, utrum res ficta fuerit, an historia vera. Illud intelligo de gente Amazonum; ubi regimen, tam publicum, quam privatum, etiam militia ipsa, penes fœminas residebat. Num quis sanæ mentis affirmaverit, hujusmodi imperium, contra ordinem naturæ, in principiis suis, institutum, non esse in se vacuum, et nullum, et prorsus abolendum? De summo fœminarum imperio non loquor; id enim consiliariis et magistratibus subordinatis masculis suffulcitur; verum, ubi regimen status, justitiæ, familiarum, a fœminis, et non aliis, administrabatur. Attamen exemplum hoc postremum a prioribus differt eo, quod in illis periculi metus supponatur, in hoc autem aberratio tantum a lege naturæ. Neque hæsitarem idem affirmare de sultania Mamalucorum, ubi servi, et nulli alii, pecunia empti, et stirpis incognitæ, liberis imperabant. Huic affine esset, si gentem aliquam supponas, apud quam consuetudo talis reciperetur, ut filii, quamprimum ad plenam ætatem pervenerint, parentes e possessionibus suis expellerent, et eis stipendium tantum solverent; exempla enim ista, imperii fœminarum in viros, filiorum in patres, servorum in liberos, similia et cognata inter se sunt; cum in his omnibus jus naturæ et gentium manifesto violetur et pervertatur. Quantum ad Indos occidentales, video, Marti, te Garcilazzum de Viega le-

gisse; qui et ipse e stirpe Incarum fuit, et proles mista extitit; atque virtutes, et mōres honestiores patriæ suæ libenter memorat; etsi certe sobrie hoc, et perquam modeste faciat. Attamen mihi haud facile persuadebis, nationes illas a quavis natione, quæ virtutibus moralibus culta et imbuta esset, subjugari non potuisse; licet propagatio fidei seponeretur, nec in partem casus admitteretur. Certe nuditas illorum, qua plerunque usi sunt, absque ullo omnino velo aut tegumento, magnæ deformitati fuit; siquidem in nuditatis conscientia sensus primus peccati constitit; atque hæresis Adamitarum semper habita est tanquam opprobrium naturæ. Sed hoc fervoribus regionis detur, quandoquidem sit illis cum aliis nonnullis gentibus commune. Neque rursus simplicitatem eorum commemorare placet, licet insignis fuerit; utpote qui equos fræna ipsorum manducare, literas autem loqui, et commissa sibi nunciare, putarent; et similia. Neque etiam sortilegia, divinationes, et magicas superstitiones narro; in quibus cum plerisque gentibus idololatriis communicabant. Verum affirmo, consuetudinem apud illos homines sacrificandi, et multo magis carnes humanas manducandi, tantam abominationem fuisse, ut erubescere cogatur, quicumque certe negaverit morem hunc execrabilem, cum aliis improbissimis conjunctum, Hispanis justam causam tribuisse territoria eorum invadendi, ut per legem naturæ proscripita; et populum vel reducendi, vel expellendi. Absit tamen a me crudelitibus et cædibus, quæ sub initiis adversus illos grassabantur, patrocinari; quæ certe mercedem suam paulo post receperunt; cum ne unus quidem ex primis earum regionum occupatoribus extiterit, qui non ipse violenta morte periret; quemque etiam mors et calamitas complurium e suis non aut comitabatur, aut a tergo insequeretur. Sed exemplorum satis; nisi forte huc adjicias labores Herculis: exemplum sane, quod licet fabulis multis turgeat, hoc tamen in primis habet, quod insigniter demonstrat omnium nationum et ætatum consensum in extirpationibus et debellationibus gigantum, monstrorum, et tyrannorum enormium approbandis, non solum tanquam

justis, sed tanquam facinoribus egregiis; quæque divinos, aut saltem heroicos, honores mererentur: atque hoc, licet liberator ille, quisquis tandem sit, ex una orbis extremitate ad alteram penetraret. Jam autem, exemplis his prælibatis, ad argumenta redeamus, pondus potius, quam numerum, spectantes, ut in hujusmodi colloquio par est. Primum argumentum hoc erit. Dammandus certe error ille, tanquam pusillanimitatis nimiae, si quis existimet nationibus et gentibus nullum inter se vinculum intercedere, nisi aut sub rege eodem uniantur, aut per pacta et fœdera socientur. Aliæ siquidem societatis obligationes sunt, et confœderationes tacitæ et implicitæ. Exempli gratia. Illa coloniarum, aut alio transmigrantium, erga nationem progenetricem suam. Neque pro nihilo habendum, si gentes unius labii sint: sicut enim confusio linguarum nota erat separationis; ita linguæ communio nota unionis. Iisdem legibus fundamentalibus, et consuetudinibus generalibus uti, adhuc majus quiddam est; quod genus conjunctionis in Græcis, respectu barbarorum, vigeat. Super omnia autem eminent magna illa et indissolubilis inter homines universos consanguinitas et societas, de qua poëta ethnicus (Paulo apostolo citante) *Ipsius enim et genus sumus*. Multo magis consanguinitatis illius jura inter nos Christianos colenda sunt; quibus specialiter revelatum, omnes homines ex una massa terræ prodiisse; cunctasque orbis generationes e duobus protoplastis propagatas esse. Nos (inquam) sine hæsitatione ulla agnoscere debemus, nullas gentes inter se peregrinas, aut sanguinis alieni esse; neque charitatis sensu minus affici, quam senex ille comicus præ se tulit, qui dixit: *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*. Quod si ea intercedit, qualem diximus, inter homines universos confœderatio, certe alicui fini inservit, nec prorsus otiosa est. Aliquas ergo actiones, aliquas res respicit. Quæ tandem illæ sunt? Num forte hoc fœdus contra feras, aut elementa ignis et aquæ, inicitur? Nequaquam: sed contra hominum cœtus et greges quospiam, qui a lege naturæ penitus desciverunt et degeneraverunt; quique in corpore ipso suo, et

fabrica status, monstrosum quiddam habent; qui denique, justa exempla dudum prolata, communes humani generis hostes et gravamina, atque insuper opprobria naturæ et dignitatis humanæ merito censeri possint. Tales hominum greges, omnium nationum interest tam vividi sensus esse, ut, si fieri possit, supprimant; quandoquidem populus ipse, qui talia patitur, remedium sibi ipsis præstare nequeunt. Atque hoc, quod dico, metiendum est, non tam ex principiis jureconsultorum, quam ex lege charitatis; lege proximi, quæ non minus Samaritanum, quam Levitam, includit; lege filiorum Adæ de massa una, super quas leges primitivas opinio ista fundatur; quas impugnare (si libere loqui liceat) fuerit propemodum in natura schismaticum esse.

*Reliqua perficere non vacabat.*

## MEDITATIONES SACRÆ.

---

### DE OPERIBUS DEI ET HOMINIS.

VIDIT Deus omnia, quæ fecerant manus ejus, et erant bona nimis: homo autem conversus, ut videret opera, quæ fecerunt manus ejus, invenit quod omnia erant vanitas et vexatio spiritus.

Quare si opera Dei operaberis, sudor tuus ut unguentum aromatum, et feriatio tua ut sabbatum Dei. Laborabis in sudore bonæ conscientiæ, et feriare in otio suavissimæ contemplationis. Si autem post magna hominum persequeris, erit tibi in operando stimulus et angustia, et in recordando fastidium et exprobratio. Et merito tibi evenit, o homo, ut cum tu, qui es opus Dei, non retribuas ei beneplacenciam, etiam opera tua reddant tibi fructum similem amaritudinis.

### DE MIRACULIS SERVATORIS.

*Bene omnia fecit.*

VERUS plausus: Deus, cum universa crearet, vidit quod singula, et omnia erant bona nimis: Deus Verbum in miraculis, quæ edidit (omne autem miraculum est nova creatio, et non ex lege primæ creationis) nil facere voluit, quod non gratiam et beneficenciam omnino spiraret. Moses edidit miracula, et profligavit Ægyptios pestibus multis; Elias edidit, et occlusit cælum ne plueret super terram; et rursus eduxit de cælo ignem Dei super duces et cohortes; Elizæus edidit, et evocavit ursas e deserto, quæ laniarent impuberes; Petrus Ananiam sacrilegum hypocritam morte, Paulus Elymam magum cæcitate percussit: sed nihil hujusmodi fecit Jesus. Descendit super eum

Spiritus in forma columbæ, de quo dixit, *Nescitis cujus spiritus sitis.* Spiritus Jesu spiritus columbinus; fuerunt illi servi Dei tanquam boves Dei triturantes granum, et conculcantes paleam; sed Jesus agnus Dei sine ira et judiciis. Omnia ejus miracula circa corpus humanum, et doctrina ejus circa animam humanam. Indiget corpus hominis alimento, defensione ab externis, et cura. Ille multitudinem piscium in retibus congregavit, ut uberiores victum hominibus præberet: ille alimentum aquæ in dignius alimentum vini ad exhilarandum cor hominis convertit: ille ficum, quod officio suo, ad quod destinatum fuit, ad cibum hominis videlicet, non fungeretur, areferi jussit: ille penuriam piscium et panum ad alendum exercitum populi dilatavit: ille ventos, quod navigantibus minarentur, corripuit: ille claudis motum, cæcis lumen, mutis sermonem, languidis sanitatem, leprosis carnem mundam, dæmoniis animum integrum, mortuis vitam restituit. Nullum miraculum judicii, omnia beneficiæ, et circa corpus humanum; nam circa divitias non est dignatus edere miracula, nisi hoc unicum, ut tributum daretur Cæsari.

DE COLUMBINA INNOCENTIA ET SERPENTINA  
PRUDENTIA.

*Non accipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.*

JUDICIO hominis depravato et corrupto omnis, quæ adhibetur, eruditio et persuasio irrita est, et despectui, quæ non ducit exordium a detectione et præsentatione malæ complexiouis animi sanandi; quemadmodum inutiliter adhibetur medicina non pertentato vulnere. Nam homines malitiosi, qui nihil sani cogitant, præoccupant hoc sibi, ut putent bonitatem ex simplicitate morum, ac inscitia quadam, et imperitia rerum humanarum gigni. Quare nisi perspexerint ea quæ versantur in corde suo, id est, penitissimas latebras malitiæ suæ perlustratas esse ei, qui suasum molitur, deridiculo habent verba prudentiæ; itaque ei, qui ad

bonitatem aspirat (non solitariam et particularem, sed seminalem et genitivam, quæ alios trahat) debent esse omnino nota, quæ ille vocat *profunda Satanæ*; ut loquatur cum auctoritate et insinuatione vera. Hinc est illud, *Omnia probate, quod bonum est tenete*; inducens electionem judiciosam ex generali minatione. Ex eodem fonte est illud: *Estote prudentes sicut serpentes, innocentes sicut columbæ*. Non est dens serpentis, nec venenum, nec aculeus, quæ non probata debeant esse; nec pollutionem quis timeat, nam et sol ingreditur latrinas, nec inquinatur; nec quis se Deum tentare credat, nam ex præcepto est, et sufficiens est Deus ut vos immaculatos custodiat.

#### DE EXALTATIONE CHARITATIS.

*Si gavisus sum ad ruinam ejus qui oderat me, et exaltavi quod invenisset eum malum.*

**DETESTATIO** Job: amicos redamare, est charitas publicanorum ex fœdere utilitatis; versus inimicos autem bene animatos esse, est ex apicibus juris Christiani, et imitatio divinitatis. Rursus tamen hujus charitatis complures sunt gradus, quorum primus est inimicis resipiscentibus ignoscere; ac hujus quidem charitatis etiam apud generosas feras umbra quædam et imago reperitur; nam et leones in se submittentes et prosternentes non ulterius sævire perhibentur. Secundus gradus est inimicis ignoscere, licet sint duriores, et absque reconciliationum piaculis. Tertius gradus est non tantum veniam et gratiam inimicis largiri, sed etiam merita et beneficia in eos conferre. Sed habent hi gradus, aut habere possunt, nescio quid potius ex ostentatione, aut saltem animi magnitudine, quam ex charitate pura. Nam cum quis virtutem ex se emanare et effluere sentit, fieri potest ut is efferatur, et potius virtutis suæ fructu, quam salute et bono proximi, delectetur. Sed si aliunde malum aliquod inimicum tuum deprehendat, et tu in interioribus cellulis cordis graveris et angustieris, nec, quasi dies ultionis et vin-

dictæ tuæ advenisset, læteris ; hoc ego fastigium et exaltationem charitatis esse pono.

#### DE MENSURA CURARUM.

*Sufficit diei malitia sua.*

MODUS esse in curis humanis debet, alioqui et inutiles sunt, ut quæ animum opprimant, et iudicium confundant ; et profanæ, ut quæ sapiant animum, qui perpetuitatem quandam in rebus mundanis sibi spondeat. Hodierni enim debemus esse ob brevitatem ævi, et non crastini, sed, ut ille ait, *carpentés diem, erunt enim futura præsentia vice sua* ; quare sufficit sollicitudo præsentium. Neque tamen curæ moderatæ, sive sint œconomicæ, sive publicæ, sive rerum mandatarum, notantur. Sed hic duplex est excessus. Primus cum curarum series in longitudinem nimiam et tempora remotiora extendimus, ac si providentiam divinam apparatu nostro ligare possemus ; quod semper etiam apud ethnicos infaustum et insolens fuit. Fere enim qui fortunæ multum tribuerunt, et ad occasiones præsentés alacres et præsto fuerunt, felicitate magna usi sunt. Qui autem, altum sapientes, omnia curata et meditata habere confisi sunt, infortunia subierunt. Secundus excessus est, cum in curis immoramur diutius quam opus est ad justam deliberationem et ad decretum faciendum. Quis enim nostrum est, qui tantum curet, quantum sufficit ut se explicet, vel sese explicare non posse iudicet, et non eadem sæpe retractet, et in eodem cogitationum circuitu inutiliter hæreat, et denique evanescat ? Quod genus curarum et divinis et humanis rationibus adversissimum est.

#### DE SPE TERRESTRI.

*Melior est oculorum visio, quam animi progressio.*

SENSUS purus in singula meliorem reddit conditionem et politiam mentis, quam istæ imaginationes et progressionés animi. Natura enim animi humani etiam in ingeniis gravissimis est, ut a sensu singulorum statim



progrediatur et saliat, et omnia augeretur fore talia, quale illud est quod præsentem sensum incutit: si boni est sensus, facilis est ad spem indefinitam; si mali est sensus, ad metum: unde illud, *Fallitur augurio spes bona sæpe suo*; et contra illud, *Pessimus in dubiis augur*. Sed tamen timoris est aliquis fructus; præparat enim tolerantiam, et acuit industriam:

*Non ulla laborum,  
O virgo, nova mi facies inopinave surgit:  
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.*

Virg.  
Æn. vi.  
103.

Spes vero inutile quiddam videtur. Quorsum enim ista anticipatio boni? Attende, si minus eveniat bonum quam speres, bonum licet sit, tamen quia minus sit, videtur damnum potius quam lucrum, ob excessum spei. Si par et tantum sit, et eventus sit spei æqualis, tamen flos boni per spem decerpitur, et videtur fere obsoletum, et fastidio magis finitimum. Si major sit successus spe, videtur aliquid lucri factum; verum est: sed annon melius fuisset sortem lucrifecisse nihil sperando, quam usuram minis sperando? Atque in rebus secundis ita operatur spes; in malis autem robur verum animi solvit. Nam neque semper spei materia suppetit, et destitutione aliqua vel minima spei universa fere firmitudo animi corrui; et minorem efficit dignitatem mentis, cum mala toleramus alienatione quadam et errore mentis, non fortitudine et iudicio. Quare satis leviter finxere poëtæ spem antidotum humanorum morborum esse, quod dolores eorum mitiget, cum sit revera incensio potius, et exasperatio, quæ eos multiplicari et recrudescere faciat. Nihilominus fit ut plerique hominum imaginationibus spei et progressionibus istis mentis omnino se dedant, ingrati in præterita, obliti fere præsentium, semper juvenes, tantum futuris immineant. *Vidi universos ambulantes sub sole cum adolescente secundo, qui consurget post eum; quod pessimus morbus est, et status mentis insanissimus*. Quæras fortasse annon melius sit, cum res in dubia exspectatione positæ sint, bene divinare, et potius sperare quam diffidere, cum spes majorem tranquillitatem animi conciliet. Ego sane in omni mora et exspectatione tranquillum et non fluctuantem animi

statum, ex bona mentis politia et compositione, summum humanæ vitæ firmamentum judico: sed eam tranquillitatem, quæ ex spe pendeat, ut levem et infirmam recuso. Non quia non conveniat tam bona, quam mala, ex sana et sobria conjectura prævidere et præsupponere, ut actiones ad probabilitatem eventuum magis accommodemus; modo sit hoc officium intellectus ac judicii cum justa inclinatione affectus. Sed quem ita spes coërcuit, ut cum, ex vigilantibus et firmo mentis discursu meliora, ut magis probabilia, sibi prædixerit, non in ipsa boni anticipatione immoratus sit, et hujusmodi cogitationi, ut somnio placido, indulserit? Atque hoc est quod reddit animum levem, tumidum, inæqualem, peregrinantem: quare omnis spes in futuram vitam cœlestem consumenda est. Hic autem quanto purior sit præsentium sensus absque infectione et tinctura imaginationis, tanto prudentior et melior anima. Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

#### DE HYPOCRITIS.

*Misericordiam volo, et non sacrificium.*

OMNIS jactatio hypocritarum est in operibus primæ tabulæ legis, quæ est de venerationibus Deo debitæ. Ratio duplex est, tum quod hujusmodi opera majorem habent pompam sanctitatis, tum quod cupiditatibus eorum minus adversentur. Itaque redargutio hypocritarum est, ut ab operibus sacrificii remittantur ad opera misericordiæ: unde illud, *Religio munda et immaculata apud Deum et patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum*; et illud, *Qui non diligit fratrem suum, quem vidit; Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere?* Quidam autem altioris et inflatioris hypocrisis, seipsos decipientes, et existimantes se arctiore cum Deo conversatione dignos, officia charitatis in proximum ut minora negligunt. Qui error monasticæ vitæ non principium quidem dedit (nam initia bona fuerunt) sed excessum addidit. Recte enim dictum est, *Orandi munus magnum esse*

*munus in ecclesia*; et ex usu ecclesiæ est, ut sint cœtus hominum, a mundanis curis soluti, qui assiduis et devotis precibus Deum pro ecclesiæ statu sollicitent. Sed huic ordinationi illa hypocrisis finitima est; nec universa institutio reprobatur, sed spiritus illi se effe-rentes cohibentur: nam et Enoch, qui ambulavit cum Deo, prophetizavit, ut est apud Judam; atque fructu suæ prophetiæ ecclesiam donavit. Et Johannes Baptista, quem principem quidam vitæ monasticæ volunt, multo ministerio functus est, tum prophetizationis, tum baptismationis. Nam ad alios istos in Deum officiosos refertur illa interrogatio, *Si juste egeris, quid donabis Deo, aut quid de manu tua accipiet?* Quare opera misericordiæ sunt opera discretionis hypocritarum. Contra autem fit cum hæreticis; nam ut hypocritæ simulata sua sanctitate versus Deum injurias suas versus homines obducunt; ita hæretici moralitate quadam versus homines blasphemias suas contra Deum insinuant.

#### DE IMPOSTORIBUS.

*Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.*

VERA est ista effigies, et verum temperamentum viri, cui religio penitus in præcordiis insedit, et veri operarii Dei. Conversatio ei quæ cum Deo est, plena excessus, et zeli, et extasis. Hinc gemitus ineffabiles et exultationes, et raptus spiritus, et agones. At quæ cum hominibus est, plena mansuetudinis, et sobrietatis, et morigerationis; hinc *omnia omnibus factus sum*, et hujusmodi. Contra fit in hypocritis et impostoribus: ii enim in populo et ecclesia incendunt se et excedunt, et veluti sacris furoribus afflati omnia miscent. Si quis autem eorum solitudines, et separatas meditationes, et cum Deo conversationes introspeciat, deprehendat eas non tantum frigidas et sine motu, sed plenas malitiæ et fermenti; sobrii Deo, mente excedentes populo.

## DE GENERIBUS IMPOSTURÆ.

*Devita prophanas vocum novitates, et oppositiones  
falsi nominis scientiæ.*

*Ineptas et aniles fabulas devita.*

*Nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.*

TRES SUNT sermones, et veluti styli imposturæ. Primum genus est eorum, qui statim ut aliquam materiam nacti sunt, artem conficiunt, vocabula artis imponunt, omnia in distinctiones redigunt, inde posita vel themata educunt, et ex quæstionibus et responsionibus oppositiones conficiunt: hinc scholasticorum quisquiliæ et turbæ. Secundum genus est eorum, qui vanitate ingenii, ut sacri quidam poëtæ, omnem exemplorum varietatem ad mentes hominum tractandas confingunt: unde vitæ patrum, et antiquorum hæreticorum figmenta innumera. Tertium genus eorum, qui mysteriis et grandiloquiis, allegoriis et allusionibus omnia implent: quod genus mysticum et gnosticum complures hæretici sibi delegerunt. Primum genus sensum et captum hominis illaqueat, secundum allicit, tertium stupefacit; seducunt vero omnia.

## DE ATHEISMO.

*Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.*

PRIMUM, *dixit in corde*, non ait, *cogitavit in corde*; hoc est, non tam ita sentit penitus, sed vult hoc credere: quoniam expedire sibi videt, ut non sit Deus, omni ratione sibi hoc suadere, et in animum inducere conatur: et tanquam thema aliquod vel positum vel placitum asserere et astruere et firmare studet. Manet tamen ille igniculus luminis primi, quo divinitatem agnoscimus, quem prorsus extinguere, et stimulum illum ex corde evellere frustra nititur. Quare ex malitia voluntatis suæ, et non ex nativo sensu et iudicio, hoc supponit, ut ait comicus poëta, *Tunc animus meus accessit ad meam sententiam*, quasi ipse alter esset ab animo suo. Itaque atheista magis dixit in corde, quam

sentit in corde, quod non sit Deus. Secundo, dixit in corde, non ore locutus est; sed notandum est hoc metu legis et famæ fieri, nam, ut ait ille, *Negare deos difficile est in concione populi, sed in consessu familiari expeditum*. Nam si hoc vinculum tollatur e medio, non est hæresis, quæ majore studio se pandere, et spargere, et multiplicare nitatur, quam atheismus. Nec videas eos, qui in hanc mentis insaniam immersi sunt, aliud fere spirare et importune inculcare, quam verba atheismi; ut in Lucretio Epicureo, qui fere suam in religionem invectivam singulis aliis subjectis intercalarem facit. Ratio videtur esse, quod atheista, cum sibi non satis acquiescat, æstuans, nec sibi satisfacens, et crebra suæ opinionis deliquia in interioribus patiens, ab aliorum assensu refocillari cupit. Nam recte dictum est: *Qui alteri opinionem approbare sedulo cupit, ipse diffidit*. Tertio, insipiens est, qui hoc in corde dixit; quod verissimum est, non tantum quod divina non sapiat, sed etiam secundum hominem. Primo enim ingenia, quæ sunt in atheismum proniora, videas fere levia, et dicacia, et audacula, et insolentia: ejus denique compositionis, quæ prudentiæ et gravitati morum adversissima est. Secundo, inter viros politicos, qui altioris ingenii et latioris cordis fuerunt, religionem non arte quadam ad populum adhibuerunt, sed interiore dogmate coluere, ut qui providentiæ et fortunæ plurimum tribuerint. Contra, qui artibus suis et industriis, et causis proximis, et apparentibus omnia ascripserunt, et, ut ait propheta, *retibus suis immolaverunt*, pusilli fuerunt politici, et circumforanei, et magnitudinis actionum incapaces. Tertio, in physicis et illud affirmo, parum philosophiæ naturalis, et in ea progressum liminarem ad atheismum opiniones inclinare: contra, multum philosophiæ naturalis, et progressum in ea penetrantem, ad religionem animos circumferre. Quare atheismus stultitiæ et inscitæ ubique convictus esse videtur, ut merito sit dictum insipientium, *Non est Deus*.

## DE HÆRESIBUS.

*Erratis, nescientes Scripturas, neque potestatem Dei.*

CANON iste mater omnium canonum adversus hæreses. Duplex erroris causa, ignoratio voluntatis Dei, et ignoratio vel levior contemplatio potestatis Dei. Voluntas Dei revelatur magis per Scripturas, *Scrutamini*; potestas magis per creaturas, *Contemplamini*. Ita asserenda plenitudo potestatis Dei, ne maculemus voluntatem. Ita asserenda bonitas voluntatis, ne minuamus potestatem. Itaque religio vera sita est in mediocritate inter superstitionem cum hæresibus superstitiosis ex una parte, et atheismum cum hæresibus prophanis ex altera. Superstitio repudiata luce Scripturarum, seque dedens traditionibus pravis vel apocryphis, et novis revelationibus, vel falsis interpretationibus Scripturarum, multa de voluntate Dei fingit et somniat, a Scripturis devia et aliena. Atheismus autem et theomachia contra potestatem Dei insurgit et tumultuatur, verbo Dei non credens, quod voluntatem ejus, revelat, ob incredulitatem potestatis ejus, cui omnia sunt possible. Hæreses autem, quæ ex isto fonte emanant, graviores videntur cæteris. Nam et in politiis atrocius est potestatem et majestatem minuere, quam famam principis notare. Hæresium autem, quæ potestatem Dei minuunt, præter atheismum purum tres sunt gradus, habentque unum et idem mysterium (nam omnis antichristianismus operatur in mysterio, id est, sub imagine boni) hoc ipsum, ut voluntatem Dei ab omni aspersione malitiæ liberent. Primus gradus est eorum, qui duo principia constituunt paria, ac inter se pugnantia et contraria, unum boni, alterum mali. Secundus gradus est eorum, quibus nimium læsa videtur majestas Dei in constituendo adversus eum principio affirmativo et activo: quare exturbata tali audacia, nihilominus inducunt contra Deum principium negativum et privativum. Nam volunt esse opus ipsius materiæ et creaturæ internum et nativum et substantivum, ut ex se vergat et relabatur

ad confusionem et ad nihilum; nescientes ejusdem esse omnipotentiae ex aliquo nihil facere, cujus ex nihilo aliquid. Tertius gradus est eorum, qui arctant et restringunt opinionem priorem tantum ad actiones humanas, quæ participant ex peccato, quas volunt substantive, absque nexu aliquo causarum, ex interna voluntate et arbitrio humano pendere, statuuntque latiores terminos scientiæ Dei quam potestatis, vel potius ejus partis potestatis Dei (nam et ipsa scientia potestas est) qua scit, quam ejus qua movet et agit: ut præsciat quædam otiose, quæ non prædestinet et præordinet. Et non absimile est figmento, quod Epicurus introduxit in Democritismum, ut fatum tolleret, et fortunæ locum daret, declinationem videlicet atomi, quod semper a prudentioribus inanissimum commentum habitum est. Sed quidquid a Deo non pendet, ut auctore et principio, per nexus et gradus subordinatos, id loco Dei erit, et novum principium, et deaster quidam. Quare merito illa opinio respuitur, ut læsio et diminutio majestatis et potestatis Dei. Et tamen admodum recte dicitur, quod *Deus non sit auctor mali*, non quia non auctor, sed quia non mali.

#### DE ECCLESIA ET SCRIPTURIS.

*Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione  
linguarum.*

CONTRADICTIONES linguarum ubique occurrunt extra tabernaculum Dei. Quare quocunque te verteris, exitum controversiarum non reperies nisi huc te receperis. Dices, verum est, nempe in unitatem ecclesiæ. Sed adverte. Erat in tabernaculo arca, et in arca testimonium vel tabulæ legis. Quid mihi narras corticem tabernaculi, sine nucleo testimonii? Tabernaculum ad custodiendum et tradendum testimonium erat ordinatum. Eodem modo et ecclesiæ custodia et traditio per manus Scripturarum demandata est, sed anima tabernaculi est testimonium.

## EPISTOLÆ.

## I. Epistola ad FULGENTIUM.

*Reverendissime P. Fulgenti,*

FATEOR me literarum tibi debitorem esse: suberat excusatio justa nimis; implicatus enim fueram gravissimo morbo, a quo necdum liberatus sum. Volo reverentiæ tuæ nota esse consilia mea de scriptis meis, quæ meditor et molior: non perficiendi spe, sed desiderio experiundi; et quia posteritati (secula enim ista requirunt) inservio. Optimum autem putavi ea omnia, in Latinam linguam traducta, in tomos dividere. Primus tomus constat ex libris *De augmentis scientiarum*: qui tamen, ut nosti, jam perfectus et editus est, et partitiones scientiarum complectitur; quæ est *Instaurationis meæ* pars prima. Debuerat sequi *Novum Organum*; interposui tamen scripta mea moralia et politica, quia magis erant in promptu. Hæc sunt: primo, *Historia regni Henrici septimi regis Angliæ*; deinde sequetur libellus ille, quem vestra lingua *Saggi morali* appellastis. Verum illi libro nomen gravius impono, scilicet ut inscribatur, *Sermones fideles, sive Interiora rerum*. Erunt autem sermones isti, et numero aucti, et tractatu multum amplificati. Item continebit tomus iste libellum *De sapientia veterum*: atque hic tomus (ut diximus) interjectus est, et non ex ordine *Instaurationis*. Tum demum sequetur *Organum Novum*; cui secunda pars adhuc adjicienda est, quam tamen animo jam complexus et metitus sum. Atque hoc modo secunda pars *Instaurationis* absolvetur. Quod ad tertiam partem *Instaurationis* attinet, historiam scilicet naturalem, opus illud est plane regium aut papale, aut alicujus collegii aut ordinis; neque privata industria pro merito perfici potest. At portiones illæ, quas jam in lucem edidi,



*De Ventis, De vita et morte*, non sunt historia pura propter axiomata et observationes majores interpositas, sed genus scripti commistum ex historia naturali et machina intellectus rudi et imperfecta; quæ est *Instaurationis* pars quarta. Itaque succedet illa ipsa quarta pars, et multa exempla machinæ continebit magis exacta, et ad inductivas regulas magis applicata. Quinto sequetur iste liber, quem *Prodromum philosophiæ secundæ* inscripsimus; qui inventa nostra circa nova axiomata ab experimentis ipsis excitata continebit; ut tanquam columnæ jacentes sustollantur: quem posuimus *Instaurationis* partem quintam. Postremo superest philosophia ipsa secunda, quæ est *Instaurationis* pars sexta; de qua spem omnino abjecimus: sed a seculis et posteritate fortasse pullulabit. Attamen, in prodromis (iis dico tantum, quæ ad universalialia naturæ fere pertinent) non levia jacta erunt hujus rei fundamenta. Conamur (ut vides) tenues grandia: in eo tantum spem ponentes, quod videntur ista a Dei providentia et immensa bonitate profecta. Primo, propter ardorem et constantiam mentis nostræ, quæ in hoc instituto non consenuit, nec tanto temporis spatio refrixit. Equidem memini me quadraginta abhinc annis juvenile opusculum circa has res confecisse, quod, magna prorsus fiducia et magnifico titulo, *Temporis partem maximum* inscripsi. Secundo, quod propter infinitam utilitatem Dei opt. max. auctoramento gaudere videatur.

Commendatum, rogo, me habeat reverentia vestra illustrissimo viro domino Molines, cujus suavissimis et prudentissimis literis quam primum, si Deus volet, rescribam. Vale, P. reverendissime.

*Reverentiæ tuæ amicus addictissimus,*

FR. ST. ALBAN.

II. Rescriptum Procuratoris regis primarii, ad ACADEMIAM CANTABRIGIENSEM, quando in sanctius regis concilium cooptatus fuit.

GRATÆ mihi fuere literæ vestræ, atque gratulationem vestram ipse mihi gratulor. Rem ipsam ita mihi

honori et voluptati fore duco, si in hac mente maneam, ut publicis utilitatibus, studio indefesso et perpetuis curis et puro affectu, inserviam. Inter partes autem reipublicæ nulla animo meo carior est, quam academiæ et literæ: idque et vita mea anteacta declarat et scripta. Itaque quicquid mihi accesserit, id etiam vobis accessisse existinare potestis. Neque vero patrocini-um meum vobis sublatum aut diminutum esse credere debetis: nam et ea pars patroni, quæ ad consilium in causis adhibendum spectat, integra manet; atque etiam (si quid gravius acciderit) ipsum perorandi munus (licentia regis obtenta) relictum est; quodque juris patrocini-um deerit, id auctiore potestate compensabitur. Mihi in votis est, ut quemadmodum a privatorum et clientelarum negotiis ad gubernacula reipublicæ translatus jam sum; ita, et postremæ ætatis meæ pars (si vita suppetit) etiam a publicis curis ad otium et literas devehit possit. Quin etiam sæpius subit illa cogitatio, ut etiam in tot et tantis negotiis, tamen singulis annis aliquos dies apud vos deponam: ut ex majore vestrarum rerum notitia vestris utilitatibus melius consulere possim.

*Amicus vester maxime fidelis et benevolus,*

FR. BACON.

5 Julii, 1616.

III. FRANCISCUS baro de Verulamio, vicecomes Sancti Albani, Almæ matri inclytæ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSI salutem.

DEBITA filii, qualia possum, persolvo. Quod vero facio, idem et vos hortor; ut augmentis scientiarum strenue incumbatis, et in animi modestia libertatem ingenii retineatis, neque talentum a veteribus concredutum in sudario reponatis. Affuerit proculdubio et affulserit divini luminis gratia, si, humiliata et submissa religioni philosophia, clavibus sensus legitime et dextre utamini, et, amoto omni contradictionis studio, quisque cum alio, ac si ipse secum, disputet. Valet.

## IV. Inclytæ ACADEMIÆ OXONIENSI S.

CUM almæ matri meæ inclytæ academiæ Cantabrigiensi scripserim, deessem sane officio, si simile amoris pignus sorori ejus non deferrem. Sicut autem eos hortatus sum, ita et vos hortor, ut scientiarum augmentis strenue incumbatis, et veterum labores neque nihil neque omnia esse putetis; sed vires etiam proprias modeste perpendentes, subinde tamen experiamini: omnia cedent quam optime, si arma non alii in alios vertatis, sed junctis copiis in naturam rerum impressionem faciatis; sufficit quippe illa honori et victoriæ. Valet.

V. Rescriptum ACADEMIÆ OXONIENSIS  
FRANCISCO BACONO.

*Prænobilis et (quod in nobilitate pene miraculum est)  
scientissime vicecomes!*

NIHIL concinnius tribuere amplitudo vestra, nihil gratius accipere potuit academia quam scientias: scientias, quas prius inopes, exiguas, incultas emiserat, accepit tandem nitidas, proceras, ingenii tui copiis (quibus unice augeri poterant) uberrime dotatas. Grande ducit manus illud sibi a peregrino (si tamen peregrinus sit, tam prope consanguineus) auctius redire, quod filiolis suis instar patrimonii impendit; et libenter agnoscit hic nasci Musas, alibi tamen quam domi suæ crescere. Creverunt quidem, et sub calamo tuo, qui, tanquam strenuus literarum Alcides, columnas tuas, mundo immobiles, propria manu in orbe scientiarum, plus ultra statuisti. Euge exercitatissimum athletam, qui in aliorum patrocinandis virtutibus occupatissimus, alios; in scriptis propriis teipsum superasti: quippe in illo honorum tuorum fastigio, viros tantum literatos promovisti, nunc tandem (o dulce prodigium!) etiam et literas. Onerat clientes beneficii hujus augustior munificentia; cujus in accipiendo honor apud nos manet, in fruendo emolumentum transit usque in posteros. Quin ergo si gratiarum talioni impares su-

mus, juncto robore alterius seculi nepotes succurrant, qui reliquum illud, quod tibi non possunt, saltem nomini tuo persolvent. Felices illi, nos tamen quam longe feliciores, quibus honorifice conscriptam tua manu epistolam, quibus oculatissima lectitandi præcepta, et studiorum concordiam, in fronte voluminis demandasti: quasi parum esset Musas de tua penu locupletare, nisi ostenderes quo modo et ipsæ discerent. Solenniori itaque osculo acerrimum judicii tui depositum excepit frequentissimus purpuratorum senatus; exceperunt pariter minoris ordinis gentes; et quod omnes in publico librorum thesaurario, in memoria singuli deposuerunt.

*Dominationis vestræ studiosissima,*

ACADEMIA OXONIENSIS.

E domo nostro Congregationis  
20 Decem. 1623.

VI. FRANCISCUS baro de Verulamio, vicecomes Sancti Albani, percelebri collegio SANCTÆ et INDIVIDUÆ TRINITATIS in Cantabrigia salutem.

RES omnes earumque progressus initiis suis debentur. Itaque cum initia scientiarum e fontibus vestris hauserim, incrementa ipsarum vobis rependenda existimavi. Spero itidem fore, ut hæc nostra apud vos, tanquam in solo nativo, felicius succrescant. Quamobrem et vos hortor, ut salva animi modestia, et erga veteres reverentia, ipsi quoque scientiarum augmentis non desitis: verum ut post volumina sacra verbi Dei et Scripturarum, secundo loco volumen illud magnum operum Dei et creaturarum, strenue et præ omnibus libris (qui pro commentariis tantum haberi debent) evolvatis. Valete.

VII. Almæ matri ACADEMIÆ  
CANTABRIGIENSI.

\* vii. CUM vester filius sim et alumnus, voluptati mihi  
Novum erit, \* partum meum nuper editum vobis in gremium  
Organum. dare: aliter enim velut pro exposito eum haberem.

Nec vos moveat, quod via nova sit; necesse est enim talia per ætatum et seculorum circuitus evenire. Antiquis tamen suis constat honos; ingenii scilicet: nam fides verbo Dei et experientiæ tantum debetur. Scientias autem ad experientiam retrahere non conceditur: at easdem ab experientia de integro excitare, operosum certe, sed pervium. Deus vobis, et studiis vestris faveat.

*Filius vester amantissimus,*

FRANC. VERULAM, *Cancel.*

Ex ædibus Eborac. Oct. 3, 1620.



# INDEX RERUM

IN

VOLUMINIBUS SEPTIMO, OCTAVO, NONO,  
ET DECIMO.

- AARON orator . . . . . Vol. vii. Pag. 297  
Abecedarium naturæ, vii. 83. viii. 244, ejus norma . . . . . 246  
Abel et Cain imago duarum vitarum . . . . . vii. 88  
In Aber Barry murmur flatuum in clivo quodam sub terra auditur  
viii. 295  
Abies dat picem . . . . . viii. 89  
Abramus piscis . . . . . viii. 361  
Abstergentia et purgantia . . . . . viii. 415  
Absumptio humidi, viii. 188, 205, 348. Vid. Desiccatio, 352, 355  
Absynthium stomacho utile, viii. 423. Infusio ejus in cervisia  
præcipitur . . . . . ib.  
Academiæ, vii. 112. Quæ necessaria iis instruendis ornandisque  
113, 114  
Academicorum secta . . . . . viii. 387  
Academia nova . . . . . viii. 30  
Academiarum arctior conjunctio valde utilis . . . . . vii. 116  
Academiæ mores progressui scientiarum obstant . . . . . vii. 31  
Academici et sceptici philosophi scientiæ certitudinem abstulerunt  
vii. 84, 250  
Acatalepsiæ opinio, vii. 250. Acatalepsia Platonis . . . . . viii. 23, 69  
Accensio luminis naturalis . . . . . ix. 297  
Accentus verborum et pronunciatio . . . . . vii. 284  
Accidentales generationes ventorum . . . . . viii. 299  
Accipiter ad annos quadraginta vivit . . . . . viii. 359  
Accumulatio legum . . . . . vii. 452  
Acedo sive acrimonia potus, putrefactionis genus . . . . . viii. 432  
Acetum turbinem compescere perhibetur . . . . . viii. 306  
Acerbitas legum . . . . . vii. 439  
Acheloï et Herculis certamen; ad belli expeditiones hæc fabula  
pertinet . . . . . x. 199  
Acida generationi succi roscidi opposita . . . . . viii. 420, 460  
Acosta de fluxu et refluxu maris, viii. 144. Non satis constat sibi  
de asseclis ventis, qui spirant ad Peruviam et litora maris  
australis, 286. Ejus observatio de Plata et Potosa . . . . . 295  
Acoustica . . . . . vii. 170  
Acria ad palatum vitanda . . . . . viii. 402, 420  
Acroamaticum sive ænigmaticum dicendi genus dehonestatum  
vii. 292

## INDEX.

- Actæonis fabula curiositatem illicitam coërcere excogitata x. 180  
 Actiaca pugna . . . . . vii. 437  
 Actiones theatrales maxime utiles, vii. 145. Earum utilitas denuo, 234.  
     Actionis theatralis usus multiplex . . . . . 343  
 Actiones præsentis nosse plurimum prodest . . . . . vii. 407  
 Actiones ad amplificandas literas circa tria versantur objecta, vii. 110.  
     Actio naturalis . . . . . viii. 166  
 Actionum solennitates . . . . . vii. 131  
 Acuminatum fortius penetrat quam obtusum . . . . . vii. 301  
 Acus nauticæ inventio, viii. 56, ix. 183. Motus ejus convenit cum  
     cœlestibus, viii. 57. Ejus versorium . . . . . 149  
 Adamas præcellit auro . . . . . vii. 306  
 Additamenta quinque utilia historiæ naturali . . . . . viii. 233  
 Aditus facilis et vultus comis . . . . . vii. 379  
 Admiratio proprie quid, vii. 58. Est semen scientiæ, ib. Admiratio  
     est proles raritatis, viii. 134. Admiratio Deum spectat, scientia  
     creaturas . . . . . vii. 58  
 Adolescentes spe beati . . . . . vii. 348  
 Adonidis statua . . . . . vii. 75  
 Adrianus secreti investigator inexplebilis . . . . . vii. 94  
 Adrianus de Castello, nuncius papæ . . . . . ix. 420  
 Adversæ, res adversæ . . . . . x. 14  
 Adulatio literarum dignitati nocet, vii. 72. Ejus turpitudine, ib. Ma-  
     gis ex more, quam malitia, 334. Aucupii genus . . . . . ib.  
 Advocatum quid commendat, vii. 216. Eorum perorationes 456  
 Ædificia, x. 114. De iis præcepta . . . . . ib.  
 Ædificii partes efformare aliud, aliud compaginare . . . . . vii. 358  
 Ægyptus septem annos fertiles, totidem steriles habuit . . . . . vii. 379  
 Ægyptii vetustissimi indagatores antiquitatis, vii. 88, 247. Iis pluri-  
     mæ artes debent initium . . . . . 247  
 Ægyptii sacerdotis de Græcis vaticinium, viii. 27. Rerum invento-  
     ribus divinitatem tribuerunt . . . . . 28  
 Ægyptii, cur tot brutorum effigies in templis consecrabant ix. 180  
 Ægyptii non pro longævis memorantur . . . . . viii. 368  
 Æmuli et æquales considerandi . . . . . vii. 413  
 Æneæ oraculum . . . . . vii. 135  
 Ænigmata Sphingis . . . . . vii. 146, x. 214  
 Ænigmata dehonesta, vii. 292. Eorum usus et fines . . . . . ib.  
 Æoli regnum, fictio poëtarum . . . . . viii. 294  
 Æoli regnum sub terra collocatum . . . . . ib.  
 Æquinoctialis linea, ibi homines bene diu vivunt . . . . . viii. 381  
 Æquivocationes sunt sophismata sophismatum . . . . . vii. 271  
 Aëris constitutio pestilens, vii. 183. Aër ambiens prædatorius, 228.  
     Aëres magis et minus salubres dignoscendi, 259. Aëris motus,  
     267. Aër furentem concipit calorem si concludatur, viii. 84, 90.  
     De aëre concluso inquirendum, 91. Facillime excipit et remittit  
     calorem, 103. Aëris dilatatio et expansio, 108. Frigora intensa  
     in media aëris regione, 129. Aër nunquam exuit fluorem, 137  
 Aër subter aquam ascendit pressura aquæ, viii. 141. Aër non est  
     flamma accensa, 153, 190. Super aquam se multiplicat, 174  
     Aëris extensio in ovis vitreis . . . . . 181  
 Aër expirat a terra primo sensim et sparsim, dein invalescit et fit



## INDEX.

- ventus, viii. 294. In terra clausus varias ob causas erumpere com-  
 pellitur, 296. Aëris tumores sive superonerationes, 297. Aër ex-  
 pansus in ventosis, ix. 24. Aër sibi quædam assimilatur, 39. Qua-  
 lem rarefactionem sustineat, 40. De aëre observationes variæ, 41,  
 47, 56. Quousque condensari potest, 56. Aër desiccatur, nun-  
 quam colliquitur, viii. 348. Aër aquave ambiens corpora utrum magis  
 noceat, 360. Quo statu minus prædatorius, 381, 410. Aëris  
 salubritas, 382. Æqualitas et mutatio ejus, ib. Purus, spiritus  
 densatur, 399. Exclusus ad vitæ diuturnitatem confert, 409. Mu-  
 tatio quatenus utilis et noxia, 414. Quinam optimus ad cor conso-  
 landum, 425. Aëris bonitas, ib. Nimis calidus suffocat, 442.  
 Aër substantia fixa, 445, 464. Aër in nive et spuma, 453. Aër  
 et flamma heterogenea, ix. 244. Evolutio spiritus in aërem tan-  
 quam ad globum connaturalium suorum, viii. 455. Crassior  
 flamma et spiritu, tenuior aqua, 456. Consubstantialis et homo-  
 geneus aquæ, 459, 464. Exclusus confert ad longævitatē, 459.  
 Cum flamma et spiritu comparatur, 464. Aëris superoneratio  
 unde, ib. Quantum confert ad sonum, ix. 84, 87. Aëris regio  
 superior, 139. Media, ib. Incrassatur in fodinis, ad tempora  
 fluxus maris, 144. Aër et flamma quo fœdere maximam partem  
 universi occupant, 242. Aër principium rerum secundum Ana-  
 ximenem, 326. Natura sua calidus secundum Telesium, 343.  
 Spuma constat ex aëre et liquore . . . . . 17  
 Æschines voluptatibus deditus, vii. 64. Redarguitur a Demosthene,  
 ib. De rebus gestis Alexandri Magni eloquium . . . . . viii. 50  
 Æsculapius, vii. 214. Medicinæ deus . . . . . ib.  
 Æsculapio quare Circe a poëtis data soror . . . . . vii. 216  
 Æsopi fabulæ, vii. 146. Vide Fabula.  
 Æstas serena autumnum ventosum præmonstrat, etc. . . . . viii. 328  
 Æstimatio virium ad bellum necessaria . . . . . vii. 160  
 Æstatis opera sunt longe subtiliora quam ignis . . . . . viii. 209  
 Ætas desiccatur, et quomodo, viii. 348. Ætas quadrupedum, 355.  
 Avium, 358. Piscium, 361. Hominum ante diluuium 366. Post,  
 ib. Prout in Ethnicis auctoribus reperitur, 368. Virorum eccle-  
 siasticorum . . . . . 374  
 Ætas producta intra speluncas et antra . . . . . viii. 410  
 Ætate provectorum catalogus . . . . . viii. 366  
 Ætates animalium decursu seculorum non minuuntur . . . . . viii. 380  
 Æternitas, non cogitari potest quomodo deflexerit . . . . . viii. 11  
 Æther an continuus, contiguusve, ix. 218. Interstellaris qualis, 244  
 Ætna flammam verisimiliter et aërem evomit . . . . . viii. 96  
 Affectationes vanæ, vii. 73. Affectatio ingenuitatis, putredo lucens,  
 332  
 Affectus animorum nemo melius descripsit, quam poëtæ et historici,  
 vii. 368. Quomodo compescendi, etc. ib. Etiam sepulti resur-  
 gunt, 164. Nunquam acquiescunt, ib. Indomiti sunt instar  
 tigridum, ib. Deformes et inconditi, ib. Quod experientia  
 repudiavit, ambiunt, 165. Sunt hederæ similes, ib. In religio-  
 nibus luxuriantur, ib. Sunt brevis furor, ib. Quomodo a ratione  
 differunt, 298. Ad bonum apparens feruntur, 300. Vehemen-  
 tiores affectus ambigui sunt sexus, 164. Affectibus multum do-  
 minatur os ventriculi . . . . . viii. 409  
 Affectus militares longævitati prosunt . . . . . viii. 387

## INDEX.

Affectus nonnulli faciunt ad calorem robustum . . .	viii. 402
Affectus animi, qui noxii, qui utiles, viii. 405. Spes utilissima, 406. Quinam cor roborant . . .	. . . 427
Affectus animorum senilis et juvenilis . . .	viii. 449, 459
Affectuum molestorum cohibitio . . .	viii. 404
Affectuum via brevis . . .	viii. 459
Afflictiones . . .	x. 14
Africa antiquis non cognita ultra citimam Æthiopiæ partem, viii. 28. Africa similes habet isthmos, etc. . . .	129, 144
Africæ populus non longævus . . .	viii. 381
Agens, patiens . . .	vii. 354
Agasilai de Pharnabazo dictum, vii. 68. Inchoavit subversionem Persiæ, 101. Comparatur Timoleonti . . .	313
Agasilai Spartani longævitas . . .	viii. 369
Agilitas funambulorum . . .	vii. 231
Agitatio comminuit spiritus . . .	viii. 457
Agricoltura, qualis tractatus isti arti inserviret, vii. 367. Agricul- tura exercenda a fundi dominis . . .	vii. 432
Agrippina, vii. 107. Tiberium verbis aculeatis commovet . . .	409
Alacritas nimia cohibenda . . .	vii. 412
Albedinis causa in nive . . .	vii. 194
Albertus notatur . . .	vii. 79
Album prætoris apud Romanos . . .	vii. 448
Alchemia multum habet phantasæ . . .	vii. 79
Alchemistæ et Paracelsus refutantur, vii. 214. Eorum opera, viii. 39. Error et inscitia, 209. Inventa eorum . . .	ib.
Alchemistæ in spei amplexibus senescunt, ix. 162. Artis eorum sublevatio . . .	ib.
Alexander Magnus, vii. 60. Ejus expeditio in Asiam, quomodo pri- mo excepta, 82. Achilli præconem Homerum invidit, 95. Ab Aristotele, Callisthene, aliisque edoctus, ib. Maluit doctrina quam imperio omnibus præcellere, ib. Cassandrum perstrinxit, Calli- sthenem clam odio habuit, vii. 96. Assentatores irrisit, ib. Anti- patrum perstrinxit et Parmenionem, 97. Noluit suffurari victo- riam, 97. Summus logicus, 96. In rhetoricis elegantissimus, 97. In politicis versatissimus, ib. Ejus de Darii arcula iudicium, viz. ut Homeri opera in ea asservarentur sententiam tulit, 95. Epistola objurgatoria ad Aristotelem missa, 96. Apophthegma in Dioge- nem, ib. Magnam vim pecuniæ suppeditavit Aristoteli, 114. Non in finitimis bellis occupatus, 158. Dictum ejus de somno et venere . . .	96, 324
Alexandri M. res gestæ ab Æschine pro miraculo habitæ, viii. 50. De eo aliter locutus T. Livius . . .	ib.
Alexandri Borgiæ dictum . . .	vii. 205
Alexandri Severi imperium . . .	vii. 61
Algebra non bene consummata . . .	vii. 204
Alkermes confectio . . .	vii. 223
Alimentandi vis et potentia . . .	viii. 443
Alimentatio quatuor modis promovetur . . .	vii. 229
Alimentatio varii generis, viii. 364. Quomodo perficitur, ib. Per clysteria, 366. Ejus actiones, ib. Differentia et historia, ib. Per exterius longævitati utilissima . . .	460
Alimenti via et transitus, viii. 364. Alimenti natura qualis esse de-	

## INDEX.

beat, 418. Alimenti assumptio, spiritus vivi opus, 445. Ejus quantitas quonam abit tota, cum non tota excernatur, neque omne reliquum convertatur in succos et substantiam corporis, 444. Ejus renovatio quotidiana, 443. Calculi indigentiae ejus, 444. Alimenti tempus . . . . . 443	
Allegoriæ in antiquorum fabulis admittendæ . . . . . x. 158	
Aloë hepatis noxia . . . . . viii. 424	
Alphabetum vulgare et occultum, vii. 287. Nullum in regno Sina- rum . . . . . viii. 38	
Alpibus et montibus nivalibus non reperitur insignis aliqua vitæ longitudo . . . . . viii. 381	
Altaris fabrica ab Herone descripta . . . . . ix. 24	
Alteratio et redintegratio spirituum . . . . . viii. 407	
Alteratio quomodo fiat . . . . . ix. 129	
Altercationes vanæ scholasticorum . . . . . vii. 76	
Alternatio et varietas . . . . . viii. 457	
Alvus ventris juventute siccior, vergente ætate humidior, signum longævitatæ . . . . . viii. 385	
Amadicius de Gallia . . . . . viii. 41	
Amanuensium inscitia in aulis principum . . . . . vii. 289	
Amare et sapere non semper cuique conceditur . . . . . vii. 27	
Amatus discipulus Johannes apostolus . . . . . viii. 374	
Ambigua quomodo tollenda . . . . . vii. 456	
Ambitio est pestis hominum, vii. 356. Ejus genera . . . . . viii. 72	
Ambitio professorum impedit progressum scientiæ . . . . . ix. 164	
Ambitio, x. 99. Ejus natura . . . . . ib.	
Ambitosorum usus, x. 100. Quomodo coercendi . . . . . ib.	
Ambragrisia cordiale, viii. 389. Ambræ, opiati secundarii, 398. Usus ejus insignis in vita prolonganda . . . . . ib.	
Ambrosius . . . . . vii. 129	
Amici, x. 127. Amici perfidi . . . . . 14	
Amici cadant, modo inimici intercidant, vii. 425. Sunt fures tem- poris, 380. Moneant se invicem . . . . . 400	
Amicorum delectus sit prudens, vii. 398. Eorum mollities in ad- monendo reprehenditur . . . . . 400	
Amicitia eadem facit, quæ fortitudo, vii. 333. Amicitia, x. 70. Cum quibus contrahenda ad inquisitionem animorum . . . . . vii. 412	
Amicitiae beneficia . . . . . x. 72	
Amnes tanquam in sicco ponunt venti . . . . . viii. 293	
Amnestia . . . . . vii. 399	
Amor rerum concordia, vii. 155. Varii nominis, 333. Mores optime format, 374. Ejus characteres a Menandro et Xenophonte . . . . . ib.	
Amor, nisi saucians, diffundit spiritus et vitam abbreviat . . . . . viii. 406	
Amor, x. 26. Animi magni infirmam hanc passionem non admittant, 27. Rerum naturæ et valori vero insultat, ib. Ejus æstus, ib. Viri militares amori dediti . . . . . 28	
Anabaptistarum hæresis . . . . . vii. 351	
Anachoretarum vita longa . . . . . viii. 410	
Anacreontis poetæ vita . . . . . viii. 369	
Analytica . . . . . vii. 270	
Anastasio Dicori imperatoris ætas . . . . . viii. 373	
Anatomicæ disquisitiones ubi desiderantur . . . . . vii. 220	

## INDEX.

- Anatomia simplex et comparata, vii. 220. Plurimæ dissectiones ad comparatam necessariæ . . . . . 221
- Anatomia vivorum desideratur, vii. 222. Corporum organicorum commendatur . . . . . viii. 81
- Anaxagoræ inventio, vii. 149. ib. 191. Ejus philosophia de homiomeris . . . . . viii. 18
- Anaxarchi patientia, cum linguam in os tyranni expueret vii. 209
- Anaximenes aërem rerum principium statuit . vii. 149, ix. 326
- Andes inter Peruviam et Chilem . . . . . viii. 306
- Andis Peruviani cacumen nive destitutum . . . . . viii. 86
- Andromanæ quare Spartanæ mulieres ita vocabantur . viii. 383
- Angeli ceciderunt, vii. 374. Eorum et spirituum natura nec inscrutabilis nec interdicta, 173. Veneratio prohibita, 174. Natura Deo proxima, 87. Ordines angelorum varii . . . . . ib.
- Angli bellicosi . . . . . vii. 432
- Anglia regnum hæreditarium . . . . . vii. 134
- Angliæ historia quam vilis et indigna, vii. 134. Angliæ coloni Galliarum rusticos superant, 432. Quæ in Anglia ad potentiam militarem apprime conducunt . . . . . ib.
- Anglica gens vivax . . . . . viii. 379
- Anguilla piscis, non longæva . . . . . viii. 361
- Anguillarum scissarum partes cur diutius moveantur viii. 446, 453
- Angustatio partium . . . . . viii. 355
- Anhelitus . . . . . ix. 50
- Anhelitus detentionis tempus, viii. 442. In animalibus . . . . . ib.
- Anicii Justiniani ætas . . . . . viii. 373
- Anima rationalis, unde et quibus subsistat . . . . . viii. 443
- Animæ rationalis organum est auræ divinæ particula, vii. 426. Substantiarum simplicissima . . . . . 215
- Anima sensibilis, vii. 106. De anima humana doctrina . . . . . 233
- Anima sensibilis sive producta . . . . . vii. 235
- Animarum emanationes duæ, vii. 233. Ejus generatio primitiva, ib. Plurimæ ejus supra animas brutorum præcellentiæ . . . . . ib.
- Animæ facultates, sive de objectis facultatum, vii. 235. Facultates ejus notissimæ, ib. Non est entelechia, 238. Est forma formarum, 245. Ejus medicina, etc. 364. Et remedium summarium, 373. Ejus status, divinitatis caractere ab Aristotele insignitus, ib. Animæ angustæ et degeneres immisericordes . . . . . 391
- Animi bona primum quærenda, vii. 425. Cultura, 363. Emendatione opus . . . . . 420
- Animus humanus fabricatus instar speculi, vii. 57. Animus ne sit pensilis anhelat, 269. Quando vere sanus et validus censendus est . . . . . 353
- Animi impetum cohibere immensum quid . . . . . vii. 353
- Animi hominum nunc in perfectiore, nunc in deteriore statu reperiuntur, vii. 372. Similis aquis et speculo, 403. Animi vexatio et inquietudo, 375. Qua clave reserandi certissime . . . . . 410
- Animi janua sunt oculi, os, vultus, gestus . . . . . vii. 408
- Animus humanus quomodo flectendus et effingendus . . . . . vii. 419
- Animalium ætates variæ . . . . . viii. 355, et seq.
- Animi periodi, in memoria labili . . . . . viii. 448
- Annæ Bolonæ, ad Henricum octavum, nuncium . . . . . x. 277

## INDEX.

Annæus Seneca . . . . .	ix. 305
Annales quomodo a diariis differant, vii. 138. Res illustres annalibus mandantur . . . . .	ib.
Anni tempestates salubriores . . . . .	vii. 259
Anniversarii venti, sive etesii . . . . .	viii. 283
Anser longæva . . . . .	viii. 359
Antennæ, sive virga mali in transversum . . . . .	viii. 314
Anthropomorphitarum hæresis, vii. 273. In cellis monachorum orta . . . . .	ib.
Anthropophagi, unde in id vitium prolapsi . . . . .	viii. 364
Anti-cato . . . . .	vii. 99
Antichristus, omnium seculorum maximus impostor . . . . .	vii. 176
Anticipationes, earum usus et abusus . . . . .	vii. 391
Antidotus . . . . .	vii. 91
Antinomix legum retractandæ . . . . .	vii. 451
Antiperistasis, viii. 93, 303. Contractionis causa . . . . .	ix. 54
Antipodes qui primi asseruerunt, impii habebantur . . . . .	ix. 167
Antiqui, quam exiguam mundi partem noverant . . . . .	vii. 27
Antiquitas quatenus retinenda, vii. 176. Vel minimum ab antiquorum opinionibus et loquendi more deflectendum, ib. Auctoritatis est patrona, vii. 81. Ejus reverentia, 463. Nimia ejus reverentia homines a progressu in scientiis detinuit . . . . .	viii. 37
Antiquitatis et novitatis studium iniquum . . . . .	vii. 81
